

Raffaello d'Urbino dip. Morghen inc.

THEOLOGIA

[illegible]

[illegible]

DE
REBUS DIVINIS
SIVE
DE DEO OPTIMO MAXIMO
DIVINISQUE ATTRIBUTIS
TRACTATIO

SUMMATIM DIGESTA

PER

Fr. CONSTANTINUM M. BATTINIUM

ORDINIS SERV. B. V. MARIAE IN IMP. ET R. PISARUM
ACADEMIA SAC. THEOL. LECTOREM.

VOLUMEN UNUM.

PISIS
EX TYPOGRAPHEO PROSPERIANO
M. DCCC. XXVI.

LECTORI BENEVOLO S.

In Prolusione ad opus jam editum De Principiis Theologiæ *me non alienum fore significaveram, si daretur vita et otium, ab Argumentis aliis de Rebus Theologicis evulgandis. Equidem pendebam animo, nec sine causa, ut prudens quisque cognoverit. Hæsitationem tamen exemit cum suasio nonnullorum et potissimum perillustris viri, tum spes meis auditoribus commodum aliquod afferendi. Haud interim ambigo, futuros non paucos, qui hoc genus argumentorum parce sint laudaturi sive ob horum scriptorum copiam, sive ob inopiam lectorum, quos alia potius atque alia juvant quàm ad sublimia hæc et theoretica mentem evehere; quæ, ajunt, aciem fugiunt humani ingenii ad hæc infima aptam magis atque accomodatam. Sunt, quos hæc terrestria adeo delectant, ut præter corpora bruta aut organica nihil crepent aliud, nihil inquirant: in phœnomenis naturalibus rimandis quidam toti desudant occupati: alii telluris viscera scrutantur, si forte plasticas inve-*

niant vires, aut ignivomos montes, procul tamen, invisunt: Alii instrumentis opticis et remotissimas sphæras, et minutissima animalcula explorant, ut jam entium series, et leges, quibus haec reguntur, multiplicatae sint; atque totum ipsum universum in duplum, triplum, et amplius contemplationi nostræ excreverit. Utinam in hominum mentibus inde reverentia et fides erga supremum Opificem adaucta sit! Quò enim Mundus amplior conspicitur, eò magis complicatus et explicatu difficilior fit sine Deo sapientissimo rerum conditore et potentissimo Conservatore: Quò magis obtutui nostro Mundus expanditur, hujus rêspectu eò minuitur humana conditio, nosque admonet, ne adeo arrogantes simus, ut opinemur totam rerum universitatem ejusdemque ordinationem compertam habere et exploratam: ut ne inde audeamus aut Dei opera criminari, aut eis limites figere: at discamus potius supremam hanc mentem tanti Operis architectricem venerari, simulque agnoscere et confiteri, non pro nobis tantùm hanc universi molem compactam fuisse atque digestam. Multoque minus fabulas incrustemus sive ex fallacibus geologicis inspectionibus, sive ex obscuris corruptisque monumentis populorum, an forte alicubi occurrant homines aborigenes, autochthones, qui olim ut boleti ex humo eruperint palan-

tes per agros, mutum et turpe pecus, quin ullo indiguerint supremo Auctore, qui vitam eis dederit et inspirationem et omnia: *quas putres fabellas a minutis incredulis hodie usque recantatas vera scientia, ut ventus araneas telas, brevi disperdit. Nam sine Deo factum est nihil, qui et Religionem suam datam hominibus firmam ratamque fecit, et veram Mundi historiam verumque hominis finem cœlesti Revelatione manifestavit: quo sublato Dei munere, in errores inextricabiles, et in profundam rerum ignorationem, in quibus versabantur olim, rursus homines ruerent: ut in eandem ignorantiam et exitiales tenebras deistae ac materialistae modo homines praecipites agere astu et impio conatu moliuntur.*

Sed utut hæc omnia a Deo condita et constituta magna sint atque splendidissima, ea tamen finita sunt, suisque limitibus circumscripta, atque ita existunt, ut non esse potuerint. Ad supremum itaque Numen perfectissimum, infinitum, et necessariæ existentiæ assurgere oportet rerum omnium causam principem ac necessariam. Eam Principem causam, præter argumenta, innumera quæ hanc aperte demonstrant, a veritate quoque notionum geometricarum invictè ostenderunt Mathematici præstantissimi; et Leibnitius præcipue, qui hujus causæ existentiam ex illius idea ac possibilitate necessariam

clare deduxit. Sed et qui necessariam, ac propterea infinitam hujus Universi congeriem volunt, ab ipsis Mathematicis convicti fuere, id esse omnino non posse. Ope mathematicarum demostrationum id confecere præ caeteris Riccatus, Boscowichius, et Eminentiss. Gerdilius, qui quantitates actu infinitas sive continuas sive numericas repugnare, nullasque dari posse pluribus comprobarunt. Hinc Mathesis, ut cæteræ scientiæ omnes Astronomia, Chymica, Physica, Geologia, nec non veterum et recentium omnium populorum historiæ ac monumenta, ut frequenter adnotatum est, Dogmata nostræ Religionis potiora confirmant, eisque mirificè astipulantur. Ut circulatores ergo et agyrtæ impudentissimi habendi sunt, quotquot verum harum scientiarum usum pervertunt, quò suis sophismatibus negotia penes imperitos creent contra venerandam Religionem; et non potius eas excolunt, ut hanc ab impiis tueantur, quemadmodum se gerunt veri sapientes viri.

Cum itaque summa Dei Gloria et Majestas supra conditam hanc naturam se in immensum extollat: atque series hæc rerum cum a veris philosophis habita sit veluti climax qua ad Deum contemplandum ascendimus: imo cum sit omnium studiorum finis, ut ex his visibilibus nos erigamus ad invisibilia Dei intelligenda; hinc tenta-

mina hæc nostra nemo nisi iniquè culpaverit. In his vero evulgandis præstantissimos praedecessores nostros in hoc munere imitati sumus, quorum plures, eosque multis nominibus celebrandos ex solo Regulari Instituto Ordinis Servorum B. V. M., cui modo præsumus, licet immeriti, percensere possemus, qui in perillustri hac Pisarum Academia scientias cum Philosophicas tum Theologicas ingenti plausu docuerunt. Horum catalogum et merita, nec non Opera typis excusa recenset et cum laude commemorat Clariss. Angelus Fabronius in sua Pisanae Academiæ Historia, ubi videre est, Præceptores ex solo præfato Instituto, qui tribus elapsis saeculis ad scientias tradendas assumpti sunt, ad viginti et amplius connumerari, quorum non raro tres simul aderant, qui facultates diversas profitebantur. Inter quos commendantur præ caeteris Romulus de Laurentiis Florentinus ob doctrinæ famam ex Ticinensi Athenaeo accitus a Cosmo I. anno MDXXXIX: et Jo. Bapt. Milliovacca Astensis vir acris ingenii, qui ad Praefecturam Generalem Ordinis assumptus Tridentino Concilio interfuit; eandemque in Sacris tradendis excepit anno MDLX. Jacobus Tavantius de Pisarum Urbe non minus quam de Academia optime meritus, quique tanta erat modestia ornatus, ut omnino renuerit ad hujus Urbis Archie-

piscopatum assumi. Franc. Bocchius, et Lucas Cerracchinius de eo Elogia vulgarunt. Sed et una cum eo tres suæ familiae sodales alias Scientias in Academia docebant omnimoda eruditione exculti, Prosper Rossettus Florentinus, Jo. Bapt. Librantius Bononiensis, et Lælius Balleonius Florentinus, qui Tavantio ad superos evecto an. MDCVII. ejus Cathedram rexit ad annum usque MDCXX. cui suffectus est Ant. Henricus Burgus vir præclari ingenii, qui magno auditorum detrimento lethum oppetiit anno MDCXXX. eumque Paganinus Gaudentius laudavit Oratione inscripta - Luctus Publicus - ut publici mœroris testimonium daret.

Ut quid inde memorem caeteros ejusdem Instituti viros qui voce et scriptis Academiam exornarunt? Ut Dionysium Bussottium Episcopatu insignitum anno MDCLVIII. cujus locum implevit Gerardus Baldius a Gherardesca nuncupatus inter cujus edita volumina eminent quinque illa inscripta - Catholica Monarchia Christi - Exinde illius partes gessit Callistus Puccinellius Orator percelebris, cui ad Urbinatem Archiepiscopatum assumpto successit Georgius Soggia, qui sex volumina rerum Sacrarum ediderat. Is cum Fontanio Collega suo Puccinellii vices antea suppleverat. At Soggia Archiepiscopus Turritanus in Sardinia creatus Cathedram

commendavit Julio Arrighettio Floren. sanctitate ac doctrina illustri, quam rexit ad annum usque MDCLXXVII. quo tempore ad alia munia eo electo, Jo. Franc. M. Poggius docendi officium suscepit, quousque an. MDCCIII. Miniatensis Episcopus factus est. Sed jam ab anno MDCLXXVIII. ad Academiam adventaverat Pet. Ant. Rossius Flor - De quo verissime judicari potest, (scribit Fabronius), nemini suæ ætatis et doctrina et prudentia illum inferiorem fuisse - Huic an. MDCCIII. ad XXIV. Cathedra demandata fuerat - Explicationis historicæ ac Theologicæ sacrorum Canonum - sed interea sacra dogmata tradebant Aloisius M. Garbius Flor. et Julius Ant. Roboredo Lusitanus ex eadem Familia Alumni, de quibus plura Fabronius habet. At ampliora scribit de Gerardo Capassio, cujus laudes ac vicissitudines impense celebrat, de quo præterea vitam et gesta fuse narrat in opere - Vitæ Italorum illustrium - Is senio confectus occubuit anno MDCCXXXVII. De Miliorato, Fancellio aliisque, quos Fasti Academiæ cum laude recensent, non est cur plura addamus; ut de Francisco Raymundo Adamio, et ejus sodali Philippo Tozzio, reticendum censemus, quorum memoria non penitus obliterata esse potest.

Ex hoc itaque tot virorum illustrium speci-

mine ex præfato Instituto dumtaxat breviter collecto viderit quisque, si Regulares Ordines ab hac insigni Academia habuere honores, non parum quoque ornamenti et gloriæ eidem illos contulisse; ut per eadem tempora hujus celebris Licaei fama et nomen longe lateque per Europam divulgaretur. Quid? si alios ferme innumeros ex caeteris Religiosis Societatibus percensere vellemus? Dies deficeret in eis tantummodo enumerandis. Quis inter recentiores in omni eruditionis genere insignes non celebraret Norisium et Bertium ex Augustinensium Ordine: Moniliam et Fassinium ex Instituto Prædicatorum: Corsinium et Politum e Familia Scholarum Piarum: Guidonem Grandium, Matthæjum et alios quamplures ex Religiosis Ordinibus, quorum merita in laudato Fabronii Opere commendantur? Post hæc exempla perillustris hujus Athenæi, aliarumque Academiarum omnium, in quibus frequenter cujuvis Religiosi Instituti Præceptores docuerunt, mirari subit, cur nonnulli obloqui non vereantur, statui et conditioni Regularium non convenire munus publicè in Gymnasiis docendi; quibus interea et Scholae juniorum et onus Verbum Dei prædicandi frequenter committitur. Verum non, ut isti Novatores, sensere summi Pontifices, Imperatores, Reges ac Principes Europæ universæ, qui majorem semper in

Regularibus et in personis Ecclesiasticis fiduciam collocarunt circa periculosum hoc docendi officium, cui non raro viri quoque sanctitate conspicui incubuere. Hinc ab Academiarum institutione, si fastos earundem percurramus, reperiemus, hoc eis munus magna cum discipulorum utilitate demandatum fuisse a priscis usque temporibus: ita Lanfrancus, S. Anselmus, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, S. Raymundus in Lycaeis Parisiensi et Bononiensi docuerunt; atque ita in singulis Academiis Monachi innumeri et Regulares viri ad hoc munus assumpti sunt, ut ea, quæ res multæ prudentiæ et consilii semper visa est. Optandum sanè erit, ut semotis a publico docendi munere Regularibus et Ecclesiasticis viris, Religio in juvenibus floreat, componantur mores, sublimioribus potestatibus obsequium et obedientia servetur.

Quod interim ad hanc attinet lucubrationem curavimus solemnes Catholicæ Ecclesiæ Veritates ea ostendere claritate una cum brevitate conjuncta, ut nulli prudenti cuiquam superesse dubium possit: nam ei qui litigare voluerit, nulla unquam poterit veritas suaderi. Quod si quædam pertractavimus, quæ ab Ecclesia hucusque definita non sunt, id nos fecisse quisque comperiet, quia doctrinarum ordo postulabat, ut unam

aut alteram seligeremus sententiam. In iis tamen eligendis eas semper prætulimus, quae magis videbantur cum doctrinis catholicis cohærere potissimum cum harum subsidio, quæ in veritatum censum tuto referri possunt, responsio detur absoluta nonnullis gravioribus incredulorum difficultatibus et serpentes hæreses validius eliminentur. Tales sunt doctrinae, quæ traduntur de propria et vera Dei voluntate antecedenti, qua sincerè vult et media præstat, ut omnes homines salvi et felices fiant: unde ea, quæ de prædestinatione et reprobatione declarantur, sua sponte descendunt. Has verò doctrinas eò libentius arripuimus, quod apprimè conveniant cum sententiis Henrici Gandavensis Doctoris Ordinis Servorum B. V. M. ad cujus mentem nobis consulunt Instituti Leges, ut Disciplinæ Theologicæ pertractentur. Hæ verò sententiae fusè enucleatae leguntur in hujus Auctoris Operibus Quodlibeto IV. Q. XIX. et Quodl. VIII. Quæst. V. quas diligenter recognoscere et conferre curavimus: prompti eramus tamen ab ejus doctrinis recedere, quoties inventae fuissent, minus cum Ecclesiae decretis convenire, quibus unice adhaerendum est. Cum vero Tractatus iste quasi Theologiae metaphysica habeatur; nemo mirabitur, si quaedam attingere coacti fuimus, a quibus refugiunt, qui non sunt in metaphysicis ver-

sati. Ea tamen hujus Scientiae studiosi callere debent. Plura quoque explanavimus Scripturarum loca, quae ab haereticis contra Fidei dogmata afferuntur; quod in gratiam Tyronum factum est, ut verum Scripturarum sensum assequantur. Est enim Theologia veluti Sacrarum Literarum commentarium, et clavis, qua divina Oracula reserantur.

Caeterum in his sublimibus at simul jucundis argumentis de Rebus Divinis pertractandis duces Theologos praestantiores habuimus Bellarminum, Petavium, Thomassinium, Tournelyum, Colletum, Bertium, Gazzanigam, aliosque eruditiores, a quibus ea, quae brevitatis causa praetermittere coacti fuimus, studiosi facilè discent. Sed solliciti potius fuimus de doctrinarum claritate, quam de elegantia ac stilo; nec a receptis formulis ac phrasibus abhorruimus a summis viris adhibitis, quamvis fortasse minus latinae videantur: facile enim intelliguntur ab omnibus, claritatem rebus afferunt, ac stili compendio inserviunt; sicut et in caeteris facultatibus fieri solet. Imo Tullius ipse, Varro, Lucretius voces plures inusitatas in latinam linguam invexere, cum argumenta tractare cœperunt antea huic idiomati extranea. Quod sibi concedi postulabat ille Romanus Philosophus et Orator dum Acad. Quaest. L. 1. c. 7. scribit:

= Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod graeci ipsi faciunt, a quibus haec jamdiu tractantur, utamur verbis interdum inauditis = Quare, hic disertissimus scriptor, si nostrum fuisset delatus in aevum in quo de tot disciplinis eidem ignotis disseritur, plurimis certe vocibus latinam linguam locupletasset. Non est igitur, cur aliquis grammatista obstupescat, aut irrideat, si interdum hic verba occurrent, quae in Lexico Ciceroniano desunt. Haec praefari opus erat. Utinam hi tenues labores nostri adjumento aliquibus esse queant atque utilitati.

ERRATA QUÆDAM

CURSIM DETECTA ITA EMENDENTUR

Pag.	Lin.		
6.	10.	nsu . .	usu.
—	16.	Montem . .	Mentem.
20.	16.	omnio . .	omnino.
34.	18.	es . . .	est
40.	8.	ex abuso . .	ex abusu
—	21.	eamrursus. .	eam rursus
42.	12.	quod . .	quid
72.	27.	incœpit . .	incepit
83.	19.	esistere . .	existere
116.	7.	contingerunt .	contigerunt
118.	6.	quae futura .	quas futuras
123.	30.	definiti . .	definiri
132.	19.	XXXVI. . .	XXXIII.
133.	10.	omnibes .	omnibus
134.	1.	veritatam. .	veritatem
162.	1.	censebat . .	censebant
167.	19.	nostro . .	vestro
175.	24.	ullu . .	ullo
188.	10.	invidam . .	invidiam
230.	6.	suffuratas .	suffuratos
252.	22.	respecta . .	respectu
284.	5.	aeternum . .	aeternam
288.	25.	conficaret. .	conficeret
—	29.	intelligenda .	intelligendae
312.	11.	undae . .	unde
337.	25.	hanc . .	hanc
356.	4.	ostenuendam .	ostendendam
406.	4.	quarum . .	quorum
409.	20.	praeseverantiae.	perseverantiae
454.	1.	canonicrarum .	canonicarum

Alia sphalmata, quae occurrent, ut etiam literarum hiatus, permutationes n, u : c et e, ac vicissim, humanus Lector condonabit, et corriget.

Veri Dei ignoratio est summa omnium Rerumpublicarum pestis ... Itaque omnis humanae societatis fundamentum convellit, qui Religionem convellit.

Plato Lib. X. de Legib.

DE REBUS DIVINIS

SIVE

DE DEO OPTIMO MAXIMO

DIVINISQUE ATTRIBUTIS

TRACTATIO

I. Cum rerum omnium quæ sunt, aut esse queunt, Deus causa sit unica, libera, intelligentissima atque æterna; nec non Deus ipse auctor extiterit supernaturalis illius luminis, quod lumen naturale ab eodem in nobis conditum dirigit in veritatis inquisitione; jam nemo non dabit, non Theologorum modo, sed et Philosophorum præcipuas esse partes, ut, quantum nobis concessum est, in hanc Causam principem agnoscendam et contemplandam sedulo mentis aciem intendere debeant. Qui enim res naturales earundemque effectus et relationes tanto studio rimantur ab ea prima Causa veluti semotas longè atque disjectas, aut etiam qui de ea prave sentiunt, effectuum quidem eorundemque respectuum cognitionem quandam jactabunt; at nunquam sibi scientiam poterunt vindicare, quæ et errorem fugit, estque rei cognitio per causam. Maximi refert igitur, ut inquisitionem hanc naviter

aggrediamur, quò et sinceram rerum scientiam nobis acquiramus, deque Deo ipso rerum auctore et causa principe recte judicemus. Accedit, ut ait eleganter Tullius initio Libri primi *de Natura Deorum*, quod *ea Quæstio et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria .... quò et omnes duce natura vehimur ... eaque nisi dijudicetur, in summo errorè necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari*. Hæc autem inquisitio si defectu superni Luminis perdifficilis antiquitus et perobscura deprehendebatur, ut ii etiam qui habebantur sapientes circa Dei naturam et proprietates in magna essent varietate ac dissensione constituti; postquam tamen hominibus arcana cælestia divinitus patefacta sunt, et Ecclesiæ Sanctæ magisterium, cui obtemperare debent omnes, est in terris erectum, jam tuto ac facile de divinis rebus prudens quisquis pertractare queat, uti singulis ætatibus, post *exortum in tenebris lumen rectis corde*, revera viri præstantissimi de his divinis arcanis egregiè disseruere.

II. Sed ecce hac nostra infelici ætate perditos impurosque homines, qui pravis affectibus abrepti, hoc abdicato superno lumine, et recto calle contempto, quem nobis summa Dei clementia reseravit, rursus adversus Lucem tantam sophismata ac dubitationes congerunt, tenebras offundere moliuntur, mentesque pervertere hominum improvidorum. Videre est enim alios fatalismum in hanc doctrinam invexisse, alios pantheismum, materialismum alios ipsumque stupidum atheismum, omnes denique sanctiores veneran-

dasque doctrinas tricis, et cavillationibus obnubilare tentasse; ut viri prudentiores mirentur, in hoc decantato scientiarum progressu regressum fuisse factum ad deliria quæque veterum sophistarum, quos olim vehementer Apostolus arguebat, *Rom. I.* 21. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt .... Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula.* Quod si ethnicos illos Evangelica Luce destitutos Apostolus inexcusabiles habebat, quanto scelestiores hi nostrorum temporum sophistæ putandi sunt, qui voluntate prava, ne, ut par est, Deo obtemperent, deque eo rectè sentiant, repudiato cælestis doctrinæ lumine, maluerunt se in turpissimorum errorum cœnum conjicere, quàm jucundissimæ huic et manifestæ veritati assentiri. Quibus propterea illa Comici objurgatio jure optimo aptari posset. *Teren. Heaut.* A. V. Sc. 1.

Quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus,
In istos nihil potest: exsuperat horum stultitia hæc omnia.

III. His igitur missis, dum hoc argumentum præstantissimum hîc pertractare suscipimus, nos cohibere nequimus, quin graviter vereamur, ne, si metimur vires, impares deprehendamur ad onus tam arduum subeundum, quale hoc est, ut de supremo

rerum omnium opifice ac sapientissimo provisore pro dignitate disseramus, potissimum quod apud me statuerim argumentum hoc uberrimum in pauca conferre. Verum quoties Deus ipse humanis conatibus suppetias tulerit, non modo desperandum non est, quominus ad eum laudandum, deque eo, ut par est, loquendum a longè saltem accedamus, quinimo prorsus fidendum, semper nos de Deo rectà ac vera dicturos fore. Illud utique decrevi, sanctumque habui semper, sicuti opus est, ut ab Ecclesiæ Catholicæ magisterio ne vel minimum declinarem. Sed ut sublime hoc thema ea qua decet perspicuitate absolvamus, in tres illud sectiones dispertiemus, ut in prima nempe de existentia et essentia Dei, deque absolutis illius Attributis agamus: in altera de Attributis illius relativis et internis, quæ *ad intra* dicuntur, sive de augustissimo Trinitatis mysterio pertractemus: in tertia verò de Attributis relativis *ad extra*, quæ ad rerum nempe creationem et gubernationem pertinent disseramus; quarum singulæ in plura capita distribuendæ sunt.

SECTIO I.

DE ESSENTIA DEI, EJUSDEMQUE ATTRIBUTIS SIVE PROPRIETATIBUS, ET PRIMO QUIDNAM DEI NOMINE INTELLIGENDUM SIT.

IV. Est hic Dei nomine intelligendum „ Ens æternum, omnipotens, sapientissimum, liberum, ab omni materiæ compage segregatum, sibi ad beatitudinem sufficientissimum, atque in se perfectissimum, universi totius causa, ejusque optimus gubernator: Uno verbo; Ens a se, spirituale, independens, summè intelligens, summeque bonum, et quo majus et melius nec esse neque concipi potest „ Necesse fuerat hanc Dei notionem determinare ob varia et erronea sophistarum ævi hujus opinamenta, qui nobis Deum esse facile dabunt; at si ab eis exquiras, quidnam ejus nomine intelligant, blasphema citius verba, quam dignas tanto Numine doctrinas audiveris. Verum posita definitio ab omnibus admittenda est, qui rectè de Deo sentire velint, eaque in sequentibus per partes singulas propugnabitur. Quinimo ii quoque eandem supponunt definitionem sive notionem, qui increati hujus Entis existentiam impetunt, aut aliquam ejus proprietatem inficiari audent; qui omnes sub hoc tantum intuitu in Conditorem suum stultè ac impiè bellum movent. At verò quanti hanc intersit agnoscere et profiteri veritatem, inde liquet, quod ab ea omnium nostrum pendeat felicitas aut summa miseria. Deus enim, in quem credere oportet, cum sit summè jus-

tus, nequit non esse criminum vindex, remuneransque virtutem; ut hinc Salvator noster edixerit in Evangelio *Joan. XVII.: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.*

CAPUT I.

DE MULTIPLICI ARGUMENTORUM GENERE, QUIBUS DEI EXISTENTIA DEMONSTRATUR.

V. Existere Deum Optimum Maximum rerum omnium conditorem ac Dominum nemo usu rationis compos ignorare possit; sufficit enim vel animum ad seipsum convertere, vel intuitum ad hanc universi compagem paullisper intendere, ut quisque intelligat, adesse Numen aliquod præstantissimæ Mentis, quo hæc omnia regantur. Nam qui nollet supremam hanc Mentem agnoscere, certe ambigeremus, an esset inter homines referendus; qui eam vero inficias ire auderet, non inter belluas modo recensendus videretur, sed inter monstra naturæ potius, atque inter ingrati animi portenta adnumerandus. Hinc Deus ipse apud Isaiam *Cap. I.* 2. de his perversis stultisque hominibus olim cælum terramque contestans ita graviter conquerebatur: *Audite cœli et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me: cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniqui-*

tate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Justa hæc objurgatio in non paucos nostrorum temporum cinædos, aut insana superbia tumidos transferri posset.

VI. Interim Supremi Numinis existentiam omnigenis innumerisque momentis invictissime ostendi eruditorum neminem latet; at ne in re tam aperta tamque perspicua in infinitum nostra protrahatur oratio, ad tria genera, uti fieri consuevit, ea revocabimus, ad philologica nempe argumenta sive moralia, dein ad physica argumenta, ac postremo ad metaphysica. Priora ex intima hominum desumuntur conscientia, ex populorum et præcipue ex optimorum virorum consensione, nec non ex perturbationibus quæ ab hac abnegata veritate in hominum vita et societate orirentur. Alterius generis argumenta ex universi aspectu, ejusdemque harmonia et ordine, atque ex rerum naturalium finibus deducuntur. Postrema denique ex principiis rationis sufficientis, ex notionibus et axiomatibus metaphysicis reliquis derivantur; adeo ut esse Deum omnia quæcumque sunt clament, atque elatè vociferentur.

VII. Moralia itaque argumenta sunt hoc innixa principio, quod illud nempe esse verum necessum sit, quod ipsamet natura universim ac sponte sua testatur, et quod impossibile sit, ut homines naturaliter ac universim aut fallere queant aut falli. At omnium gentium tum veterum tum recentiorum in Divinitate agnoscenda et confitenda una vox est, ac talis et tanta, ut optari major non possit. Gentes enim

omnes non minus excultæ quam barbaræ esse Deum et antiquitus constantissimè tenuere, et modo universim tenent. Hujus rei testes sunt luculentissimi scriptores vetusti Herodotus, Plato, Aristoteles, Cicero, aliique, quos apud Vossium *de Idololatria Lib. I.* et apud Grotium *de Veritate Religionis Christianæ* videre licet. Sed auctoritatem Aristotelis præstat audire in Libro *De Mundo*, quem ad Alexandum Magnum scripsit, quemque in latinum sermonem L. Apulejus olim verterat. Aristotelis itaque verba Capite VI. hæc præclara testantur: *Vetus igitur sermo est, et inter omnes homines a majoribus proditus, universa tum a Deo, tum per Deum constituta fuisse; nullamque esse naturam ad sui tutelam satis instructam, quæ sibi sufficere possit, hujus Dei conservatione ac præsidio destituta* (1). Huic Aristotelis testimonio jamdiu concinebat Tullius Cicero, qui *in Tusculanis Quæstionibus Lib. I. Cap. XIII.* hæc seriò notanda reliquit: *Firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens est tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim*

(1) Αρχαιος μεν ουν τις λογος, και πατριος εστι πασιν ανθρωποις, ὡς εκ Θεου τα παντα, και δια Θεου ἡμιν συνεστηκεν: ουδεμια δε φυσις αυτη καθ' ἑαυτην αυταρκης, ερημωθεισα της εκ τουτου σωτηριας. Hæc vero ita transtulit Apulejus: *Vetus sententia est, atque in cogitatione omnium hominum insedit, Deum esse, originis non habere auctorem, Deumque esse salutem et perseverantiam earum, quas effecerat rerum; neque ulla res est tam præstantibus viribus, quæ viduata Dei auxilio, sui natura contenta sit.* Si quis libellum hunc Aristoteli abjudicare vellet, certe is est vetustus, et eo dignus.

et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus effecit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est. Quid vero Dei aut deorum nomine significaret Tullius aperit paulo post *C. XXVII.* cum ex veterum sententia hæc habet: *Nec verò Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi Mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omniaque sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno.* Quare cum Socrates, Plato, Aristoteles, Tullius, Seneca de Deo loquendo plurali aliquando numero utuntur, id eos fecisse clarum est, ne popularem offenderent superstitionem, nam prudentiores philosophos, imo etiam populos antiquiores unum tantum Deum omnium principem agnovisse abunde infra constabit. Non est autem opus de gentium consensione in rem hanc sequentium sæculorum plura congerere testimonia, cum hæc omnibus sit abunde cognita et explorata.

VIII. Verum argumentum hoc vim acquiret maximam, si inquisiverimus, undenam humanum genus hanc Dei notionem hauserit, posterisque transmiserit. Nam fuisse veterem sententiam hanc, eandemque *in cogitatione omnium hominum insedisse* jam vidimus, ut necessum sit, unicam et potentem eam habuisse originem. Hæc vero undenam nisi ab ipso Deo petenda? Cujus providentia universim ac semper apud gentes omnes pervagata et agnita, nequiverat in ignoratione sui relinquere humanum genus, aut sui ipsius cognitionem humanis deserere inventis. Solemnis hinc

est antiquorum sententia, homines ab eorum exordio a Deo ipso fuisse edoctos, et cum divinitate commercium habuisse. Hoc ipsa gentium historia confirmat. Nam quæ Moyses de Creatore Deo, deque rerum origine tradidit, nec non de primæva hominum conditione, eadem ferme sunt, quæ apud gentes omnes circunferebantur, apud Assyrios, Phœnices, Ægyptios et Indos, a quibus ad cæteros populos permeasse vetusti scriptores testantur, ut apud Vossium et Hugonem Grotium adductis in locis videre licet. Sed ne diffluamus in plura, auctoritatem Maximi Tyrii Platonici Philosophi sufficiat attulisse, qui Dissertatione I. hanc veritatem principem, esse nempe unum summum Deum cunctorum causam, omnium populorum consensu traditam asseverat, inquiens: *In tanta pugna, discrepantia, discordia, unam videas per terras omnes Legem, famamque consentientem, Deum esse unum rerum universarum et Regem et Patrem: multos præterea deos, Dei filios, administrationis participes. Hæc et Græcus dicit, et dicit barbarus, dicit et qui in continentibus terris, dicit qui in oris maritimis habitat, et sapiens, et sapientia destitutus* (1). (Videnda quæ habet Grotius *De jure Belli et Pacis L. II. C. XX. §. 45.*) Hinc illud Antisthenis apud Ciceronem *de Nat. deor. l. I. c. XIII.*

(1) Max. Tyr. Diss. I. Εν τοσουτῳ δη πολεμῳ, και στασει διαφωνια ʽενα ιδοις αν εν πασῃ γῃ ʽομοφωνον νομον. και λογον, ʽοτι Θεος ʽεις παντων βασιλευς, και πατηρ: και θεοι πολλοι, θεου παιδες συναρχοντες Θεῳ. Ταυτα ʽο Ελλην λεγει, και ʽο βαρβαρος λεγει, και ὁ ἠπειρωτης, και ὁ θαλαττιος, και ʽο σοφος, και ʽο ασοφος.

Populares deos multos, naturalem unum esse. Quare si deorum multorum loco Angelos substituas Dei principis administros, jam hæc Moysis doctrinæ consentanea deprehendes. Igitur cum humanum genus universum aberrare non possit, et gentium omnium consensio lex naturæ putanda sit: hæc vero in Deum confitendum universa conveniat; inde conficitur a natura ipsa nos ad Deum cognoscendum adduci. Si quis ergo vecors adeo et impius inveniretur, qui Deum optimum ac sapientissimum ac justissimum provisorem abnegaret agnoscere, is præter horrendum facinus contra naturam ipsam peccaret ac attestationi adversaretur totius universi; qua abnormi temeritate ac petulanti audacia nulla fingi major posset.

IX. Mentiuntur igitur theomachi dum obtrudunt, nationes aliquando sine Dei cognitione vixisse: Aut cum ajunt, Dei notionem ab astutis Legislatoribus promanasse, vel ad eam concipiendam fuisse homines a phœnomenis cælestibus excitatos. Nam quod venditant, fuisse nationes sine Deo inventas, ex ignoratione morum earundem nonnulli certè decepti sunt, sicut olim decipiebantur Gentiles circa Hebræos et Christianos, quos veluti atheos traducebant. Ita populi quidam cum a viatoribus initio tales haberentur, postea moribus eorum melius inspectis priorum narrationes fabulosæ agnitæ sunt. Revera philosophi ac historici præstantiores, ut vidimus, *universalem* Dei notitiam habuere. Nec minus absurdum est, a legum latoribus religiones fuisse inventas; Cultus enim et sacrificia Leges omnes civiles longè antecedunt, ut ex monumentis vetustioribus liquet. At undenam le-

gumlatores sublimem hanc doctrinam sibi repente comparassent, et quanam vi et ratione eam persuasissent populis ut adeo constanter in ea firmarentur, nisi ad notitiam cultumque Dei ab universali consensu, nec non a natura ipsa et rationis usu fuissent adducti? *Hominum enim commenta delet dies*, ut graviter Tullius, *naturæ vero judicia confirmat*. Quod addunt de tonitru aliisque phœnomenis, id ostenderet, ex naturæ contemplatione usuque rationis homines in Dei cognitionem rapi. Quamquam falsum sit, fulmina tantum, ut fabulatur Petronius, et non potius, præter universi Orbis consensum, ipsum rerum ordinem, syderumque aspectum ad Deum colendum et adorandum validius homines erexisse. Quod vero athei reponunt; Non posse populorum consensum hanc Dei existentiam probare; quia si quid ostenderet, deorum demonstraret pluralitatem; qui cum sit error maxime absurdus, consensus iste aut nihil probaret; aut probaret errorem: Dicimus, hoc argumento statum nostræ quæstionis inverti. Non enim modo inquirimus, quamnam sententiam de natura Dei gentes habuerint; sed an existentiam agnoverint superioris alicujus divinæ virtutis, qua mundus et humana omnia regantur, ita ut gentes universim nec atheæ, nec materialistæ extiterint. Illa itaque gentium sententia ostendit, in agnoscenda aliqua divina virtute consensisse, et in admittenda superiore aliqua providentia, atque Ente Summo scelerum vindice ac virtutes remunerante. Quæ populos admisisse, Templa testantur ubique erecta, sacrificia, juramenta, Campi Elysii, Tartara et alia. Deinde licet gentium vulgus erro-

re ductum deorum pluralitatem supponeret, non omnes tamen in eadem numina consentiebant, nec omnes, nec semper in eo errore fuerunt; atque supremum semper numen agnovere, qui cæteris diis et toti universo imperaret. Videantur infra Num. XXIII. et XXIV et Sup. Num. VIII.

X. Alterum itaque argumentorum genus, quibus invictè Supremi Numinis ostenditur existentia, ex universi hujus consideratione eruitur. Sufficit enim, Mundi harmoniam intueri, ut sanus quisque fateatur, Mentem sapientissimam præseferre atque omnipotentem, a qua condita sint universa, atque in ordinem distributa. Nisi enim plumbei simus, omnia videbimus fuisse effecta, ut aliis alia inservirent. Sola corporis humani structura, imo oculi unius aut auris luculentissimum suppeditat argumentum, ut Mentis præstantissimæ atque intelligentissimæ ea omnia ordinantis potentia eluceat: tanta partium singularum est harmonia, usus, et finis, quibus ad invicem disposita deprehenduntur! Ut exempli causa: cuinam bono lux splendesceret, si objecta non essent, quæ luce collustrarentur eamque reflecterent? cui bono reflexio hæc, nisi oculus ad eam excipiendam præsto esset, aptusque ad objectorum imagines sibi effingendas? cui usui oculus nisi esset nervis opticis mobilissimis instructus, qui motus congruentes ad cerebrum ferrent? sed et cerebrum inutile prorsus, nisi Mens præsens adesset, quæ ex cerebri motibus analogas sibi pareret perceptiones. Idem de sonis atque de odoribus dicendum, si nec aures, nec nares extarent ad eos recipiendos aptas et accomodatas; idem de ci-

bis et potibus nisi animantia adessent organis munita et aucta ad eos edendos, deglutiendos, digerendos, distribuendos, et excreandos. Atque ita de singulis, ut physici satis norunt. Cum itaque unum propter aliud, unumque ad aliud factum et concinne digestum conspiciamus, resque omnes in suos convenientes fines directas, quis non sapientissimi Opificis providentiam fateatur, cujus sunt partes in congruentem suum finem res singulas ordinare apteque disponere?

XI. Quod si ex terrestribus ad cælestia convertamus intuitum, vim quantam hæc demonstratio non erit consecutura? Discimus hinc Planetarum in centrum sui motus gravitatem a nullis mechanicis causis progigni unquam posse, at verò ab imperio tantum et a voluntate pendere Supremi Artificis, *Qui statuit ea in æternum et in sæculum sæculi, præceptum posuit et non præteribit*, uti Psalmista canebat *Psal.* 148. Id Newtonus etiam confessus est astronomorum facile princeps; qui agnovit quoque, mundanum systema continua instauratrice manu sui Opificis indigere, ut in ordine perseveret. Recte igitur Tullius hinc conficiebat *de Divin. l.* 2. *Esse præstantem aliquam æternamque Naturam pulchritudo mundi ordoque rerum cælestium cogit confiteri.* Et Libro II. de Natura Deorum *Cap.* 2., *ne egere quidem oratione* id ajebat: *Quid enim*, inquit, *potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam, esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?*

quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium eum dicere Ennius,

.... Patrem divumque hominumque

et præsentem ac præpotentem Deum? Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim hoc illo evidentius? quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse .... opinionum enim commenta delet dies: naturae judicia confirmat.

XII. Etiamsi vero hæc veritas tantæ sit evidentiæ, habent tamen Divinitatis osores, quæ contra hæc argumenta objiciant. Nam ex quo adæquatam non habemus totius naturæ notitiam; aut etiam ex quo in aliquibus universi partibus inordinata quædam et noxia nobis appareant, nolunt ex mundi aspectu posse deduci, opus esse causæ intelligentissimæ. Quibus reponendum, et ad 1. Non esse necessariam cognitionem totius naturæ, ut certò judicemus, eximium in mundo ordinem dominari. Satis quippe fuerit, quod ille in multis et præcipuis ejus partibus elucescat. Ita unica cælorum harmonia abunde sufficiat oportet, ut vidimus, ad supremum ejus dignoscendum Opificem. Igitur sicuti nemo nisi mente captus inficiari posset, horologium ab intelligente artifice fuisse compactum, licet structuram illius non penitus intelligeret; ita sanus nemo de hujus universi artificio et ordine posset ambigere. Quæ vero inordinata videntur, ex nostra id

ignoratione pendere sæpe physici demonstrarunt; quo enim magis rerum dignoscitur dispositio, eò etiam magis illarum ordo conspicitur, ut in admirationem non rarò physici ipsi rapiantur. Quare si universa rerum compago haberetur comperta, omnes quæ nobis videntur *anomaliæ* evanescerent, et perfecta rerum elucesceret harmonia. Physica etiam quæ nobis mala apparent, nec non noxia quæque, multæ sunt utilitatis et usus in mundo, ex quibus de incompertis prudenter est judicandum. Quod si plura nobis noxia fiunt, ex pravo usu, nostraque imprudentia sæpe id contigisse constabit.

XIII. Ineptum vero est, et prorsus absurdum quod addunt de atomorum concursu. Posita, inquiunt, existentia atomorum a tota æternitate, in infinitis earum jactibus mirabilis ordo, quem conspicimus, tandem prodire potuisset. Vanam tamen ludunt operam Adversarii precariis hisce hypothesibus, quæ adeo ipsis plebeis philosophis sunt indignæ, ut ipsi Tullio antiquitus stomachum moverint. Etenim data ipsis etiam falsa hypothesi, et atomis positis, cum hæ sint ad motum et ad quietem indifferentes, seipsas nunquam movere potuissent, multoque minus per diversos plane motus et vires in hunc se ordinem componere et conservare; ad quod viribus sæpe oppositis, iisdemque constantibus indiguissent, nec non inflexionibus modo rectis modo curvilineis. Deinde atomi cum æternæ fingantur ac independentes, uno tantum modo esse quivissent, unoque motu tantum instructæ; quod non contingit. Præterea se pro lubito atomi contra hydrostaticæ leges ordinassent, ut

in corporibus animantium patet, in quibus leviora inferiorem partem, graviora superiorem tenent. Supponitur insuper, innumeras atomorum texturas brevi fuisse dissipatas; hanc tamen, licet in perpetuo conflictu, constantem permanere. Denique asseritur, ex materia bruta, ex casu cæco et improvido, non ordinem modo, harmoniam et finem rerum, legumque constantiam, sed intelligentiam quoque ac rationis lumen in homines effluxisse. Verum effectus cum suis causis proportionati sint oporteat, non majores aut præstantiores, ut in absurda hypothesi confinguntur; quanam ratione ex atomorum concursatione ea omnia prorsus miranda prodiissent? *Si mundum*, ut ipse Tullius animadvertebat *de Nat. D. Lib.* 2. *c.* 37. *efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur urbem, cur templum non potest, quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora?* Sed quomodo mentem, quomodo ingenium progignere potuissent? Cum itaque gratis hæc assumantur, ac sine sufficienti ulla ratione et causa, non nisi deliram et impiam atheorum pervicaciam testantur.

XIV. Tertium modo ad veritatem hanc demonstrandam est indigitandum genus argumentorum quæ ex metaphysicis axiomatibus conficiuntur; Ut exempli gratia, *Quod nihil sit sine sufficienti causa suae existentiae: quod ex nihilo nihil fiat*, ex nihilo nempe sive causæ sive subjecti: *Quod contingentia existant*, ex quibus ad Ens æternum et increatum deveniendum sit. Id præterea ex rerum possibilitate educitur. Nihil enim foret possibile, nisi causa existeret adæquata a qua fieri posset. Hinc facta hypothesi, quod nihil a

tota æternitate existeret, sequeretur, ens quodcumque esse impossibile. Ita si statuamus hypothesim, solam extare materiam sine motu, aut non extare rem cogitantem; cum ex nihilo nihil fiat, et nemo det quod non habeat, aut plusquam habeat; erit hinc motus impossibilis, et impossibilis erit cogitatio. Verum ut ex intima nostra conscientia constat, existit ens cogitans; ut igitur existat Ens æternum cogitans, necesse est. Hoc argumento olim Socrates utebatur apud Tullium *Lib.* 2. *de Nat. D. cap.* 6. *et* 7. *Ex ipsa hominum solertia*, inquiens, *esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem ac divinam existimare debemus: Unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates ... Nec enim invenietur unquam, unde ad hominem venire possit, nisi a Deo;* ut addit in *Tusculanis Lib.* 1. *cap.* 27. Præterea, ut Chrysippus ratiocinabatur apud eundem Tullium *de Nat. D. L.* 2. *c.* 6 *Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit; est certe id, quod illud efficit, homine melius: atqui res caelestes ... ab homine confici non possunt; est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? ... Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se putet, desipientis arrogantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto Deus*. Jam vero Ens hoc melius hac rerum contingenti universitate, cum necessario existat, utpote in quo ratio sit sufficiens existentium omnium et possibilium; hoc, inquam, Ens æternum, intelligens ac potens perfectiones omnes possibiles comprehendere de-

bet, ac scientissimum et providentissimum esse, atque propterea sibi ad beatitudinem sufficientissimum. Tandem hoc Ens summum et optimum nequit esse corporeum, cum corpus sit limitibus circumscriptum, et ex multis constet partibus in quas dividitur: quare non esset unum sed multiplex ac propterea limitatum et imperfectum; quod Enti independenti ac necessario repugnat. Existit ergo Mens æterna, ab omni materiæ compage sejuncta, omnipotens, beatissima, atque id est Deus. Hæc autem ita rectæ rationi consentanea sunt, ut hanc Dei absolutissimam perfectionem ipsi gentiles philosophi nobiliores aliquantisper noverint, ut supra (N. V.) innuimus.

XV. Desipiunt ergo Dei osores, cum ajunt, repugnare hujus perfectissimi Numinis existentiam, cui tribuamus proprietates, quæ stare simul non possint; ut esse immensum et inextensum, immutabile et liberum, totum in toto universo et in singulis partibus totum; insaniunt, inquam: nos enim eas proprietates ob independentem sui existentiam Deo vindicamus, qui cum debeat ab æterno et a seipso existere, nullam potuisset sui limitationem pati. Quis enim limitibus cum circumscripsisset? Num ipse semetipsum limitasset, mancum et imperfectum constituisset? Cum eas itaque proprietates Deo asserimus, eas ita ipsi tribuimus, ut una non destruat alteram, aut alteri non adversetur. Pudeat atheos, uti argumentis ab ignorantia ductis, et quæ demonstrantur invictè, fallaciis puerilibus oppugnare.

XVI. Sed hanc veritatem principem rursus theomachi impetere pergunt, dum contendunt, impossi-

bilem non esse infinitam seriem entium contingentium invicem sibi succedentium, in qua nullum sit initium invenire; ut hinc non sit necesse, ad ens aliquod necessarium confugere ad existentiam contingentium explicandam. At illam interminatam seriem gratis adstruunt adversarii. Quodlibet enim ens vel contingens est vel necessarium: vel est factum vel non factum. Verum in entibus factis tota ratio sufficiens suæ existentiæ est in causa a qua sunt; alioquin illud esset contingens simul et necessarium; quod contradictionem involvit. Itaque series infinita contingentium sine Ente necessario a quo pendeant, est impossibilis. Cum enim cujuslibet contingentis ratio sufficiens existentiæ sit in alio, necesse est, ut id sit totius entium seriei. Abnegato autem Ente necessario, ratio hæc esset in nihilo, sive nulla omnio, ut liquet; atque ita effectus poneretur sine causa, vel sine sufficienti ratione, quod est impossibile. Acutè quidem instant adversarii, vitioso nos argumento uti, quod a *sensu distributivo ad collectivum*, nempe a partibus ad totum non valeat illatio, unde ex quo singula mundi entia solitariè accepta sint contingentia, inferri nequeat, universam entium congeriem collectivè assumptam contingentem esse et ipsam. Verum sophistice id regerunt. Nam vitiosa tunc est inductio a particularibus ad universale cum de attributis agitur *accidentalibus*, de iis maxime, quæ ad quantitatem pertinent; non vero cum de *essentialibus* sermo est, et ad rei naturam spectantibus. Quare cum singulis materiæ partibus contingentia sit essentialis, recte inferretur: quilibet lapis ens est materiale et contin-

gens, tota ergo lapidum moles materialis et contingens est: quod in accidentalibus non concludit, ut: singuli lapides sunt parva moles, ergo totus acervus lapidum moles parva est. Ita quilibet miles licet non sit exercitus, tamen de essentiali proprietate rectè colligitur: Quilibet miles est homo; ex hominibus ergo exercitus totus conflatur.

XVII. Rursus hinc cavillantur: Etiamsi determinata figura et extensio sit corpori contingens, inde tamen non fit, ut corpus esse possit absque extensione aut figura ulla: quare licet singula mundi entia forent contingentia, non sequeretur, contingentem fore universam entium collectionem. Hæc tamen argumentatio pluribus et ipsa fallaciis obnoxia est. In posita enim paritate fit transitus a *sensu diviso* ad *compositum*, ut ajunt, et a possibilitate ad existentiam; qui modi argumentandi omnes inter sophismata et fallacias recensentur. Extensio itaque si fuerit proprietas corporis essentialis, extensio erit idem cum corpore; ut si ponatur corpus, tunc ex suppositione et in concreto etiam extensio ponetur. At corpus potest esse aut non esse, adeoque extensio quoque esse poterit aut non esse, ut sit propterea contingens. Extensio itaque seu figura sequitur corpus in sua essentia possibili ac intelligibili; non verò in reali sua existentia nisi in hypothesi, quod corpus creatum sit; tunc enim ex suppositione tantum extensio erit corpori necessaria. Ita dato quod singula mundi entia contingentia sint, contingens quoque erit entium omnium collectio, quod etiamsi existat, tamen existit ex suppositione tantum, quod a Deo libere creata sit.

Verum hæc hypothetica existentia est existentia contingens, quæ neque in partibus neque in toto necessaria fingi potest. Sed et hæc in hypothesi dicta sunt, quod extensio sit de essentia corporis. At licet corpus naturale, sive in præsenti hac rerum constitutione locatum, extensione donatum esse debeat, absolute consideratum ea tamen spoliari posse, quin suam amittat essentiam, inter philosophos non pauci contendunt.

XVIII. Contra hæc argumenta omnia sunt, qui ajunt, humanis rationibus demonstrari Dei existentiam non posse, cum Apostolus Paulus statuerit, eam non ad scientiam, sed pertinere ad fidem, qui *ad Hebræos XI. 6.* inquit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est:* At quæ sunt fidei objectum nequeunt ratione ostendi; ac propterea neque Dei existentia, quæ objectum fidei est. At est considerandum, humanis rationibus et intrinsecis ea demonstrari non posse, quæ sunt objectum fidei pro omnibus; non tamen de iis argumentum concludit, quæ pro aliquibus tantum esse possunt fidei objectum; ut si quis adeo stupidi esset ac tardi ingenii, qui ex principiis communi consensu cognitis illationem adeo facilem inferre non posset, nempe, quod Deus sit. Cæterum Apostolus non de qualicumque loquitur divinitatis cognitione, sed de cognitione veri Dei, qui in pluribus debet esse fidei objectum. Quinimo Deus ipse est pro omnibus ob diversos respectus objectum fidei simul et scientiæ. Est enim scientiæ objectum ut auctor est naturalis, fidei vero ut auctor supernaturalis est. Quilibet ergo in vera Religione ad Deum

accedens, etiamsi esse Deum scientia et demonstratione teneat, oportet tamen, ut eum etiam credat donorum supernaturalium et cælestis Revelationis auctorem. Revera Apostolus gentiles philosophos Deum uti naturæ auctorem cognovisse luculenter affirmat *ad Rom. I.* 19. ubi ait: *Quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles*. Tandem cum perpetua ab orbe condito traditione universum humanum genus Dei cognitionem præcipue hausisse tenendum sit (ex Num. VIII.), et ea, quæ ediscuntur ex communi consensu, non improprie credi affirmentur, hinc recte dixit Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Nam Deus ipse nequidquam passus esset, ut sui cognitio hominibus adeo necessaria a rerum eventu penderet, aut ab hominum socordia et vanis eorum disputationibus; sed initio temporum seipsum hominum generi manifestavit, et ne ab eorum animis unquam deleretur sui cognitio, eam subinde posteris multifariam patefecit, et undequaque diffundi jussit; ut ex hac perenni traditione usu rationis ac naturæ aspectu confirmata unusquisque Deum omnium conditorem et Dominum suum agnosceret.

XIX. Quærenti itaque, utrum a nemine, qui rationis usum adeptus sit, Deus citra culpam, sive invincibiliter ignorari queat; Respondendum est. 1.° Non

posse omnino ab iis qui in qualibet societate vitam degunt; cum Dei notitia valde ubicumque divulgata sit, atque societas ipsa absque ea notione stare non possit. 2.° Impossibile videri, ut omnimode ignorari posset Deus ab iis etiam qui in sylvis ab hominum commercio vixerint segregati. Nam Dei notio tam facile concipitur, ut illa concipiuntur principia: *Nihil fit sine causa: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* quæ statim intellectis terminis admittuntur. Ita cum plura objecta ac miranda, quæ mentem uniuscujusque percellunt, a se facta et ordinata non fuisse, quisquis rationis compos agnoscat; nemo esse poterit quamtumvis agrestis, si tantisper attentionem adhibeat, qui non inde Supremi Opificis existentiam valeat inferre. *An cum machinatione quadam*, ut ratiocinabatur Tullius *Lib. II. de Nat. D. cap.* 38., *moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videmus constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute, et conservatione rerum omnium, dubitabimus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* Quod Regius Psaltes multo antea eleganter pronuntiaverat Psalmo XVIII. *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Quasi cæli voce donati de hac veritate hominibus testimonium dicant. Et quidem invincibilis ignorantia habetur ea, quæ mediis naturalibus et ordinariis Dei auxiliis vinci non posset, quæque propterea a peccato et a pœna

excusat. Verum sub Deo providentissimo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. c. I.), nemo est adeo quovis lumine destitutus, qui se lege aliqua naturali obstrictum non sentiat, quæ per seipsam in Dei cognitionem ducit: nemo, qui ex admirando rerum aspectu earum conditorem rectoremque non videat, ut per Apostolum inexcusabiles habendi sint, qui Deum ignorent (supra Num. XVIII.) Id enim *Deus illis manifestavit.* Quare Divinitas non potest invincibiliter ignorari. Hinc ab Alexandro VIII. damnata est assertio, quæ *peccatum philosophicum* adstruit pœna et culpa vacare, illud nempe, quod ex ignoratione Dei patraretur. Frustra ergo exempla adducuntur sive juvenis cujusdam in sylvis inventi, qui neque loqui noverit, nec quidquam de Deo suspicatus sit, sive rudium, qui nequeant demonstrationem assequi effectus a causa. Nam 1.° Exempla singularia et ambigua rem nequeunt tantam oppugnare. 2.° Nemo est adeo agrestis ac stupidus, aut omni naturæ lumine orbatus, qui si conscientiæ vocem et cordis impulsum audire voluerit, non facile supremum sui Auctorem agnoscat ac sentiat; ut si talis forte daretur, aut esset inexcusabilis habendus, aut inter homines non recensendus esset.

CAPUT II.

DE UNITATE DEI.

XX. Maximi momenti est, ut post demonstratam Supremi Numinis existentiam, cæteræ ipsius perfectiones, ac illius præsertim Unitas claro in lumine collocentur; nam a Dei Unitate ejus proprietates reliquæ sua sponte dimanant. De hac ergo singulari proprietate Divina providentia sollicita fuit semper, ut ea cognosceretur ab omnibus, et ab electo populo præ cæteris coleretur. Quare in Deuteronomio *Cap. VI.* 4. graviter hoc dogma servandum præcipitur: *Audi Israel: Dominus, Deus tuus, Dominus unus est*. Itaque in Sacris Literis nullum dogma reperire est eo solemnius. Huic tamen antiquitus, ut notum est, plures gentes refragatæ sunt, et nonnullæ barbaræ nationes etiam modo adversantur diversa numina diversis ritibus honorantes, quæ idololatræ sive polytheistæ vocantur, licet in aliquo supremo numine cognoscendo omnes fermè sponte sua convenirent. Inter polytheistas Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi recensentur, de quibus infra sermo erit. Notandum verò, aliquid duplici sensu unum dici, *affirmativè* nempe, et *negativè* sive *exclusive*. Priori sensu appellatur *unum*, quod est in se indivisum, et divisum a quolibet alio, quorum plura sint ejusdem naturæ et ordinis, ut Angelus, Homo, Leo etc. et hæc est *specifica* unitas, de qua modo non agitur: alio sensu *unum* dicitur exclusive, quod nempe est

unicum et cujuslibet sibi æqualis consortium ita excludit, ut sit singulare, quemadmodum Deum esse ostendimus; atque hoc sensu ajebat Deus ipse *Deuteron. cap.* 32. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me*.

XXI. Hæc autem Dei unitas triplici et ipsa argumentorum genere demonstratur. Et 1.° rationibus metaphysicis. Nam plures dii vel essent ab uno supremo dependentes, et tunc veri dii non essent: Vel independentes, ac tunc oporteret eos differre; aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri; quod si esset, alteri eorum deesset perfectio, deessent enim illi alterius proprietates; et sic, ille in quo esset privatio, non esset omnino perfectus; non ergo esset Deus. Est igitur impossibile, ut sint plures dii. 2.° Deus est Ens necessarium: sed non est necessarium nisi unum, in quo nempe sit ratio sufficiens omnium existentium et possibilium; At hujusmodi ens unum tantum sufficit; alterum ergo esset inutile et supervacaneum, et posset concipi non existere, quod Enti necessario repugnat. 3.° Si plures essent independentes dii, summa potentia et libertate fruerentur; posset ergo unus in suis operibus et voluntatibus impediri ab alio, ut non esset omnipotens et liber, quod maximè Deum dedecet, eumque miserum redderet; unde neque Deus esset. Itaque ut animadvertit S. Thomas *P. P. quæst. XI. art.* 3. Philosophi principium statuentes infinitum, unum tantum Principium posuere.

XXII. Physicis argumentis præterea hæc veritas demonstratur, quæ nempe ex aspectu universi, ejusque ordine ac fine hauriuntur. In hoc enim Universo

videre est, omnia in unum finem directa esse, et aliis alia deservire. Hæc autem in unum ordinem non convenirent, nisi ab uno aliquo ordinarentur, ut ibidem observet S. Thomas. *Nam quæ multa et diversa sunt, melius in unum ordinem rediguntur per unum, quam per multa, quia per se unius ordinis una est causa, et multa non sunt causa uuius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum, et per se, non per accidens, oportet, quod primum reducens omnia tam varia tamque diversa in unum ordinem sit unum tantum, et hoc est Deus.* Consulantur quæ Num. X. dicta sunt. Cæterum demonstrato Deum existere, ut eum supra definivimus Num. IV. jam ipsius unitas per se clara est. Positum vero argumentum ita egregie amplificabat Boetius. *Lib.* 3. *de Consolatione Philosophiæ Prosa* 12. *Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi Unus esset, qui tam diversa conjungeret: Conjuncta verò naturarum ipsa diversitas invicem discors dissociaret atque divelleret, nisi Unus esset, qui, quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi Unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret.*

XXIII. Libet præterea argumentum hoc populorum consensu confirmare. Communis revera et vulgaris inter Gentiles sententia erat, Unum esse Deum summum omnium deorum et hominum Regem ac Patrem,

ex quo universali sensu Virgilius in 1.° Æneidos exclamabat:

.... O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis et fulmine terres.

Quod ab Homero sumptum est, a quo Supremum Numen passim appellatur, Πατηρ ανθρωπωντε θεωντε. Cæteros vetustiores poetas græcos in eadem sententia concordes habemus; præter enim Orpheum, Linum, Musæum, quorum præclara dicta a fastidiosis criticis suspecta haberi possent, celebres sunt senarii versus Sophoclis ab Justino Martyre, Athenagora, Clemente Alexandrino, Cyrillo, et Eusebio prolati, nempe:

Ἑις ταις αληθειαισιν, Ἑις εστιν Θεος,
Ὃς ουρανον τ' ετευξε, και γαιαν μακραν,
Ποντου τε χαροπον οιδμα, κανεμων βιας.
Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Qui cælum et amplum condidit terræ globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.

Dehinc pergit poeta, vulgique aspernatur superstitionem in pluribus diis sibi confingendis et in eisdem sacrificando. Euripidis quoque auctoritatem in rem hanc profert Cicero *de Nat. D. Lib.* 2. *c.* 25. cujus versus latinè reddit, inter quos habet:

Hunc summum habeto divûm, hunc perhibeto Jovem.

Vult autem, quod latine Jupiter sit dictus, quasi *juvans Pater*. Sed multo ante Hesiodus apud Clementem Alex. canebat

Αυτος γαρ παντων βασιλευς, και κοιρανος εστιν
Αθανατων τε, οι δ' ουτις ερηρεισται θεος αλλος.
Ipse etenim rex cunctorum, dominusque gubernat
Numina, non Deus huic alter contendere possit.

Græcorum poetarum agmen, ne plures percenseamus, claudat Aratus, qui sui Poematis initio unum ac summum Deum agnoscit, quem placare omnes nituntur.

Τῷ μιν ἀεὶ πρῶτον τε, καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.
Χαῖρε Πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ᾽ ἀνθρώποισιν ὄνειαρ
Quem placare ideo primum extremumque laborant:
O Mirande Pater! Salve, valde utilis orbi.

Grotius autem vertebat

Idem ergo primus placatur et ultimus idem:
Magne Pater, Magnum mortalibus incrementum.

XXIV. Cum poetis græci philosophi concinebant, Pythagoras præsertim, Thales, Socrates, Plato, Aristoteles, quorum testimonia apud Petavium *Theol. Dogmatum Lib. I.* videre licet. Thales Milesius, exempli causa apud Laertium *Lib. I. seg.* 35. antiquissimum omnium quæ sunt, Deum esse affirmabat, quia sit ingenitus; post quem pulcherrimum omnium sit Mundus, cum a Deo conditus fuerit: Πρεσβυτατον των οντων, Θεος: αγεννητον γαρ: Καλλιστον κοσμος: ποιημα γαρ Θεου. Aristoteles vero Platonem impense laudat, quod juxta vetustas traditiones senserit, *Deum comprehendere principium, finem, mediumque rerum omnium*. Καταπερ και ὁ δη γενναιος Πλατων φησιν: ὁ δη Θεος, ὡσπερ ὁ παλαιος λογος, αρχην τε, και τελευτην, και μεσα των οντων ἁπαντων εχων. Hæc de græca philosophia sufficiant, cui latina consentit, in qua Tullius et Seneca excellunt. Et M. Tullii gravissimas sententias sæpe audivimus, sed unam afferre præstat ex Opere *de Republica* recenter a Cl. Majo e membranis vetustis eruto, ubi *Lib. I. Cap. XXXVI* hæc de uno Deo

principe habet: *Imitemur Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens, ab Jove incipiendum putat.... ut rite ab eo dicendi principia capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique uno ore consentiunt.... ut rex putaretur unus esse in cœlo, qui nutu, ut ait Homerus, totum olympum converteret; idemque et rex et pater haberetur omnium; magna auctoritas est multique testes; siquidem omnes multos appellari placet*. En omnium consensio in uno Deo agnoscendo. Seneca vero, ut alibi Cicero, aliique veteres non pauci, varia deorum nomina unius Dei nomina esse sua potestate variè utentis docet *Lib. 4. de Benef. c. 7. Quoties voles* (inquit) *tibi licet, hunc Rectorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus esse possunt, quot munera: hunc et Liberum patrem, et Herculem, et Mercurium nostri putant. Sic hunc Naturam voca, Fatum, et Fortunam: Omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate*. Hinc Poetæ Latini in eandem doctrinam mirifice consentiunt, ut Ennius, Virgilius, Ovidius, aliique. Nam Ovidius exordium rerum eleganter describens ex Veterum traditione paulum licet immutata, Supremum Opificem universa componentem et ordinantem inducit *Lib. I. Metamorph.* inquiens:

Hanc Deus, et melior litem Natura diremit.

et infra:

Ille Opifex rerum mundi melioris origo.

Audiatur et Manilius, qui *Lib. I. Astronomicon* inter alia hæc habet:

. . . . . . *Omnia toto*

Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur. Hic igitur Deus, et Ratio, quæ cuncta gubernat, etc. Merito itaque Veteres Christiani ex ore proprio Gentiles revincebant, inter quos Minutius Felix *in Octavio* scribit: *Audio vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt: et Deus magnus est: et Deus verus est: et si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* Similia habent Arnobius *Lib. 2. adv. Gentes*, et Lactantius *Lib. 2. Div. Inst.* Hoc item argumentum fusè pertractat Tertullianus in Libro, *De testimonio Animæ*; qua de re *in Apologetico Cap. XVII.* exclamat: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Huic ergo refragari veritati, impiæ et insolentissimæ insaniæ est; idque præsertim post annuntiatam universo Orbi et confirmatam innumeris argumentis divinam Revelationem, ut immane crimen esset his nostris temporibus iterum in polytheismum prolabi. Hæc enim Dei Unitas tantæ est evidentiæ, ut ea per Evangelii prædicationem hominibus declarata, statim Orbis universus eam agnoverit, et constanter confessus sit.

XXV. Sed hanc demonstrationem ex communi consensione deductam polytheismi patroni infirmari ajunt ab universali ferme opinione, qua dii plures agnoscebantur ejusdem naturæ divinæ participes, præsertim qui dii majorum gentium dicebantur, inter quos divisum rerum omnium imperium volebant. Reponimus tamen, nos non diffiteri, rudem populum superstitionibus præoccupatum in eam absurdam devenisse opinionem sive ex ignorantia, sive etiam ex

astutia quorundam hominum, ut jam a viris doctissimis ostensum est. Verum 1.° in eo quod præcipuum est concordabant omnes tum plebs, tum philosophi veteres, in supremo scilicet Numine confitendo, a quo res omnes, et ipsa deorum turba penderet, ut abunde vidimus. 2.° Non omnes nationes in iisdem numinibus admittendis, nec in eadem opinione de iis habenda consentiebant, ut de re hac universalem auctoritatem non queant parere, uti pariunt in uno Supremo Deo et maximo agnoscendo et invocando. 3.° Non semper in eo errore pluralitatis deorum gentes, neque ubique fuere; nam ab initio quo propius aberant ab ortu et a sua origine, ut animadvertebat Tullius *Tusc. qq. lib.* 1. c. 12., puriores quoque sententias habuere. Hinc primitus per plura sæcula unum tantum Deum coluere, et subinde populi non pauci se immunes ab idololatria servarunt, ut Hebraei, Sabæi, Ninivitæ: imo Delphis etiam in fronte Templi celebris ea inscriptio legebatur: ΕΙΣ ΕΙ: *Unus es*; quo Dei unitas et essentia significabatur; de qua inscriptione liber extat Plutarchi, cui titulus Περι το ΕΙ: in quo præclara habet de Unitate Dei ejusque Essentia, et concludit, ea formula *Tu es*: nempe, Tu es ille qui vere existentiam non ab alio sed a temetipso habes; ait, inquam, *hac phrasi Deo nos propriam et congruentem salutationem reddere*.

XXVI. Præterea adversus hanc Dei perfectionem, ab ipsis Ethnicis saltem confuse sed generatim cognitam, opponebat Hortensius, urgebatque argumentum ab imbecilli nostra deductum ratione, quod apud Ciceronem habetur: *Si enim Deus unus est,*

ajebat, *quæ esse beata solitudo queat?* Non intelligebat nempe, Ens perfectissimum, quod nullo indigere posset, ad æternam felicitatem sibi sufficientissimum esse debere; alioquin neque perfectus Deus esset, et ab alio ut foret beatus penderet; quæ certè Enti necessario et independenti repugnant. Perperam igitur ad illud exempla detorquentur aut hominum aut Angelorum, qui cum limitati sint a consortio sociorum auxilium et felicitatem capere possunt. Hic etiam urgent nonnulli Scriptores Sacros a quibus interdum plures dii nominantur; ut cum Psalmo 81. ait Dominus: *Ego dixi dii estis, et filii Excelsi omnes: Et alibi Deus stetit in synagoga deorum*. Apostolus etiam 1. *Cor.* 8. 5. habet: *Sunt dii multi, et domini multi; nobis tamen Unus Deus*. Quibus facile satisfieri potest. Nam in priori textu vocantur dii latissimo sensu, quatenus Judices aut Prophetæ, de quibus sermo est, vel Deum repræsentant, vel Dei spiritu sunt aliquando afflati; ut explicat Christus Dominus apud Joannem in Evangelio, inquiens ita a minori ad majus argumentando: *Si illos dicit deos ad quos sermo Dei factus est ... quem Deus sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum*. Altero autem loco loquitur Apostolus ad mentem cæcorum gentilium, qui plures sibi deos fingebant; quare ibidem Paulus ait: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi Unus*. Qui verò aut miracula quædam prætendunt, aut Oracula ad polytheismum suadendum, hi risu potius excipiendi sunt, quam serio confutandi; horum enim omnium falsitas pluries jam

ab eruditis ostensa est, ut cum Psalmista concinere debeamus: *Simulacra gentium... os habent et non loquentur oculos habent et non videbunt: Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.*

Plura de existentia et Unitate Dei legere est apud Theologos et Philosophos, ut apud Petavium *Theol. Dog.* T. I. Lib. I. Berti de Theol. Disc. Lib. I. Thomassini *Theol.* T. I. Tournely. T. I. Wolfium in *Theol. Nat.* etc. etc.

CAPUT III.

DUALISMUS ET PANTHEISMUS REFUTANTUR, NEC NON DE TRITHEISMO DISSERITUR.

XXVII. Præcedentium Capitum veluti coronis hoc est habendum, in quo duo turpissimi errores apud minutos sophistas non parum vulgati breviter explodendi sunt; Dualismus nempe et Pantheismus. Prior error licet a criticis nonnullis antiquus valde habeatur, tamen non nisi secundo Ecclesiæ Sæculo a Cerdone, Marcione et Manete disseminari coepit (1). Plutarchus in Libro *de Iside et Osiride*, hunc er-

(1) Zoroaster Persarum Magus vulgo hujus systematis auctor proditur, tempore Darii Histaspidis. Verum ipse nihil docuerat rationi adversum; cum malorum principium posuerit a Deo bono et sempiterno creatum, juxta Sabæorum senteutiam; quod et Apelles dicitur docuisse. At Marcion et Manes æqualia hæc duo principia fecere. Ait Tertullianus *contra Marc.* l. 1. c. 2. Marcionem duos statuisse Deos tanquam *duas symplegadas naufragii sui*. Videndi Th. Hyde. *De Relig. vet. Persarum.* Humph. Prideaux, Anquetil *Zend-Avesta*, etc.

rorem inde ortum scribit, quod cum non viderent homines, quomodo a Deo summè bono mala in mundo esse possent, hinc arbitrati sint, duo esse rerum principia, Bonum unum, alterum malum. Hanc absurdissimam opinionem celebrem Manichæi fecere sæculo Tertio, eaque subinde plurium mentes corrupit, ut hac nostra etiam tempestate nonnulli extiterint, uti Baylius, Beausobrius, et alii, qui illius patrocinium sumere non erubuerint.

XXVIII. Hæc itaque duo suprema principia stare omnino non posse, ostendendum est. Nam 1.° Hæc bina principia ab adversariis necessaria ponuntur et a se, ac propterea infinitè perfecta; at principium malum, cum ipsi desint omnes Boni principii perfectiones, imperfectissimum profecto habendum est; non ergo Deus. 2.° Ens necessarium cum sit a seipso nullisque limitibus circumscriptum, summè potens debet esse ac summè felix; sed illa duo principia finguntur se invicem impedire et in continuo esse conflictu in bonis malisque pariendis, ut dolere perpetuo debeant de frustratis effectibus; quare neque potestate, neque felicitate fruentur; sed miseri erunt dii, quod est absurdum dicere. 3.° Ea duo vel æquali potentia gaudent, ac tunc viribus e diametro oppositis sese elidentibus nullus effectus, nec bonus nec malus, in mundo prodibit: vel unum est altero validius, et tunc aut bona tantum, aut mala in mundo regnabunt; quod non contingit. Non ergo duo illa principia ita conficta existunt. Neque dici posset, ea duo principia pactum inter se inivisse, ut modo unum dominaretur, modo alterum quiesceret, atque ita vicissim bona aut

mala regnare. Nam si principium Bonum sinere potest ut invelescant mala; jam ad malorum explicandam originem incassum fingeretur principium malum quod necessario existeret.

XXIX. Sed audiendum, quid Manichæi proferant, ut monstrosum hoc systema sustentent. Ajunt 1. Sacras Literas huic opinioni favere, ut *Ecclesiastici Cap.* XXXIII. 15. ubi legitur: *Contra malum bonum est ... duo et duo, et unum contra unum*. Et Cap. XLII. 25. *Omnia duplicia, unum contra unum*. Quo testimonio Waldenses usi sunt Manichæorum discipuli. 2. Amos Cap. III. 31. habet: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. 3. Paulus 2. *Cor. IV.* 4. scribit: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*. 4. Apud Joannem quoque *Cap. XII.* 31. legitur: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Ex quibus aliisque male intellectis inferebant, esse aliquod summum malum quod omnis mali causa sit et origo. Imperitè ea tamen Manichæi objiciebant, Ad 1. namque Ecclesiasticus non loquitur de quoddam principio malo, sed de malis quæ bonis opponuntur, sive de hominum perversitate, ut ex contextu liquet. Dicitur enim ibi: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita: sic et contra virum justum peccator: Et sic intuere in omnia opera Altissimi: duo et duo, et unum contra unum*. Eodem in sensu accipienda sunt, quæ ex alio textu afferuntur. Ad 2. Verba Amos de malis poenæ sunt explicanda, quæ a Deo bono simul et justo, criminumque vindice meritò infliguntur, ut apud Jsaiam Cap. XLV. 6. ipse testatur: *Ego Dominus et non est al-*

ter , *formans lucem et creans tenebras , faciens pacem et creans malum* . Ad 3. et 4. Ea quæ adducuntur, sunt utique ad diabolum referenda, qui dicitur deus hujus sæculi non natura sed ex hominum æstimatione qui juxta sæculum viventes, ei serviunt suumque deum habent; eo modo quo Apostolus alibi *ad Philipp.* 3. 2. de mundanis loquitur „ *Quorum deus venter est* „ .

XXX. Recentes Manichæi cum antiquis rursus objiciunt: Intelligi non posset, undenam tot mala culpæ orirentur, si unus tantum esset Deus bonus atque omnipotens, qui ea non vult et impedire potest; quod facile intelligitur altero admisso deo malo ac sævo, cujus malitia vincatur Deus bonus. Verum hæc ut ut difficilis solutionis in tot absurda pertrahere non debent. Nam 1.° Dei Unitas evidentibus ostenditur argumentis: at evidens ab obscuro, sicut nec certum ab incerto, labefactari non potest aut tolli. Quare licet malorum originem explicare non possemus, inde minime sequeretur, absurdum esse admittendum Dualistarum principium. 2.° Hi præterea in difficultates labuntur multo majores, dum principium malum fingunt, quod sit causa necessaria cujusvis mali; hæc enim hypothesis nihil minus quam utrumque deum tollit: tollitur præterea quodcumque malum culpæ, nam voluntates humanæ ineluctabili necessitate a deo malo in peccata impellerentur; quod autem necessariò fit, malum morale seu peccatum non est. Hinc Simplicius in Caput XXXIV. Epicteti recte observabat; qnod Dualistæ *festive suo se gladio, ut dicitur, jugulantur, nam inde colligitur, si mali principium*

sit, nullum esse omnino malum: si vero malum non est, nec principium quidem mali esse. Quare concludit Arnobius *Lib. VII. adversus gentes*: Posito duorum principiorum systemate omnem sublatum iri Religionem: *Ut quid enim Deo bono preces dirigamus ut prosit, cum ille nonnisi prodesse possit: Et quid placemus deum malum, cum natura sua malus et inexorabilis non possit non nocere?* 3.° Malorum origo a natura pendet creaturarum, quæ imperfecta et limitata esse debet, utpote ab infinita perfectione deficiens. Hoc verò malum est metaphysicum, quod cum Deo summe bono pugnare nequit; nam cum non sint res creatæ infinitæ perfectionis capaces, aut eæ limitatæ creandæ sunt, aut non essent possibiles; quod est experientiæ adversum. Hinc etiam creaturæ rationales et liberæ cum imperfectæ sint, a lege et a rectitudine deflectere queunt; et inde malum morale oritur. Quæ demum mala physica dicuntur, sive ingratæ sensationes, dolores, infirmitates, calamitatesque omnes, ea ex nostro commodo ac utilitate æstimamus, cui omnia vellemus ut inservirent. At iis utitur Deus vel ad virtutes hominum exercendas, vel ad eos puniendos ut ad officium redeant. Sunt ergo instrumenta veræ nostræ felicitatis, ut Dei potius bonitatem commendent, quam ei adversentur. Ita moralia quoque mala Deus sinere, sive non impedire omnino potuit, ut merito ac virtuti daretur locus, atque majus inde exurgeret bonum. Præclare Augustinus *in Enchiridio*: *Deus omnipotens melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere; quia usque adeo bonus est et omnipotens, ut benefaciat*

etiam de malo. Ineptè igitur gloriabatur Bayle, insolubile illud esse argumentum; Naturale enim et absolutum malum nullum esse potest, quia careret omnimoda perfectione; sed mala omnia relativa sunt, eaque dimetiuntur ex remotione a perfectione majori: ita plures substantiarum gradus distinguuntur. Alia ex commodo nostro æstimamus, quæ physica habentur. Moralia verò mala ex abuso libertatis oriuntur; et abusus ex affectibus quibus non dominamur, ut ordinem legemque servemus. Instabat Bayle: Potuisse Deum liberas creatutas ita regere, ut nunquam ab ordine deflecterent; debuerat ergo. Cui concedimus, id quidem de potentia absoluta potuisse; at negamus de ordinaria potentia id decuisse Deum, qui quodcumque facit, eum maxime decuisse censendum est. Nec exempla ab hominibus deducta, qui mala propulsare tenentur, ad Deum referri possunt: Illi enim provisores sunt particulares. Verum Deus cum sit universalis provisor permittit defectum aliquem in suis operibus, ne bonum impediatur totius universi.

XXXI. Superest Pantheismus brevi calamo refutandus. Dicuntur Pantheistæ a duobus græcis vocibus Παν θεος, *Universum Deus*, qui nempe de Natura divina impie sentientes, eam ab hac rerum universitate secernere nolunt; quorum origo etiamsi a Stoicis derivata, eorundemque secta a pluribus sæculis extincta jaceret, recentiores nonnulli ut Spinosa et Tolandus eamrursus ab orco revocarunt; idque tanto cum dedecore, ut si veteres illi ob rerum divinarum ignorationem ex parte excusari possint, hi recentiores in tanta luce veritatis nullam certè veniam mereantur.

Stulta itaque Pantheistarum opinio est, unicam solummodo esse in universo substantiam, quam impie Deum appellant, eamque ex infinita extensione et cogitatione conflatam volunt, ut cætera omnia ejusdem sint substantiæ modi, et ab eadem tum mentes tum corpora necessario dimanent. Stupidus hic et nefandus error in suo ortu ab ipsis ethnicis philosophis reprobatus fuit ac irrisus, inter quos eminet Tullius qui *Lib.* 1. *de Nat. D. c.* 13. graviter scribit „ *Nec audiendus Theophrasti auditor Strato ... qui omnem vim divinam in natura sitam esset censet*. Et ibidem Libro III.... mirabatur, tantam insaniam in quorundam animis insidere potuisse, inquiens; *Ecquem tam amentem esse putes, qui illud quo vescatur, Deum credat esse?* Idem argumentum urgebat Tullius contra Pythagoram *Lib. I. Cap. XI. Nam is*, ait, *qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi caperentur, non vidit, distractione humanorum animorum discerpi et lacerari deum; et cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram; quod fieri non potest. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quomodo porro deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus aut infusus esset in mundo?* Mirum, hæc absona vidisse veteres illos, recentes autem pantheistas post tantum scientiarum incrementum minime videre, aut potius fingere, non vidisse!

XXXII. Revera ex solidis philosophiæ principiis ea deducuntur. Nam 1.° Mundus hic nullis attributis gaudet æternitatis, ut independentia, immutabilitate,

et omnimoda perfectione; quin potius circumscriptus est, plurimisque vicissitudinibus subjectus. Non ergo a seipso esse potest et increatus. 2.° Materia solida est ac iners, et alterius actionibus obnoxia; quæ sanè cum cogitatione et perfectione pugnant. 3.° Cum modificationes et actiones non sint nisi subjectorum et substantiarum, si unica tantum esset in mundo substantia, ei, Deo nempe, omnes essent tribuendæ modificationes; quare sentiret in homine, stupidus esset in lapide, esset lætus simul et tristis, bonus et malus, reus et judex, crimen et pœna, scelus tortor et patibulum; quo quid indignius Deo, quod fingi posset absurdius? Quo argumento hos insanos premebat Augustinus *L. IV. de Civ. Dei Cap. XII.* ubi inter alia hæc habet: *Quod si ita est, quis non videat quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque partem dei calcet, et in omni animante occidendo, pars dei trucidetur? Nolo autem dicere, quæ possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt.* 4.° Nec omittendum, ex hoc errore aliud profluere absurdum; fatalem nempe inde atque adamantinam induci in hominum mentibus necessitatem, ut nulla amplius esset virtus, vitium nullum, neque laus aut vituperium, nec præmium ullum aut poena; quæ non modo omnium gentium consensui, sed et intimo sensui repugnant. Quid enim hæc essent aliud, nisi tot modi substantiæ ipsius Dei, unde ea tollere, idem esset ac velle ipsum Deum immutare, emendare, corrigere? Ridiculum ergo Spinosa se prodit, dum ait, hoc systema confecisse, ut hominum præjudicia convelleret: nonne es-

sent ea modificationes ipsius Dei? Quid ergo? Vult ne ipsum suum castigare deum? Nec quò rueret, videbat? 5.° Denique, Divina Revelatio hæc omnia rejicit et abominatur, quæ hunc mundum docet, non ipsum Deum esse, at vero Dei opus ex nihilo sua voluntate ac imperio eductum: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*.

XXXIII. Absurde igitur Pantheistæ Sacris Literis abutuntur ad suum fulciendum errorem. Ajunt quippe, Apostolum *ad Rom. XI. v. ult.* scripsisse: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei... quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: Ipsi gloria in sæcula.* Et Actorum Cap. XVII. v. 28 ad Athenienses ajebat: *In ipso enim* (Deo nempe) *vivimus movemur et sumus: sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus: Genus ergo cum simus Dei etc.* Ecclesiasticus quoque *Cap. XLIII. v.* 29. affirmat, quod, *Ipse est in omnibus*. Quæ volunt non nisi pantheistice intelligi posse. Sed hæc prava illorum interpretatio cum ex locorum contextu, tum ex ipsa Pauli doctrina exploditur. Sæpe enim clamat Apostolus, Deum omnia sua voluntate ac imperio condidisse, ut *ad Ephesios* 3. 9. *Qui*, inquit, *omnia creavit*: Et alibi: *qui autem omnia creavit Deus est*. Quis ergo tam delirus, ut putet adductis phrasibus Paulum significare voluisse, Deum fecisse seipsum? Anne seipsum fecisset, antequam esset? Cum igitur ad Romanos scribit: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*: Significabat, omnia ex ipso per creationem orta esse, omnia gubernari per ipsum, ac demum in ipso, sive

ut Græcus legit, εις αυτον, in ipsum omnia ut in rerum finem referri; quo sensu ad Ephesios habet, εις επαινον της δοξης αυτου: *In laudem gloriæ ejus*. Qua phrasi nihil illustrius ab Apostolo dici potuerat ad essentiam divinam, et ad hujus Supremi Artificis opera declaranda; quod maxime tunc temporis opus erat, ut veri Dei cognitio gentibus traderetur. Eodem in sensu, quæ Apostolus in Areopago enuntiabat, accipienda esse ex toto contextu liquet: Ανδρες Αθηναιοι... clamabat: *Viri Athenienses... Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli, et terræ, cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat... quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus movemur et sumus... et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate etc.* Prædicat Apostolus, Deum esse Creatorem omnium et dominum universorum, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, quique hominum ignorantiam redarguit, et spondet, quod eos in æquitate judicaturus sit. Quis in hac oratione veritatis plena suspicari unquam pantheismum posset? Anne Creatorem et creaturam, Dominum et servum, Judicem et reum unum et idem esse volebat Apostolus? An voluisset, Deum fecisse seipsum, Dominum esse suiipsius, se ignorantia laborare cognovisse, ad poenitentiam seipsum condemnasse, ac judicaturum semetipsum fore? Quis hæc portenta credat aut dicta ab Apostolo, aut suasa Atheniensibus unquam fuisse? Significabat itaque, ut

ipsa recta ratio dictat, totaque antiquitas intellexit, Deum Ens spirituale perfectissimum atque intelligentissimum, omniumque conditorem *non longe esse ab unoquoque nostrum* per suam incomprehensibilem immensitatem: in ipso nos vivere, moveri, et esse eo sensu, ut ibidem exponit, *quod non indigens aliquo, ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia*, et quod ad nostras operationes concurrat nobiscum cooperando, suaque nos virtute conservando. Sed et observant græcæ linguæ periti, in Greco textu: Εν αυτῳ γαρ ζωμεν: *In ipso enim vivimus etc.* præpositionem εν dandi casui adjunctam in Novo præsertim Testamento per δια sæpe usurpari, ut significet *per, propter, ad, apud, erga*; ut sensus sit „ *Per ipsum, aut propter ipsum vivimus, movemur, et sumus*. Eo sensu accipiendum est, quod ex Arati poemate Paulus usurpat: *Ipsius enim et genus sumus.* Per creationem scilicet et peculiarem Dei providentiam erga nos, ejus filii sumus, ita per emphasim appellati. Nec majoris ponderis est, quod objicitur ex Ecclesiastico. *Ipse est in omnibus*. Significat enim, Deum esse omnium principium et finem, et omnia ejus imperio subesse; nam ibi subjicitur: *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua*. At si super omnia, jam ipse non est omne, quod existit. Grotius verò quod habetur in Græco: Το παν εστιν αυτος: legendum censet: Το παν εστιν αυτου: Nempe, *Omnia ipsius sunt*. Quod per se clarum est.

XXXIV. Non desunt pantheistis alia sophismata. Ajunt exempli causa, Deum, cum sit ens infinitum, debere quamcumque aliam absorbere substantiam ·

Falluntur tamen. Ut enim ea fruatur proprietate sufficit, quod omnem perfectionem *virtualiter ac eminenter* complectatur; nam creaturas *formaliter* continere, idem esset ac earundem defectus et imperfectiones comprehendere; quod est absurdum. Spinosa etiam suam hypothesim super illam abstractam substantiæ definitionem struit, quod nempe, *substantia sit id, quod in se est, et per se concipitur;* atque hinc a sensu *abstracto* ad *concretum* sophisticè gradum faciens inferebat, totum universum substantiam esse per se et a se subsistentem. Sed animadvertere debuerat, ita substantiam definiri, ut ab attributis et modificationibus distingueretur; ita ut in suo abstracto conceptu subjecto non indigeat, cui inhæreat, quemadmodum indigent accidentia; non verò quasi mundanæ substantiæ causa non indigeant effectrice et creatrice a qua fieri debeant. Corruit igitur aedificium adeo labili fundamento constructum. Præterea confundit Spinosa ens, quod dicitur *per se* existere, cum Ente *a se* existente. Hoc quidem causam a qua pendeat, non agnoscit; primum verò tantum non indiget subjecto cui inhæreat.

XXXV. Demum pantheistas non juvant dicta quædam veterum poetarum aut philosophorum. Nonnulla enim quæ ab illis prolata feruntur, aut suspecta et supposititia meritò haberi possunt, aut emphaticè enuntiata ad divinam immensitatem, Deique operationem in creaturas significandam. Prioris generis est versus ille Orphêo aut Lîno adscriptus, quem in *Pantheistico* suo Tolandus jactabat, scilicet: Εκ παντος δε τα παντα, και εκ παντων παν εστιν.

Nempe: *Ex toto quidem sunt omnia, et ex omnibus totum est.*

De his tamen poetis plura afferuntur e diametro pantheismo adversa, ut ille Orphei versus:

Ἑις εστ᾽ αυτογενης, ἑνος εκγονα παντα τετυκται...

quem Hugo Grotius ita vertebat:

Unus is æternus, suntque omnia facta per unum.
sive „ Unicus est per se existens, qui cuncta creavit „

Per emphasim verò dictum est habendum, quod M. Cato apud Lucanum profert *Pharsaliæ Lib. IX.*

Est ne Dei sedes, nisi terra, pontus, et aer,
Et cælum et virtus? Superos quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Nam si ea sunt Dei sedes, non sunt ergo Deus. Per emphasim quoque Virgilium fuisse locutum, cum *Lib. VI. Æneidos* inducit Anchisen ea disserentem.

Principio cælum et terram camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

hyperbolicè, inquam, hæc et alia dixisse, ex pluribus constat, quæ alibi proferre solet, ut cum Lib. x. canit:

Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas.

Et Libro I.

.... O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis et fulmine terres.

Quæ sanè cum pantheismo conciliari nequaquam possent. Quare Virgilius clarè significat, Spiritum esse Supremum Deum, qui omnia regit ac moderatur, omnibusque et motum et vitam impertit. Nul-

lum ergo præsidium ex his pantheistæ aucupari queunt.

XXXVI. Nonnulla modo sunt de *Tritheismo* dicenda. Sunt autem Tritheistæ, qui tres divinas Personas ajunt esse tres Deos sicut in *hypostasi* ita et in *essentia* invicem a se distinctos. Hi antiquitus, ut Sabellianis unicam tantum personam in Deo ponentibus se opponerent, non tres tantum Personas, sed tres etiam divinas essentias secernebant, quæ perfectè inter se æquales ac similes essent; quare *unitati numericæ* essentiæ Divinæ *specificam unitatem* solummodo, qualis est inter plures homines, subrogarunt. Joannes Philoponus sexto sæculo hujus erroris patrocinium suscepisse traditur, qui asseclas paucos invenit. Sed, quod mirum est, non longè a nostro ævo Petrus Fayditius in Galliis, et Placidus Sturmer in Germania in hunc errorem visi sunt impegisse. In Anglia verò cum disputatio quædam inter Sherlockium et Southium ferveret, hunc Sabellianismo, alterum Tritheismo paulum favisse, accusantur. Verum singularem, unicam et numericam essentiam sive naturam in tribus Divinis Personis esse confitendam Catholica semper docuit Ecclesia, quæ ut Sabellianis ita et Arianis constanter adversata est. Calumniantur itaque hodierni Sabelliani sive *Unitarii* cum Ecclesiam Catholicam Tritheismi accusant, ut olim delirabant Ariani cum eam Sabellianismi insimulabant.

XXXVII. Cum autem *Tritheistæ* a Scripturis Sacris patrocinium errori suo mutuentur, ex his facile revincuntur. Nam unicam et numericam divinam essentiam apertè prædicent, ut supra vidimus, nunquam

vero specificam. Christus enim Dominus de sua divina essentia apud Joannem *Cap. XII.* ajebat: *Ego et Pater unum sumus*; at vero affirmabat quoque *Ibid. c. XV.*: *Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* Quæ nisi de identitate essentiæ dicta esse nemo intelligere possit. Quare idem Joannes *Epist.* 1. c. 5. de tribus hisce Personis scribit: *Et hi tres unum sunt*. 2.° Refutantur universa Patrum traditione ac doctrina, quam et in Symbolo Athanasiano singuli profitemur his verbis: *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur: neque confundentes Personas, neque substantiam separantes*. 3.° Hic plura argumenta recurrunt, quibus Dei unitatem supra demonstravimus. Revera admissa unitate *specifica*, juxta quam tres angeli aut tres homines tria sunt individua ejusdem naturæ; et abjecta unitate *numerica*, qua unam tantum individuam essentiam confitemur, jam non unus sed tres essent dii agnoscendi, uno deo ab alio distincto uti tres Angeli distinguuntur. Sed hoc absurdum est et ab humana ratione et a Catholica fide alienum; Una ergo divina essentia indivisa et *numerica* agnoscenda est. (Vid. sup. Num. XX.)

XXXVIII. Nonnulla tamen in sui erroris defensionem hi hæretici expiscati sunt. 1.° Ajunt ad unitatem Dei servandam sufficere, si tres divinæ essentiæ non dicantur dissimiles aut diversæ, sed tantum distinctæ. Cui reponendum, non sufficere, quod non dicantur diversæ aut inæquales, nisi etiam essentia divina indivisa habeatur. Quomodo enim tres divinæ Personæ possent aliter *consubstantiales* et *coessentiales* haberi,

si etiam in essentia distinctæ ponerentur? Quare S. Fulgentius in Libro *De Fide ad Petrum* Cap. I. hanc consubstantialem trium Personarum unitatem ita ex consensu Ecclesiæ declarabat: *Per hanc unitatem naturalem, totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est: totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est: totus quoque Spiritus Sanctus in Patre et Filio*. 2. Objiciunt: Ubi plures sunt divinæ personæ, ibi dii plures sunt, sed tres sunt Personæ in Divinitate; sunt ergo et tres dii. Sed major propositio minimè est admittenda cum de Personis divinis sermo est. Nam ad multiplicationem deorum non sufficit multiplicitas personarum, sed præterea requiritur essentiæ in pluribus personis multiplicatio. Hæc autem in Deo non est; quare in tribus distinctis personis unus tantum Deus est. Nam cum terminus divinarum processionum, qui Personas constituit, sint relationes ut subsistentes, et relationes a Divina essentia minime distinguantur; hinc ex processione divinarum personarum in Deo, ejus essentia multiplicari non potest. Hinc egregiè S. Thomas *P.P. Quæst.* 27. *Art.* 1. *Quod procedit ad intra* processu intelligibili, non oportet esse diversum; imo quanto *perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo a quo procedit; manifestum est enim quod quanto aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti et magis unum; Nam intellectus secundum hoc quod actu intelligit, secundum hoc fit unum cum intellecto. Unde cum divinum intelligere sit in fine perfectionis, necesse est, quod Verbum Divinum sit perfectè unum cum eo, a quo procedit, absque omni*

diversitate. Si vero apud SS. Patres nonnullæ phrases aut vocabula occurrunt, quæ erroribus postea exortis favere videntur, ea non sunt extendenda aut stricto sensu accipienda, sed potius exponenda sunt et ex contextu explicanda juxta Ecclesiæ doctrinam. Cum enim Patres adversus tot, ac oppositas hæreses non rarò pugnaverint, non semper ad rigorem verborum locuti sunt; at vero ad rerum substantiam respiciebant, et ad errores de quibus agebant refellendos.

CAPUT IV.

DE ESSENTIA DIVINA AGITUR, AC DEI NOMINA ATTINGUNTUR.

XXXIX. Quamquam solis naturæ viribus Deum, uti est in se, nemo noverit unquam aut noscere queat; *habitat* enim, ut Apostolus loquitur, *lucem inaccessibilem*, ad Timoth. VI. 17.; *sitque magnus consilio et in comprehensibilis cogitatu;* sicut Jeremias Cap. XXXII. testatur, ut propterea Jobus summam ipsius majestatem contemplans exclamaverit Cap. XXXVI. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram;* conandum tamen est ex ipso lumine divino, quod nobis per supernaturalem Revelationem affulsit, ut ad Deum cognoscendum, quantum fas est, accedamus. Sed in ea inquisitione duo sunt nobis scopuli evitandi ex adverso oppositi: Ne videlicet unquam arbitremur, Dei naturam animo comprehensam habere posse, ut olim stulte Anomæi qui Dei essentiam se exactè nosse jactabant; cum enim illa sit infinitè perfecta, im-

menso quoque intervallo a mentis nostræ capacitate distat; unde contigit, ut ex nimia confidentia cognoscendi Deum tot errorum monstra manarint. Prudenter itaque monebat Augustinus *in Psal.* 85. *Deum ita esse ineffabilem, ut facilius dixeris quid non sit, quam quid sit.* Alter scopulus sedulo vitandus est, ne ex ignoratione essentiæ Dei neque illius existentiam nosci posse putemus, ut recenter cum Baylio athei et materialistæ venditare solent. Deus enim semper sub aspectu Causæ intelligentissimæ omnium rerum creatricis et gubernatricis agnoscendus est.

XL. Itaque juxta sapientum sententiam Essentia Dei physicè, nempe *realiter* seu a *parte rei*, considerata, est *infinita perfectio in ente, quo nil melius esse aut excogitari potest:* Sumpta verò metaphysicè, sive per mentem nostram, *est primaria illa proprietas, quæ primum in Deo concipitur* tanquam aliarum omnium fons, radix, et origo. Et hæc est de qua loquimur, circa quam non una est Theologorum sententia. Alii enim uti Thomistæ hanc Dei essentiam in *intellectione* collocant: alii in *infinitate*, ut Scotistæ: alii ut Nominales in *omnium perfectionum cumulo*; sed hi postremi metaphysicum *constitutivum* cum physico et reali confundunt. Animadvertendum est igitur, in Deo (Divinis Personis exceptis, quæ relativè se habent) omnia unum idemque esse, sive *a parte rei*, ut loquuntur, non posse unum esse magis *constitutivum* essentiæ Dei, quam aliud. Res tamen ad nostrum finitum intelligendi modum temperanda est, ut id Essentiam Dei nominemus, quod primum concipimus ut omnium attributorum originem, ac

per quod Deus a quovis alio ente segregetur. Hanc autem proprietatem cum nobiliori Theologorum parte esse dicimus *Aseitatem*, vocabulo ab *a* et *se* conflato quod existentiam significat *a se*, et *independentem* ab alia quacumque Causa. Hæc autem sententia Sacris Literis conformior esse videtur, ubi Deus, qui solus seipsum perfectè novit, a Moyse interrogatus, *Quis esset*, Exodi 3. v. 14. respondit: *Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos*. Septuaginta verterunt: Εγω ειμι ὁ ων; quæ adamussim hebraico textui respondent: *Eheje ascer eheje, sum qui sum*, et versu sequenti, *Jehova*, nempe *Qui est*; ut communiter omnes interpretantur. Priora tamen verba, cum sensum futurum præseferant, Houbigantius exponit: *Ego is ero, qui olim futurus sum*: Petavius autem: *Ero, qui ero*: Maimonides transfert: *Existens, qui est existens*; quasi diceret, qui necessariò existit. Hæ versiones omnes in idem recidunt. Per hanc ergo proprietatem, Deus est a se et independens, atque *eminenter* existentiam habet necessariam atque æternam. Hæc ita est Deo propria, ut creaturis tribui non possit; est præterea id, quod primum in Deo concipitur; atque ex ea omnia divina attributa facile dimanare intelliguntur. *Aseitas* igitur metaphysicum divinæ essentiæ constitutivum habenda est, potissimum cum ab ea Deus ipse nomen sibi donaverit.

XLI. Cum vero Beausobrius in *Historia Manichæismi* scribere ausus sit, non philosophos tantùm veteres, sed neque Ecclesiæ Patres hanc absolutissimam perfectionem, et existentiam a se, a qua cæteræ

infinitæ Dei proprietates orirentur, minimè cognovisse, castiganda est temerarii hominis arrogantia in ipsam Ecclesiam a Deo edoctam injuriosa, nec non ab ipsis suis contribulibus, ut a Moshemio *De Creatione*, rejecta; atque ostendendum, illam Patribus minimè fuisse incompertam. Nam Hilarius *Lib.* 1. *de Trin.*: *Ego sum, qui sum*: *Non enim aliud*, inquit, *Deo magis proprium, quam esse, intelligitur*. Hieronymus ad illa verba. *Qui est misit me ad vos*: In Cap. 3. *Epist. ad Ephes.* inquit: *Nunquid solus Deus erat, et cætera non erant? Quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? Illa ut diximus de causa, quia cætera ut sint Dei sumpsere beneficio*: *Deus verò qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistat*. Ambrosius *in Psal.* 43. scribit: *Rem expressit, non appellationem dicens, Ego sum, qui sum; nihil enim tam proprium Dei quam semper esse*. Præclara hac in re habet Dionysius, sive Auctor *de Divinis Nominibus*, ut cum *Cap.* 3. ait „ *Est ipsum per se esse antiquius, quam ipsissimam esse vitam, et ipsissimam esse sapientiam, ac cætera quæ sic entia participant, ut ante omnia ista ipsum esse participent etc.* Plura addi possent ex Tertulliano, Gregorio Nazianzeno, Augustino, Joanne Damasceno, Bernardo aliisque ut constet, eos sensisse, quod ab existentia a se omnia Dei attributa fluunt. Quin et in aliis Sacræ Scripturæ locis hæc existentia, quam Deus eminenter possidet, prædicatur; ut initio *Epistolæ* 1. Joannis: Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς: *Qui fuit aut erat ab initio*. Et in Apocalypsi *Cap.* 1 *v.* 4

Χαρις ὑμιν και ειρηνη απο του ὁ ων, και ὁ ην, και ὁ ερχομενος : Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est. Nec ipsi Poetæ ethnici et philosophi vetustiores alieni ab hac sententia inveniuntur, qui hanc *independentem* existentiam ac peculiarem Dei proprietatem non rarò collaudant. Celebre est illud inter Orphica apud Justinum Martyrem *in Admon. ad Gentes*. *Ἑις εστ' αυτοτελης... Unus est per se existens*. Legunt alii *αυτογενης*, *ingenitus, a seipso ortum habens,* atque *æternus;* quod idem est. Platonem verò *Το ον* ipsam divinitatem nuncupasse constat, ac Platonicorum placita de sempiterna et incommutabili Dei natura commendat Eusebius *Lib. IX. Præp. Evang.* De Plutarcho autem consulatur Cyrillus *Libro VIII. contra Julianum*. Quare vituperanda est Beausobrii impudentia, dum Patres insimulat, quasi sublimem hanc Dei proprietatem ignoraverint, qui potius eam singularem Dei characterem habent. Videatur Petavius Lib. I.

XLII. Quamquam verò *Ens a se* prae cæteris appellationibus primarium exprimat et metaphysicum Essentiæ divinæ *constitutivum* unde omnis ejus perfectio exurgit, fatendum tamen est, verbum nullum, nullumque mentis nostræ conceptum infinitam Dei ipsius essentiam, prout in se est, adæquare posse; quæ *realiter* in unione omnium perfectionum, quæ sunt numero ac *intensitate* infinitæ, consistere intelligenda est; quam propterea nulla Mens creata attingere valeat aut verbis exprimere. Verè hinc S. Thomas ajebat *Lib.* 1. *Cont. Gen. C.* 14.: *Divina substantia omnem formam, quam intellectus noster at-*

tingit, sua immensitate excedit; et sic illam apprehendere non possumus, cognoscendo quid sit; sed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoscendo quid non sit. Falsò itaque Eunomius arbitrabatur, Deum nominibus significari, quæ divinam in se naturam exprimerent; sed non modo *incomprehensibilis*, sed et *ineffabilis* semper Deus habitus est. Hinc Augustinus *in Psal.* 85. ajebat: *Deus ineffabilis est: quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Justinus autem Martyr *Cohort. ad Gentes* scribit: *Fieri non potest, ut proprium aliquod nomen Deo tribuamus*. Revera Proverbiorum Cap. XXX. 4. legitur: *Quod est nomen ejus, et nomen filii ejus, si nosti?* Ipsi Platonici Deum non posse nominari affirmabant, et poeta Philemon ajebat; *terribile esse Dei nomen nec a quoquam proferri posse*. Et quidem nomina cum conceptuum nostrorum signa sint, et divina essentia in hac vita minimè cognosci queat, conficitur neque nomine aliquo eam nos perfectè significare posse. Quare cum Deus se nuncupavit, *Qui est*; non jam perfectam sui cognitionem nobis impertitus est, sed aliquo vocis sono significare se voluit; qui licet sit invisibilis, tamen visibili specie aliquando apparere dignatus est.

XLIII. Divinorum autem nominum alia ad essentiam divinam, ad proprietates alia referri possunt. Decem Dei nomina in hebraico Veteris Testamenti textu adhibita inveniuntur; quorum primum est ineffabile nomen quatuor literarum, dictum propterea a græcis *tetragrammaton*, quem literarum numerum

nationes plures in Deo significando servarunt. Jam vidimus undenam nomen illud derivetur, quod ab omnibus fere transfertur, *Qui est*; At non eodem sono a veteribus prolatum est, sed *Jaho* a nonnullis, ab aliis aut *Jave*, aut *Jehua*, aut *Jova*, communiter tamen *Jehova*. An antiquis hebræis hujus nominis prolatio vetita fuerit, incertum est; at constat circa illius pronuntiationem superstitionibus laborasse; ut cum putabant ex recta illius pronuntiatione virtutem acquiri mirabilia quæque patrandi, ex quo commenti sunt, Christum Dominum eam furtim in Templo didicisse, eaque tot fuisse prodigia operatum. Juvat autem Theologo hoc nomen nosse, nam cum illud in hebræo textu occurrit, certum est de vero Deo ibi sermonem haberi. Noverit etiam, divinam eo designari immutabilitatem, ut Malachiæ Cap. III. *Ego Jehova, et non mutor*. Secundum nomen recensetur, *Ja*, quod ex eodem themate quo primum deducitur, hinc *Allelu-ja*, *Laudate Deum* interpretamur. 3. est, *El*, nempe *Fortis*, græcè ισχυρος, unde *Emmanu-el*, *Nobiscum Deus*. 4. et 5. *Eloah*, et *Elohim*, unum singularis, alterum pluralis numeri, quæ idem significant, nempe *Judex* et *Princeps*, græce δυναστης, αρχος. In plurali numero effertur emphasis gratia, at semper cum verbo singularis numeri construitur; hinc initiò Geneseos legitur: *In principio creavit Elohim Cœlum et Terram*: 6. Nomen est, *Saddai*, quo significatur, *non nostri indigus*, *omnipotens*, *sibique sufficiens*; græce αυταρκης, αλκιμος, παντοκρατωρ. 7. est nomen *Adon* et *Adonai*, *Dominus*, gr. κυριος, et δεσποτης. Hoc *Adonai* nomen

substituunt hebræi quoties in textu occurrit *Jehova*. 8. est, *Ascer eheje: Qui est*, gr. ὁ ὤν, de quo supra N.° XL. 9. est nomen, *Jehova Elohim Tzebaoth, Dominus Deus Sabaoth*, sive *Exercituum*, quo significantur exercitus Angelorum, et etiam Sacerdotum Chori. 10. *Elion*, *Supremus*, *excelsus*, cui respondet græce ὕψιστος. Hinc animadvertunt eruditi, quod in Scripturis cum legimus, *Cedros Dei*, *Montes Dei*, sæpe intelligere fas est, arbores altas, montes magnos, excelsos, etc. Præter Hieronymum de his nominibus consulendi Buxtorfius, Pagninius, Petavius *Lib. VIII. Cap.* 9. Berti *Lib.* 2. *Cap.* 1. aliique.

CAPUT V.

DE SUMMA DEI SIMPLICITATE UBI ANTHROPOMORPHITARUM ERROR DILUITUR.

XLIV. Dei Simplicitas, de qua hîc sermo habetur, ea est proprietas, qua Deum ita perfectè unum concipimus, ut non tantum sit omnino partibus expers, et spiritus purissimus, sed etiam cui nullæ adveniant modificationes, quæ ipsius statum immutent; ut omnia in Deo æterna sint confitenda. Duplex tamen compositio hîc consideranda est, *realis* nempe, et *rationis*. De rationis compositione inferius sermo occurret. Nunc realis compositio triplex distinguitur, quarum prima sit ex partibus essentialibus realiter distinctis, ut homo qui ex anima rationali et corpore exurgit: secunda ex partibus integrantibus, ut corpus humanum ex membris variis coalescens: Tertia

ex subjecto et accidentibus sive modificationibus, ut ex corpore et ejus colore, figura, motu etc. aut ex mente humana et ejus scientia, aut desiderio, amore, ira, aut odio, quæ a mente abesse, aut in ea esse possunt. Ut itaque Dei simplicitas intelligatur, quæcumque ex his realibus compositionibus ab eo procul est amovenda, Deus enim perfectissimus est; hæ autem compositiones singulæ imperfectionem involvunt, ut est manifestum.

XLV. Circa tamen hanc Dei perfectionem multiplex fuit quorundam error. Nam Gentilium plures corporeum sibi Deum effinxere, etiamsi non pauci inter ipsos philosophi, ut vidimus, de spirituali Dei natura egregiè locuti sint. Apud Judæos infamata Sadducæorum secta omnem spiritum negabat, Deumque corporeum volebat; verum Judæorum natio ab ipso Deo edocta puram de illius essentia sententiam servabat, quod ipsis erat notum Gentilibus, ut *Lib. V. Hist.* c. v. Tacitus scribat: *Judæi mente sola, unicumque Numen intelligunt, summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum*. Hinc mirum est, potuisse crassum illum errorem serpere inter eos, qui Revelationis lumine collustrantur, de quo præter Manichæos Audiani Sæculo IV. et Anthropomorphitæ accusantur. Sed nostra hac ætate quid de Thoma Hobbesio dicendum, qui in *Leviathane* haud obscurè Deum sibi corporeum confingit? Aut quid de pantheistis addendum, qui, ut vidimus, dum corporea mundi mole indutum Deum facere nituntur, eum prorsus de medio tollunt? Non ne tandem in dedecus hujus ætatis vergit, quod Sociniani asserere ausi sunt,

quæstionem hanc de incorporea et spirituali Dei natura inter adiaphoras recensendam, quasi nullatenus ad fidem spectet, quod et Beausobrius affirmare connisus est? Perperam tamen.

XLVI. Nam 1.° Deum esse corporis omnis expertem clamant Sacræ Literæ, et perpetua Ecclesiæ Traditio. Isajas quidem eos graviter redarguebat, dum *Cap. XL v.* 18. inquit: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? .... Et cui assimilastis me et adæquastis, dicit Sanctus? Levate in excelsum oculos vestros, et videte, quis creavit hæc* etc. Tota hæc oratio adversarios confodit. Sed in Joannis Evangelio *Cap.* IV. claré habetur: *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*. 2. quoque *ad Corinth. Cap.* 3. *v.* 17. docet Apostolus: *Dominus autem Spiritus est*. Actorum verò *XVII.* in Areopago clamabat: *Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculturæ artis et cogitationis hominis Divinum esse simile etc.* Quæ adeo aperta sunt ut interprete non indigeant. Quibus accedit Ecclesiæ totius judicium in Concilio Lateranensi IV. prolatum, in quo Cap. *Firmiter* definitum est: *Una est Dei essentia, substantia sive natura, simplex omninò;* quæ toti antiquæ Ecclesiæ consona sunt. Nam Irenæus Sæculo II. ajebat *Lib. VI. c.* 16. *Deus est simplex, et non compositus, cum sit totus Spiritus et tota ratio*. Origenes vero Sæc. III. *Lib.* 2. *de Princ. c.* 1. *Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intelle-*

ctualis natura, simplex, nihil omnino in se admixtionis habens ... ut sit ex omni parte Monas, et ut ita dicam totus Mens. Et Methodius eodem Sæculo apud Phot. Cod. 23., Deus, inquit, incorporeus est, et ideo minime adspectabilis. S. autem Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIV. et modo XXVIII., Deum incorporeum invictissimis argumentis ostendit; ut ex eo quod infinitus sit et immensus; quæ corpori nequeunt convenire. Quare S. Leo M. Serm. IV. in Epiph. Deum appellat sempiternæ lucis essentiam. De cæteris Patribus reticemus semper enim adversarii uti hæretici in Ecclesia habiti sunt. 2.° Id ratione constat. Nam omne corpus ex partibus, et ex materia et forma conflatur, quarum unaquæque imperfecta est et limitibus circumscripta, ut una altera indigeat ad compositionem totius; atque adeo Deus esset imperfectus, qui ex imperfectis constaret; quæ Enti æterno et necessariò repugnant; Est ergo Deus Spiritus purissimus et nobilissimus.

XLVII. Opponebant Anthropomorphitæ: Geneseos I. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ... et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. 2.° Sæpe Scripturæ humana membra Deo attribuunt: ut in Psalmis: *Oculi Domini super justos — Fiant aures tuæ intendentes — Opera digitorum tuorum*; et alia similia, ut cum Jobi XI. dicitur: *Excelsior Cælo ... profundior inferno ... latior terra mensura ejus*; quæ corpoream extensionem supponunt. At hæc prorsus debilia sunt in tanti erroris excusationem; Nam Sacræ Scripturæ ipsæ a tam crassa opinione mentes hominum sollicitæ

sunt amovere, quæ Deum Spiritum esse docent atque immensum et ubique præsentem, quæ cum humana forma conciliari non queunt. Homo itaque dicitur *Gen.* 1. ad imaginem Dei factus quantum ad spiritualem animum intelligentia et voluntate donatum; non quantum ad materiale corpus, quod convenire Deo nequit. Hinc Ambrosius *in Psal.* 118 ajebat: *Invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur; sed in eo utique, quod non videtur.* Quod PP. communi consensu tradunt. Apostolus Paulus hinc imaginem agnoscit in homine per gratiam renovato, qua pollebat primus Homo, *Ad Coloss. c.* 3. *v.* 10.: Alii hanc similitudinem agnoscunt in ratione dominii supra creaturas cæteras, quo Dei dominium repræsentatur; idque congruit Sacro textui, ubi hoc dominium homini a Deo tribuitur super alias visibiles creaturas. Dicitur enim: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, bestiis, universæque terræ.* Hic enim præstantia hominis præ cunctis significatur. Quantum verò ad humana membra Deo adscripta, omnes semper cognoverunt, hæc non *propriè*, sed *metaphoricè* tantum dicta esse ad quasdam Dei significandas operationes aut virtutes, quæ ut in se sunt, nequaquam possent comprehendi. Deus itaque loquitur linguam filiorum hominum per eam metaphoram quæ *anthropologia* vocatur; ut per magnitudinem et extensionem Dei exprimatur immensitas: per manus et digitos Dei potentia et operatio: per oculos et aures scientia omnis et providentia. Ne autem deciperemur in ipsis Scripturis provisum est. Nam eodem modo

vocatur *Lux*, *ignis* ad ejus beneficentiam significandam, diciturque *alas expandere* ad ejus denotandum auxilium. Sed et aliis in locis hæc membra Deo denegantur, ut Jobi X. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo et tu videbis?* Idem de affectibus dicendum, ut ira, odio, pœnitentia, zelo, patientia, cæterisque, quibus Deus per figuram, quæ dicitur *anthropopathia* fit obnoxius; quæ non *affectivè*, ut ajunt, sed *effectivè* tantum in Deo ponuntur, scilicet quantum ad effectum in creaturis: et *objectivè*, non autem *subjectivè*, quasi in Deo sint. Nam ut ajebat Samuel *Lib.* 1. *Reg. C. XV.* 29. *Triumphator in Israel non parcet, et poenitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat poenitentiam*. Et Jacobus Apostolus *Cap.* 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*.

XLVIII. Vanam itaque operam ludit Beausobrius, dum contra hoc fidei dogma quosdam Patres calumniatur, Justinum M. Melitonem, Tertullianum, Epiphanium, quasi ignoratione essentiæ Dei, Spiritus, et corporis laboraverint. Licet enim aliquando ad rigorem hodiernæ metaphysicæ locuti non sint, per summam tamen injuriam in suspicionem erroris adducuntur, ut ostenderunt viri eruditi. Ita Justinus cum ait, Deum *neque corporeum esse neque incorporeum*, patet, intellexisse, non posse ejus naturam vocabulis designari, quasi sit aliquid certis terminis circumscriptum. In defensionem Melitonis viri magna doctrina et sanctitate ornati plura critici conscripsere. Epiphanii verò accusatio falsa omnino est, ut ex Hie-

ronymo constat *Epist. LXI.* Imo Epiphanius ipse, *Hær. LXX.* contra Audianos concludit: *Spiritus enim Deus est, qui omnem spiritum exsuperat*: Tertullianum denique purgabat olim Augustinus *Lib. de Hæresibus c.* 86., quod *nomine corporis naturam intellexerit atque substantiam*, ut nihilo et inani opponatur; quod contextus Tertulliani evincit. Quamvis ergo nos lateat, quid proprie Deus sit, quid tamen non sit, scimus; ut imperfectionem quamcumque removere ab eo debeamus. At materiam valde imperfectam novimus; ableganda igitur a Deo est. Ita licet spiritus naturam ignoremus, sufficit, quod sciamus, esse ab omnibus corporeis imperfectionibus liberam.

CAPUT VI.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS GENERATIM DISSERITUR, ET AN VIRTUALIS DISTINCTIO INTER EA ADMITTENDA SIT INQUIRITUR.

XLIX. Postquam Divinam Essentiam, quantum fas erat, contemplati sumus, ad ejus Attributa, sive Perfectiones, qualitatesve considerandas progredimur; quo minus confusam de Deo cognitionem nanciscamur, deque ipsomet Supremo numine rectius, uti decet, sentire et loqui possimus. Itaque Attributa isthæc *perfectiones sunt, quæ a Divina Essentia dimanare concipiuntur*; analogia desumpta a creatis rebus, in quibus essentia primum concipitur, dein proprietates. Attributa autem vocari solent, non quasi

Deo tribuantur nostra tantum imaginandi vi; reipsa enim in Deo sunt, quamvis diverso modo et longè nobiliore ac nos imaginamur. At ne hinc oriatur erroris occasio, observandum 1.° est, Attributa hæc non esse accidentia, ut in creaturis; in Deo enim nullum accidens est aut esse potest, cum omnia quæ in Deo sunt, unum idemque sint cum ejus essentia. Ut enim canon Theologicus fert, *Quidquid est in Deo, illud est ipse Deus*; Hinc Augustinus: *Idem in Deo est esse ac sapere*, atque idcirco est idem esse ac velle, et alia, quæ in eo quasi secernere mente solemus. 2.° Considerandum, nos Deo illas tribuere perfectiones, quæ ab ipso creaturis donatæ sunt, ut bonitatem, vitam, intelligentiam etc. Sed has in Deo esse modo eminentiori quam in creaturis sint. Sunt enim in Deo quantum ad id quod significant, ut ajunt; non vero quantum ad modum significandi qui competit creaturis. Observandum 3.° Duplex perfectionum genus distingui, quarum aliæ vocantur *absolutè simplices*, vel *simpliciter simplices*: aliæ *simplices* tantùm *secundum quid*. Priores in sua *ratione formali*, sive in sua magis propria significatione, nullam prorsus imperfectionem involvunt, ut bonitas, justitia, omnipotentia etc. quare *formaliter*, id est secundum suam essentiam sive naturam in Deo esse dicuntur. Posteriores aliquam imperfectionem includunt, ut constare ex anima rationali et corpore perfectio est in homine relate ad bruta et plantas, at in Deo magna esset imperfectio, unde nec *formaliter* esse in Deo queunt, sunt tamen *eminenter*, dempta scilicet omni imperfectionis umbra. Hinc Augustinus *Lib. V. de*

Trin. c. 1. rectè vult, ut Deum intelligamus *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum*.

L. Licet ergo infinita Dei essentia perfectè una et simplex sit, pluribus tamen æquivalet proprietatibus sive attributis, quæ diversimodè distingui solent. Ea a nobis 1. secernuntur in *Absoluta* et *Relativa*. Priora ea dicuntur quæ nullum dicunt ordinem ad aliud, ut est *Immutabilitas, Æternitas, Immensitas* etc. quæ rursus in duas dispescuntur classes; ut alia vocentur *modificativa*, alia *adjuncta*. Et priora ea sunt, quæ concipiuntur ut *modi interni et transcendentes, pertinentes ad constitutionem naturæ*; easque duodecim potissimum numerantur, nimirum: *Simplicitas, unitas, infinitas, immutabilitas, immensitas, æternitas, perfectio, bonitas, veritas, ineffabilitas, invisibilitas, et incomprehensibilitas*. Dicuntur autem modi transcendentes, quia omnes pervadunt perfectiones, et possunt de qualibet illarum enuntiari etiam in sensu formali, ut, *Immensitas Dei est æterna, simplex, ineffabilis, incomprehensibilis: Æternitas est perfecta*, vera, immensa, ineffabilis: Dei justitia est immutabilis, æterna, infinita etc.: *Misericordia est incomprehensibilis*, immensa, etc. Id autem de *adjunctis* dici nequit, nisi in sensu *identico*; quare non dicitur: *Misericordia Dei est justa, Sapientia est misericors*; ratio est, quia justitia non est formaliter misericordia aut sapientia; sive justitia non est modus afficiens misericordiam etc. At verò pronuntiatur *identicè*, nempe

Deus justus est sapiens quoque ac misericors: *Deus æternus est clemens*, justus, sapiens, etc. Sed et hæc modificativa attributa duplicis et ipsa sunt generis, *Affirmativa*, scilicet, et *Negativa*. Affirmativa aliquam exprimunt perfectionem, ut Bonitas, Omnipotentia, Veritas: Negativa imperfectionem aliquam removent, ut *infinitas*, quæ quidquam in Deo finitum esse aut limitatum negat. Atque hæc felicius divinas repræsentant perfectiones; affirmativa enim objiciuntur intellectui uti perfectiones Deo et creaturis communes; at negativa ita alia attributa modificant etiam *adjuncta*, ut ea Dei propria efficiant: sicut *Sapientia infinita*, *misericordia immensa*, *bonitas incomprehensibilis*, quæ soli Deo conveniunt. Attributa itaque *adjuncta* ea sunt, quæ concipiuntur veluti advenire Divinæ Essentiæ jam in se constitutæ, quasi *accidentia logica*, sine quibus scilicet essentia concipi possit; ut sunt sapientia, justitia, omnipotentia, voluntas etc. Et hæc de attributis absolutis dicta sufficiant. Supersunt *Relativa attributa*, eaque sunt, quæ dicunt ordinem ad aliquem terminum, quæ duplicis sunt generis: alia enim relationem dicunt *ad intra* in Dei essentia, eaque sunt tantum *Paternitas, Filiatio*, *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*, quibus Personæ divinæ ad se invicem referuntur: alia verò habent relationem *ad extra*, dicuntque ordinem ad creaturas, ut *virtus creatrix*, *Conservatio, Providentia*, *Justificatio etc.*

LI. Quanquam verò nonnullas Dei proprietates numeraverimus, non tamen putandum est numero aliquo illas comprehendi posse; simulque minimè est

arbitrandum, eas reipsa numero esse plures, quasi distinctæ ab invicem dinumerentur; hoc enim cum summa Dei simplicitate pugnaret. Hinc circa distinctionem hanc duo errores oppositi expendendi sunt. 1. est Eunomii Sæculo IV. Anomœorum antesignani, qui omnem prorsus distinctionem sustulit, eam etiam quæ fit per mentem, inter Essentiam divinam et attributa. 2. tribuitur Gilberto Porretano Sæculo XIII. et Palamitis, qui *realem* distinctionem inter Dei Essentiam et attributa, atque inter attributa ipsa posuere. Sociniani etiam Dei virtutem a Deo ipso *realiter* distingui dixere; ut inde inferrent, Spiritum Sanctum non esse Deum habendum, qui Dei virtus nuncupatur. At certum est, nullam realem distinctionem esse admittendam inter Dei essentiam ejusque attributa, neque inter attributa ipsa divina. Revera distinctio realis est *identitatis negatio;* unde ea distinguuntur, quæ idem non sunt. Quare ea posita distinctione Deus nec unus esset nec simplex, sed compositus et multiplex; quod summæ Dei perfectioni repugnat. Hinc in Sacris Literis hæc attributa in abstracto de Deo prædicantur; ut Proverb. VIII. *Ego Sapientia habito in Consilio:* et apud Joannem XIV. Christus de se ut Deo inquit: *Ego sum via, veritas et vita;* At hæc nomina prædicari de Deo non possent, nisi ejus essentia unum esset idemque cum suis attributis. Quare S. Gregorio Nyssenus *Orat. X. in Cant,* ajebat: *Deus est ille ipse, qui prorsus est Sapientia et Justitia et ipsa Veritas, et singulatim omnia.* Cui assentitur Augustinus *Lib. XV. de Trin. c.* 3. *n.* 7. S. autem Bernardus *contra Gilbert. in Conc. Rem.*

ajebat: *Scribatur stylo ferreo in ungue adamantino, et sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo verè est Deus*. Hinc Gilberti Porretani opinio damnata est in Concilio Remensi anno 1148, et in Lateranensi IV. sub Innocentio III. ut Catholicum virum ab ea recedere summopere oporteat.

LII. Id tamen non impedit, quominus aliqua cogitationis distinctio admittenda sit inter Dei essentiam ejusque attributa, tum inter attributa ipsa divina. Id enim senserunt Patres, Basilius præsertim, Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus adversus Aetium et Eunomium, ut eorum hæresim eliminarent, qui sophismate quodam Verbi divinitatem impugnabant; ajebant enim: quod *αγεννησια*, sive *innascibilitas* idem ita sit cum divinitate, ut neque possit cogitatione distingui; cum autem Filius sit *genitus*, nec *ingenitus* dici queat, hinc inferebant, nec Deum dici posse. Quibus Patres respondebant, Filium esse genitum quantum ad Personam, ingenitum verò quantum ad suam divinam essentiam; quam distinctionem Eunomiani renuebant admittere. Hanc autem cogitationis distinctionem esse admittendam ostendebat olim S. Thomas *in* 1. *Sent. dist.* 2. *Quæst.* 1. *n.* 2. hac ratione: *Quod est causa alicujus, habet illud excellentius, et nobilius; unde oportet, quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo et sine aliqua imperfectione; et ideo quæ in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sunt unum. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, et hujus-*

modi, quorum quodlibet est ipsamet divina essentia, et ita omnia sunt unum in re. Et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem; et ratio scientiæ non est ratio bonitatis in quantum hujusmodi; relinquitur, quod sint diversa ratione non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed etiam ex parte ipsius rei. Inde prosequitur S. Doctor ostendens, distinctionem hanc non esse tantùm penes connotata; quia etiam creaturis non existentibus Deus erat sapiens et bonus, neque tamen sapientia ipsius ex *sui formali ratione* (nempe ex ratione qua Deus est sapiens) erat bonitas. Cum igitur diversimodè possit Deus apprehendi, nunc justus, nunc misericors etc. jam sequitur erroneam eorum esse opinionem, qui nullam prorsus distinctionem ne rationis quidem inter Dei proprietates agnoscere voluere. Sane plures posse perfectiones de Deo dici et concipi, ostendunt ea verba Christi Domini *Joan. XVI. 25. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, et alia similia. Quod si Patres huic sententiæ aliquando se opponere videbantur, de reali distinctione, non verò de notionali interpretandi sunt. Neque inde compositio aliqua in Deo admittitur; nam est tantum hæc in mente nostra, cui Deus fundamentum præbet ob infinitas sui perfectiones, quæ compositionem in Deo non constituunt; cum non se mutuo excludant, sed una includatur in alia. Neque dicendum, distinctionem hanc falsam esse; nullum enim hîc profertur judicium, sed fit abstractus tantùm conceptus: Apprehensio autem semper est vera, ut docent Logici; nam veritas logica, non

objectiva quidem, sed *formalis*, est congruentia judiciorum cum ideis ipsis, quibus, judicia continentur. Unde vulgare adagium: *Abstrahentium nullum est mendacium*. Distinctio ergo virtualis est admittenda.

LIII. Circa tamen hanc distinctionem quæ de attributis divinis cogitando aut loquendo admitti possit, non una est scholarum opinio. Nam triplicem statuunt realem distinctionem, *majorem*, *minorem*, et *minimam*. Prior inter duo entia completa ac in se subsistentia versatur, ut inter animam et corpus. 2. quæ *modalis* dicitur, inter rem ejusque modum cadit, ut inter animum et ejus cogitationem, inter corpus ejusque figuram, 3. quæ reperitur inter duas unius rei perfectiones penitus inseparabiles, quarum una tamen alia non sit, ut inter *animalitatem* et *rationalitatem*, quæ *distinctio formalis ex natura rei* dicitur, a Scoto inventa et ad divina etiam attributa distinguenda adhibita. Hanc Theologi communiter rejiciunt, ut quæ Porretano nimis faveat, solamque mentis et rationis distinctionem inter Dei attributa agnoscunt. Sed hæc rationis distinctio alia dicitur *rationis ratiocinantis*, alia *rationis ratiocinatæ*. Prior tota quanta est, ab intellectu nostro confingitur sine ullo fundamento in re; ut si quis distinguere vellet circa eandem Tullii personam inter Marcum, Tullium, et Ciceronem. Altera verò fit quidem per mentem sed cum fundamento in re, quatenus res in se una, virtualiter tamen multiplex est. Ita Deus maxime simplex, cum eminenter contineat justitiam, misericordiam, scientiam etc. quæ in creaturis realiter distinguuntur, fundamentum præbet in-

tellectui nostro eadem attributa in ipso distinguendi. Hæc distinctionis necessitas oritur ab intellectu nostro, qui finitus cum sit, non valet, eas perfectiones uno actu attingere. Hanc Thomistæ *Virtualem distinctionem* vocant cum fundamento in re. Sed qui vocantur Nominales, qui Okamum sequuntur, non nisi distinctionem extrinsecam, seu penes diversa *connotata*, sive indigitata a rebus creatis, agnoscunt. Sed hanc uti ad Eunomii errores nimis accedentem alii sugillant. Sunt tamen qui inter has scholas controversiam tantum de nomine vigere arbitrantur.

CAPUT VII.

DE PERFECTIONE DEI, EJUSDEMQUE INFINITATE ATQUE IMMENSITATE.

LIV. Perfectio, quæ τελειοτης græcè dicitur, cum de Deo loquimur, non propriè et grammaticali significatione accipitur, quo sensu quod plane factum est et in suo esse completum intelligimus; sed cum idioma latinum non aliud suppeditet, eo utimur vocabulo metaphoricè, sicut aliis pluribus; nam ut sapienter S. Gregorius advertit *Lib. V. Moral. c. 26. etc. balbutiendo ut possumus, excelsa Dei resonamus.* Quare cum perfectum Deum dicimus, intelligimus, *ut nihil ei desit, quo sit quidquid esse potest, atque ut necessario existat.* Hoc sensu nulla Deo perfectio deesse potest; Nam quæcumque est perfectio in rebus, aut ea incœpit, aut non incœpit unquam: Quæ non cœpit, Dei est; quæ autem incœpit, necesse est, habuerit unde inciperet, cum ex

nihilo nihil fiat; quæ ergo in creaturis apparent perfectiones, omnes in prima causa fuerint, necesse est. Deus autem non perfectus tantum dicendus est, sed et infinitè perfectus, idque non modo *intensivè*, sed et *extensivè*, Intensivè quidem, ut nulla ejus perfectio *entitative*, ut ajunt, sive in suo toto, augeri amplius possit: Extensivè autem, ut nulla sit possibilis perfectio, quæ in Deo non insit. Innuimus supra (N.° XLIX.) duplicis generis perfectiones distingui: *Absolutè simplices*, et *simplices secundum quid*, sive secundum respectum aliquem: Priores non pugnant cum perfectione majori, aut æquali, ut Sapientia, Bonitas etc. Posteriores cum majori aut æquali pugnant; ut perfectio corporis quæ pugnat cum perfectione spiritus. Sed iterum hæ posteriores dupliciter distinguuntur, ut aliæ ita pugnent cum æquali, ut nullam imperfectionem involvant, sicut *Paternitas* et *Filiatio* in divinis, quæ ambæ relativè opponuntur, quin aliquid imperfecti habeant: aliæ semper admixtam imperfectionem includant, ut esse animal. Innuimus quoque (ibid.) aut *formaliter*, aut *eminenter* in Deo perfectiones comprehendi; sed addendum, *virtualiter* quoque perfectiones simplices secundum quid contineri in Deo. Itaque perfectiones absolutè simplices sunt *formaliter*, sive secundum suam essentiam, in Deo; quo cum nil melius esse, aut cogitari possit, et melius sit eas habere, quam iis destitui, ut est sapientia, æternitas etc. illas certè Deus formaliter possidet: at alias *simplices* tantum *secundum quid* non nisi *virtualiter* continet, quatenus scilicet virtute gaudet illas producendi, et fons est

atque origo omnium perfectionum; atque etiam *eminenter*, cum creaturæ sint in Deo nobiliori modo quam in seipsis.

LV. Juxta hunc sensum itaque Sacræ Literæ omnimodam Deo vindicant perfectionem. Nam Exodi Cap. XXXIII. cum Moyses Deum rogasset: *Ostende mihi gloriam tuam?* Respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi*. Quibus verbis apertè declarat omnem comprehendere perfectionem. Eminenter vero creaturarum perfectiones continere testatur ipse *Psalmo XLIX.* ita populum alloquens: *Meæ sunt omnes feræ sylvarum ... Cognovi omnia volatilia cæli, et pulchritudo agri mecum est .. Meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus*. Idque Scripturæ ex eo confirmant, quod in omni perfectionum genere Deum infinitum prædicent; ut *Psalmo CXLIV. Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*. Et *Psalmo CXLVI. Magnus dominus noster, et magna virtus ejus, et Sapientiæ ejus non est numerus*. Et Baruch Cap. 3.° *Magnus est et non habet finem, excelsus, et immensus*. Conferatur Ecclesiasticus Cap. XVIII. Supervacaneum esset Patres afferre, qui hac in re concordissimi sunt ut Theodoretus *Orat. 2. de Provid.*, *Deus ipse increatus et infinitus est... omnia complectitur, ipse vero a nullo est circumscriptus*. Quod manifesta ratione ostenditur. Nam quod finitum est, ex eo fit, vel quia causa per quam existit, non ei plus communicavit, vel quia non plus capiebat: Nulla autem natura Deo quidquam communicavit, nec ipse quidquam capit aliunde, cum per se et necessario exi-

stat. Dicere vero, eum sibi limites posuisse, absurdum prorsus esset.

LVI. Cum vero hîc gradum fecerimus ad Dei demonstrandam infinitatem, quæ græcè *αοριστια* dicitur, sedulo est considerandum, eam proprietatem in Dei essentia ac virtute esse agnoscendam, ut illius attributa nullam limitationem admittant. Et licet *infinitum* definiatur id quod fine aut termino caret, non instar extensionis corporum hæc accipienda est. Imo infinitas hîc non negativo, sed positivo sensu usurpatur, ut denotet summam Dei perfectionem; quam infinitatem Hobbesius sæpe Deo denegare ausus est. Qui ergo ajunt, infinitam Dei essentiam exclusuram fore naturam quamcumque creatam; ut corpus infinitum alia omnia corpora excluderet; non animadvertunt, hanc esse fallaciam a falsa analogia desumptam; cum nulla fieri comparatio queat inter infinitatem Dei et corpus infinitum. Quamquam si in conficta hypothesi infinitum daretur corpus, non ob infinitatem, sed ob impenetrabilitatem alia corpora excluderet, qua spoliatum posset eodem loco alia recipere corpora. Cavendum igitur est, ne Deum ex nostris ideis et rebus æstimemus, ut Gentiles erga deos suos faciebant, de quo Seneca ajebat, *Vitiis illos nostris æstimavimus*. Nam ut egregie Augustinus: *Deus omnipotens non mole, sed virtute magnus est.* Si quis verò opponeret; quod detur aliquod majus solo Deo; nam Deus simul et creaturæ sunt aliquod majus, unde Deus solus sumptus non sit infinitus: Respondendum esset, dari quidem aliquod majus quantum ad numerum et multitudinem, at non quantum ad perfectionem, de qua ser-

mo est. Porro Deus et creaturæ sunt aliquod majus non perfectione, sed numero; cum Deus, eminenter ac perfectiori modo creaturarum proprietates complectatur, quàm sint in creaturis ipsis, quæ Deo comparatæ veluti nihilum reputantur, uti Psalmo XXXVIII. *Substantia mea tanquam nihilum ante Te*. Et Isajæ XL. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt*. Neque dicatur infinitatem in Scripturis etiam creaturis tribui; Nam creatæ res infinitæ dicuntur usu vulgari et populari sensu de iis, quæ non facilè numerari queunt. At cum Scripturæ de Deo loquuntur, non vulgari modo loquuntur, sed pro rei veritate: *Unus est enim Deus, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis*: ait Apostolus *ad Ephes. IV.* Quærunt alii, an Deus cadat sub categoria seu genere substantiæ, ut constet ex genere et differentia: quod ex notione abstracta vocabuli *substantiæ* resolvitur. Nam si eo intelligamus, quidquid per se subsistit, utique Deus inter substantias recenrendus est: si vero id, quod substat, et veluti fulcrum est modorum, et accidentium, Deus substantia dici non posset; quo sensu scribit Clemens Alexandrinus *Lib. V. Strom. Deus neque genus est, neque differentia, neque species, neque individuum*; ut nempe convenit creatis rebus.

LVII. Divinæ Infinitati affinis est ipsius Immensitas, quam græci *αμετριαν* dicunt. Immensum igitur propriè illud est quod mensurari non potest. Cum tamen de Deo loquimur, *Immensitas est Dei ipsius ubique præsentia*. Triplici autem modo est Deus u-

bique præsens, potentia scilicet, scientia, atque essentia; quæ ita declarat S. Thomas *P. P. Q.* 8. *art.* 3 *Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur: est per præsentiam in quantum omnia nuda et aperta sunt oculis ejus: est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi*. Et *Art.* 2. addit: *Deum utpote incorporeum non esse in loco per contactum quantitatis dimensivæ sicut corpora, sed per contactum virtutis*. Est igitur ubique præsens non res alias excludendo sive corporeas sive spirituales. Hæc tamen Dei proprietas nonnullos hostes etiam inter recentiores invenit. Nam Vorstius Calvinianus, et Socinianorum quidam admittentes Deum posse in loco existere, volunt tamen ratione essentiæ non esse ubique, sed tantùm in cælis. Hæc opinio, cum Deum circumscribat; hæretica est. Manichæi verò, omnesque Dualistæ unum deum in regione lucis, alterum in tenebrarum regione collocarunt. Sunt Cartesiani, qui opinantur, spiritum non posse in loco existere; atque hinc non aliam agnoscunt Dei omnipræsentiam, quàm potentiæ ac scientiæ; quæ opinio insueta licet, in Scholis tamen licita habetur.

LVIII. Verum Dei immensitatem Catholica fides docet, qua nihil expressius in Sacris Literis occurrit. Ut Deuteronomii Cap. IV. *Scito ergo hodie, quod Dominus ipse sit Deus in Cælo sursum et in terra deorsum*. Psalmo autem CXXXVIII. *Quò ibo a Spiritu tuo, et quò a facie tua fugiam? Si ascendero in Cælum Tu illic es, si descendero in infernum ades*. Et apud Jeremiam c. XXXIII. *Numquid non*

Cælum et terram ego impleo, dicit Dominus? Apostolus autem *Actor.* c. *XVII.* habet: *Non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Quibus verbis quid luculentius desiderari posset? Sed conferantur quæ supra allata sunt N.° LV. Neque opponant Sociniani, hæc de virtute Dei, non de essentia explicari posse. Nam ea obvio sensu accipienda esse, non modo nihil vetat, sed et ratio suadet, ut Patres passim ostendunt. Hinc ex quo divina virtus sit in immensum diffusa, etiam Dei substantiam immensam esse concludebat S. Basilius *L. V. adv. Eunom.*, *eo quod in simplici et corporis experte natura eadem sit ratio substantiæ et actionis.* S. quoque Anselmus *de Inc. c. 4. Idem est*, inquit, *esse Dei et potestas ejus: sicut igitur potestas Dei est semper et ubique, ita quidquid est Deus, ubique et semper est.* Accedit manifesta ratio. Nam cum Deus Ens sit independens et necessarium existentiæ, ejus existentiæ limitationes habere nequit: haberet autem nisi esset ubique; ergo Deus ubique est et immensus. Deinde si alicubi ejus esset inclusa existentia, aliqua esse oporteret causa, cur in uno potius quam in alio loco consisteret. Hæc autem in Ente perfectissimo nulla fingi potest. Ergo est ubique. Hæc etiam omnia ex iis roborantur, quæ de perfectione et simplicitate Dei dicta sunt, ut hanc Dei proprietatem ipsi viderint Gentiles Philosophi, ut Plotinus *Enn. VI. Lib. V.* c. 4. ubi ait: *Id omni humanæ insitum esse naturæ, ut simul esse Deum existimet, et etiam ubique esse totum arbitretur.* Cum in Deo itaque eadem sit ratio essentiæ et existentiæ;

cum essentiæ modos habere nequeat, ita neque existentiæ habere potest. Licet ergo hæc mente assequi nequeamus, non propterea sunt abneganda.

LIX. Insipienter igitur Sociniani urgent quædam Scripturarum loca; ut cum Isaiæ Cap. LXVI. ait Dominus: *Cœlum mihi sedes est*, aut Psal. CXIII. *Deus autem noster in Cœlo*. Vel etiam cum Gen. XI. dicitur de Cælo descendere: *Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim*: Ajunt etiam: Si Deus esset immensus, foret etiam in locis fœdissimis; quod absonum videtur. Quæ quidem ex rudi Scripturarum intelligentia proferri patet; in qualibet enim lingua tropos, metonymias, metaphoras usurpari nemo ignorat, quæ juxta communem sensum accipienda sunt. Itaque dicitur Deus speciali modo habitare in Cælis, ubi potentiam, majestatem, benignitatemque specialius ostendit, sicut peculiari quadam ratione dicitur esse in Templo, in Anima justi, in Christo Domino; non ita tamen quod alibi non existat. Item cum Scripturæ Deum moveri, descendere, ambulare, aut accedere dicunt, metaphoricè, non propriè loquuntur ad ipsius significandas operationes: Dicitur ergo *descendere*, inquit Augustinus, *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*. Neque putandum est, Deum inquinari, etiamsi in locis immundis existat; non enim ibi est per contactum, instar corporum. Minus igitur inquinatur quam sol dum loca omnia perlustrat, aut anima cum in corpore leproso inest. S. Thomas *P. P. Quæst.* 8 *c.* 1 *ad* 4. ajebat, *Deum in naturis non deformatis esse absolutè, in aliis in quantum sunt res quædam*. Nos tandem

quidam Patrum dicendi modi morari non debent, qui recto in sensu accipiendi sunt vel cum ad captum vulgi loquuntur, uti non rarò Scripturæ; vel cum Deo denegant modum existendi corporum, veluti cum Augustinus ait: *Deum nusquam, aut nullibi esse*: vel demum cum pantheismum impugnant. Quæ si ut decet intelligantur, nullam creabunt difficultatem.

LX. Hic quæri solet: Num in spatiis imaginariis Deus sit: Num sit etiam extra mundum? Et respondendum, Deum esse in se ipso, ut erat antequam mundum conderet; Nam *Deus apud se est*, ajebat Augustinus. Itaque in spatiis imaginariis *positivè* et *actu* minimè est, sicut *actu* non conservat creaturas quæ non sunt, sed est tantum virtute: *Inanes sunt enim hominum cogitationes*, ajebat August. *de Civ. d. L. XI. c.* 5. *quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum*. Aberrant ergo, ut Henr. Morus, et Clarckius, qui Dei immensitatem cum spatio mundano et vacuo confundunt. Etsi enim illud existeret, cum non totum sibi coexistat, sed partes habeat extra partes, hinc Deus totus esset major, quam quælibet ejus pars; quod Dei naturam subverteret. Ejus ergo immensitas nequit esse extensio realis dimensiva, cum sit Ens simplex, totumque sibi coexistens, ac ut Augustinus ait: *Deus non mole, sed virtute magnus est*. Cum ergo Arnobius Deum dicit, *locum rerum et spatium*: aut Tertullianus cum ait, *ante mundum conditum Deum sibi fuisse et mundum et locum et omnia*; emphaticè locuti sunt, atque ut explicat Minutius Felix, *erat ipse sibi pro mundo*. Ut enim Augustinus *Epist.* 57. ait: *Carnali resistendum*

est cogitationi, et mens a sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi sicut fumus aut aer aut lux ista diffunditur: Omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte quam in toto: sed ita potius, sicuti est magna sapientia etiam in homine, cujus est corpus parvum. Scimus ergo, limitationem loci in Deo non esse ponendam, at fateri debemus, immensitatis ejus rationem minimè nos posse comprehendere: Hinc præclarè Augustinus *In Joan. Tr.* 23: *Si non potes comprehendere quid sit Deus; hoc saltem comprehende, quid non sit.* At quærunt rursus: si alter crearetur mundus, augeretur ne Dei immensitas? Quibus ex dictis respondetur, in hac hypothesi totam mutationem in novis creaturis futuram, quæ Deo præsentes fierent, ut factus est mundus iste cum fuit conditus; at in Dei immensitate nulla mutatio contingeret, quæ eadem esset sicut prius; sicuti nulla fieret mutatio in Dei virtute, nec ipsius augeretur Dominium cum novæ ex nihilo extraherentur creaturæ. Dicitur ergo Deus ubique, quia creaturæ sunt ubique Deo præsentes, et indigent ejus virtute ut conserventur; non quod Deus diffundatur, vel augeatur. Hinc ab Empedocle Deus definiebatur: *Globus intelligens cujus centrum ubique est, circumferentia nullibi.* Quemadmodum ergo *Veritas*, exempli causa, eadem semper fuit, est, et erit, et eadem esset ubique, etiamsi mille crearentur mundi, ita et Dei immensitas concipienda est.

CAPUT VIII.

DE ÆTERNITATE AC IMMUTABILITATE DEI.

LXI. Immensitati, qua Deus ubicumque existit; affinis est immensitas temporis seu potius interminabilis durationis, quæ Æternitas nuncupatur, græce αιων, et αϑανασια, et qua nullo termino, nulloque limite Dei existentia definitur. Altissima hæc Dei proprietas dicitur a Boetio *L. v, de Consol. Phil. pr. 6; Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio;* quo duo significantur, 1.° quod Deus principio et fine careat, sitque immortalis. 2.° Quod nullam temporis successionem admittat, sed tota simul existat; quare Dei Æternitas definiri solet: *Duratio permanens initio et fine carens*. Hæc autem licet nostræ mentis aciem fugiat. evidentissimé tamen Deo asseritur tam ex divinis Oraculis quam ipsa ratione. Et quidem Deus ipse ita loquebatur *Deuter. C. XXXII.* v. 40. *Levabo ad cælum manum meam et dicam, Vivo ego in æternum.* Exodi vero XIX. 18. ad hanc designandam interminabilem Æternitatem dicitur: *Dominus regnabit in æternum et ultra.* Et Psalmo CI. ad immutabilem significandam æternitatem habetur: *Ipsi peribunt ... Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient:* Quæ Apostolus refert ad Hebræos Cap. I. eamque ita annuntiat *ad Tim. I. C. 6. Qui solus habet immortalitatem*: Nam in Deo idem est, esse ac vivere, quod de creatis spiritibus dici nequit, qui a se non habent immortalitatem quique non semper extitere, et

possunt a Deo in nihilum redigi. Hinc Patres eam Deo maxime vindicant, ut Gregorius Nazian. *Orat.* 88. *Deus* inquit, *et erat semper, et est, et erit, vel ut rectius loquar semper est; nam est et erit rationi temporis congrua sunt:* Nullam ergo temporis successionem in Dei æternitate imaginari debemus, —, *Verba enim diversorum temporum*, ut habet S. Thomas *P. P. q.* 10. *A.* 1. *attribuuntur Deo, in quantum ejus æternitas omnia tempora includit, non quod ipsa varietur per præsens, præteritum et futurum.* Non ergo habet partes, sed ubique tota est, et semper. Idque ratione evincitur; Nam Deus est Ens a se atque independens omnino, sive necessariam habet existentiam; sed quod est hujusmodi, nec initium unquam habuit, nec finem est habiturum; et in suo esse perseverare debet, est ergo Deus æternus. Revera ea de re nemo dubitavit unquam, ut enim Boetius ajebat *ibid. Deum æternum esse cunctorum ratione præditorum judicium est.* Ipsi athei cum videant, mundum modo esistere non posse, si aliquando non fuisset, coguntur concedere aliquid extitisse ab æterno; at id necessariam debuit habere existentiam: quod non nisi Deus esse potest.

LXII. Hinc vehementer errarunt, qui materiam statuerunt æternam, increatam, Deoque coævam; quam nullam habere necessariam existentiam, clarum est. Ii quoque aberrant, qui spatium aliquod positivum ajunt esse infinitum, increatum, atque æternum; cum præter Deum nihil aliud æternum esse queat. Potiori etiam jure redarguuntur, qui Spatium illud cum Dei ipsius immensitate confundunt, ut vidimus.

Non hîc morabimur Valentinianorum *Æonas*, quos Deum ad triginta usque genuisse hæretici illi commenti sunt ex textu Apostoli pravè intellecto *ad Hebr. C.* 1. *v.* 2., ubi de Filiò Dei dicitur: *Per quem fecit et Sæcula*, græcè: *Δι' ου και τους αιωνας εποιησεν*, ubi mundus iste adspectabilis intelligendus est. At ii haudquaquam ferendi sunt, qui mundum hunc, qualem intuemur, æternum esse fabulantur; quod absurdum prorsus ostenditur, ut infra patebit. Adnotandum tamen venit, tres circumferri sententias circa durationem æternitatis. Prima est Scotistarum qui volunt, æternitatem esse entitatem a mente nostra et a re durante distinctam, quæ Deum intrinsecè et successivè tantum ornet. Quæ opinio explodenda est; tunc enim Deus singulis instantibus aliquid acquireret ac amitteret, quod perfectioni Dei repugnat: Alii in æternitate quamcumque negant durationem etiam metaphysicam et rationis, uti Thomistae. Verum hæc, cum sit notio quam mente gerimus, non est ratio cur negari debeat. Itaque distinguunt alii *successionem physicam;* quæ sit quædam statuum mutatio, cum status statui succedit; et hanc omnino removent ab Ente æterno, quod est immutabile ac totum simul: et *successionem metaphysicam*, quæ sit respectu mentis nostræ successio quam durationis appellant, eamque de æternitate Dei posse dici affirmant. Quare cum Patres omnem ab æternitate successionem resecant, de physica loquuntur, non de hac altera, quæ in continuata duratione Entis ejusdem et immutabilis posita est. Itaque Deum ex æternitate durasse, et hanc durationem esse *realem* (non *virtualem* tantum uti Thomistæ ajunt), eam-

que in ipso esse Deo, una cum Suaresio consentiunt omnes.

LXIII. Sed cum Deus sit a se, ac sempiternus, immutabilis quoque omnino sit necesse est. Est enim Deus infinitè perfectus, nempe, est quidquid esse potest ab æterno, idque necessario, nihil ergo acquirere potest aut amittere; est igitur immutabilis. Cum vero Dei proprietates idem sint cum sua essentia; hinc singula ipsius attributa immutabilia sunt. Non igitur *modificationes* ullæ, non *qualitates* in Deo esse queunt. Sunt modificationes varii existendi modi: qualitates verò, limitationes essentiæ et attributorum. Deus autem cum necessariò existat, sitque infinitè perfectus, nec modos existendi varios subire potest, nec limitationes habere ullas. Hanc autem Immutabilitatem Dei, a græcis *ατροπιαν* dictam, Sacræ Scripturæ magnificè laudant, ut Numerorum XXII. *Non est Deus, ut filius hominis, ut mutetur.* Et apud Malachiam C. III. *Ego Dominus, et non mutor.* Sapientiæ autem C. VII. *In se permanens, omnia innovat.* Et in Jacobi Epist. C. I. *Apud quem non est transmutatio: neque vicissitudinis obumbratio;* hoc est, nec ortus, nec interitus, nec ulla mutationis umbra, quæ in sole contingunt. Neque ulla quoque mutatio in illius voluntate aut decretis evenit, ut ipse testatur apud Isajam C. XLVI: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Et Psalmo XXXII. *Consilium autem Domini in æternum manet.* Quod confirmat Apostolus ad Hebræos scribens C. VI. 17. Hinc Augustinus ajebat: *Opera mutat Deus, sed non mutat consilium.* Et alibi *Serm.* 182: *Sola Dei natura immutabilis, incommutabilis, nec defectui obno-*

xia, nec profectui : non cadit ut minus sit, neque transcendit ut plus sit : perfecta, sempiterna, omni modo immutabilis. Cui concinunt reliqui Patres.

LXIV. Sociniani tamen, qui ferme soli sunt, hanc Dei perfectionem impugnant, putantes posse Deum sua decreta immutare; atque hunc errorem Petrus Jurius a Bossueto castigatus nonnullis etiam Patribus tribuisse visus est. Dicunt autem 1.° Tanta est rerum novitas et mutatio, quæ Deum habent auctorem, ut non videatur eadem semper Deum velle, eademque nolle. 2. Cum Deus liberè velit, fiet, ut possit idem velle et nolle; quod autem habet potentiam ad opposita, mutabile est, erit ergo Deus mutabilis. Quæ profecto nauci facienda sunt. Ad 1. enim : quid obstat, *Deum immutabiliter mutabilia velle*, ajebat Augustinus; *hæc enim Deus fecit in tempore, non tamen novo et repentino, sed immutabili æternoque consilio*. Ad 2. Deus cum sit in se perfectissimus et beatissimus nulla necessitate adactus res externas velle potest, id autem nihil vetat, quin velit immutabiliter, cum eadem semper sit volendi ratio. Nec reponendum; omne quod sit æternum, esse necessarium : Nam dupliciter necessarium dicitur, *absolutè* nempe, et *ex suppositione*; quæ igitur Deus extra se vult, licet non sint necessaria absolutè; necessaria tamen sunt ex suppositione : *Posito enim quod velit, non potest non velle; quia non potest voluntas ejus mutari*; inquit S. Thomas. Neque his obstant ea Scripturarum Loca, in quibus Deo tribuuntur pœnitudo, ira, tristitia, aliique affectus qui videntur sine mutatione non posse intelligi. Nam ea metaphoricè explicanda sunt et ratione

effectuum, non propriè, quasi reipsa in Deo sint. Hinc Hieronymus *in C.* 65. *Isajæ*: *furorem, iram, oblivionem, pœnitudinem ita debemus in Deo accipere, quomodo pedes, oculos etc.* Revera Orientales his figuris et imaginibus sæpe utebantur. Cum autem dicitur Sapientiæ Cap. VII. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*; non propriè, sed extrinsecè est intelligendum, quatenus nempe omnia movet, nam ibidem habetur, quod *Deus in se permanens, omnia innovat*. Eodem sensu ajebat Augustinus: *Novit dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

LXV. Regerunt denique Sociniani, Deum transiisse de potentia in actum; cum de non Creante factus est Creator. Verum quamvis id captu difficile sit: intelligimus tamen, Deum non fuisse mutatum, quod non per novam quandam actionem id fecerit, sed per actum voluntatis quem semper habuit: *Una enim eademque sempiterna et immutabili voluntate*, ajebat Augustinus *L. XII. de Civ. d. res, quas condidit et ut prius non essent egit, quandiu non fuerunt; et ut posterius essent, quando esse cœperunt.* Non ergo actus ille, quo Deus decrevit mundum condere, unquam fuit in potentia; non enim Deus ex non decernente factus est aliquando decernens: sed licet liberum, æternum est decretum illud. Neque est illud quid melius in Deo, neque perfectius, quam decretum aut diversum, aut oppositum, sed quodcumque fuisset, æque in Deo fuisset perfectum et liberum, licet in quantum unum potius fuit quam aliud, fuerit relativè contingens, nec necessarium nisi ex suppositione. Thomistæ ajunt, Deum in quocumque decreto eodem mo-

do se intus habere. Tota ergo mutatio atque perfectio ex parte est creaturarum, non verò ex parte ipsius Dei.

CAPUT IX.

DE BONITATE DEI, EJUSDEMQUE PULCHRITUDINE, VERITATE, SANCTITATE, VITA, GLORIA, ET MAJESTATE.

LXVI. Ut ad alia Attributa divina, quæ *transcendentalia* dicuntur, gressus fiat; prima venit Bonitas. Triplex autem Bonum distinguitur: *Absolutum*, *Relativum*, *et Morale*. *Absolutum*, proprietas cujusque entis, definitur: *Id cui nihil ex suis principiis essentialibus deest.* Ab hoc differt bonum *accidentale*, quod principiis continetur quæ ad rei essentiam non pertinent, ut scientia aut sanitas in hominibus. *Bonum Relativum* dicitur id, *quod est alteri conveniens* ut ejus bonum aut conservet aut perficiat. His opponuntur *malum absolutum* et *relativum*: primum nullum est in natura, cum sit mera privatio: sed *relativum malum est perfectio simplex sive secundum quid*, quæ ad majorem perfectionem refertur, aut quæ cum majori perfectione pugnat; ut ægrotationis status qui pugnat cum statu valetudinis. *Bonum* autem *Morale* est *convenientia actionis liberæ cum Lege*, aut actio facta propter bonum finem et in debitis circumstantiis; quod verò ab his discrepat, *malum morale* est.

LXVII. Deum itaque ea triplici bonitate gaudere facile ostenditur. Nam 1. Deus bonus est *bonitate ab-*

soluta; est enim ipsa rei perfectio, et summa perfectio (Ex N.° LIV. LV.) Ergo non solum bonus, sed est optimus absolutè, sive est ipsum transcendentale bonum. Hinc apud Lucam *C.* 18. *v.* 19. Christus Deum solum per excellentiam bonum dicit: *Nemo bonus, nisi solus Deus:* id est in quo perfectissima bonitas reperitur. Sanè quod Deus sit bonus, quod optimus ipsi gentiles Philosophi Platonici, Stoici, Peripatetici prædicabant; quin ajebant, Deum esse bonum ὑπερουσιως *Supersubstantialiter*, cum sit fons omnis boni, ipsumque bonum: Plato vero Deum esse Το Καλον, ipsum *pulchrum bonum* dicere solebat. 2.° *Relativa* etiam *bonitate* Deus summe præditus est, nempe relatè ad Creaturas. *Bonitatem* enim *essentialem* Deus creaturis largitur quantum capere queunt juxta essentiam earundem: *bonitatem* vero *accidentalem* largitur cuilibet quantum divinæ suæ sapientiæ conveniens est. Deus igitur cum omnium sit creator et conservator, et omnia perficiens, est ipsis convenientissimus et beneficus, præsertim rationalibus creaturis quas ad felicitatem dirigit, et ad possessionem ordinat ipsius summi Boni. Hanc itaque Dei bonitatem Scripturæ Sacræ singulis ferme paginis collaudant, ut Psalmo CV. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Et Psal. 72. *Quam bonus, Israel, Deus, his qui recto sunt corde!* Quin non modo erga probos sed et erga improbos Deus beneficus est, qui, ut habetur Matthæi Cap. V. *solem suum oriri facit super bonos* et *malos, et pluit super justos et injustos.* Quid plura? Omnes Gentilium libri hanc et ipsi Dei beneficentiam deprædicant, a quibus

Deus Optimus Maximus passim dicitur. Nec audiendi recentes athei, qui cum antiquis ajunt, Deum beneficum non videri, qui hominibus libertatem dederit tot malorum originem; Nam *beneficium non est*, inquiebat Seneca, *quod ei, cui datur, noxium est*. Non enim datum fuit ut esset noxium, sed utile ac saluti- ferum, ut in multis fit. Illud ergo ex abusu oritur libertatis, quæ ratione regenda est. Querelæ igitur eæ sunt improborum, qui contra fas, sceleribus luxuriari cupiunt, quin pravis cupiditatibus frænum injiciant. At ob illorum improbitatem non erat libertas generatim hominibus auferenda, quæ ad mundi eorumque perfectionem confert, et plurium bonorum causa est et origo. (Conferatur Sup. N. XXX.). Tandem præter bonitatem absolutam et relativam, Deus bonus etiam est Bonitate Morali. Ipse enim semper operatur summa sapientia, et propter optimum finem, nempe propter seipsum, qui est ipsa Bonitas, Sanctitas, atque Justitia. Quare legitur *Prov. XVI. v. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus*; atque propterea omnia quæcumque facit, optime facit ac sapientissime.

LXVIII. Ex Dei Bonitate profluit sua ipsius *Pulchritudo*. Pulchra dici solent, quæ *perfectione*, *unitate*, *ordine*, *et proportione* constant. Igitur Dei Pulchritndo erit apta divinorum attributorum congruentia atque harmonia. Quocirca Ens infinitè perfectum infinitè quoque pulchrum habendum est. Revera cum in creatis rebus hanc partium harmoniam philosophi contemplentur, quanto eminentius hæc in Deo agnoscenda est? Ex pulcherrimis ergo Dei operibus perfe-

ctio illius et pulchitudo perspicuè ostenditur: *si enim pulchra sunt, quæ fecit*, ajebat Augustinus *in Psal.* 144., *quanto pulchrior est, qui ea fecit?* Hinc legitur Psalmo XCV. *Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus*: Nempe *Gloria et decor*. Denique pulchritudo est animi decus et ornamentum; Deus autem est virtus, sanctitas, et omnis justitiæ fons; igitur semper decorus est.

LXIX. Sed Scripturæ *Sanctitatem* quoque Deo tribuunt; unde Psal. XCV. *Pulchritudo in conspectu ejus, Sanctimonia et magnificentia in Sanctificatione ejus*. Dei autem Sanctitas est perfecta puritas ab omni immunditia ac turpitudine spirituali, qua ab omni imperfectione quæ cogitari possit, longissimè abest. Essentialis est autem ipsi hæc Sanctitas, cum a summa perfectione deficere nequeat. Ob hanc Sanctitatem maximè aversatur quamcumque nequitiam et improbitatem, atque ob eam potissimum secernitur a diis gentium qui turpitudinibus inhonestabantur; *quoniam*, ut habetur in Psalmis, *omnes dii gentium dæmonia*. Sed hæc perfecta Sanctitas solius Dei propria est, unde dicitur 1. *Reg. C.* 2. *Non est Sanctus, ut est Dominus;* et Exodi XV. appellatur, *magnificus in sanctitate*: Apud Isajam verò C. 6. *ter sanctus* celebratur. *Quoniam*, ut habetur 1. *Jo. C.* 1. *v.* 2. *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*. Inde infertur Sanctitas divinæ Voluntatis, ut solum verum bonum, nullumque malum velit. Quod et Platonici sensere, ut Plato inhibuerit, quemquam in civitate sapienter constituta dicere audere, *Deum, qui bonus est, malorum esse causam*. Quocirca Chrysippus apud Plutarchum summopere laudat illud Euripidis

Ει θεοι τι δρωσιν αισχρου, ουκ εισιν θεοι.

Si dii aliquid admittunt turpis, dii non sunt. Igitur divina sanctitas in eo nobis imitanda est, ut bonum appetentes, malum morale fugiamus: Unde dicitur: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: Imitatores Dei estote* etc. Sanctus autem, græcè ἁγιος, hebraicè *Kadosch*, idem significat ac *colligatus*, *adhærens*, *devotus*, *a profanis sejunctus*, *verique Dei cultui addictus*. Quare *Santificate ecclesiam*, idem est ac *convocate cœtum*: *Sanctificate bellum*, *bellum vovete*: *Sancta David fidelia*, sunt *electa promissa* Davidi facta: *Sanctum Domino*, est Deo *devotum* et *sacrum*. Hinc *sancti* in Scripturis appellantur, qui cultui Veri Dei addicti sunt, omnesque fideles, qui veram profitentur Religionem. Sancti autem peculiari sensu dicuntur, qui morum puritati ac heroicis virtutibus se addicunt. Intelligitur itaque cur summa Dei Sanctitas pravitatem omnem in creaturis aversetur ac puniat.

LXX. Sanctitati Dei accedit *Veritas*, qua nempe est eminenter verus. Triplex est autem Veritas, *metaphysica*, *moralis* et *logica*. Cum autem veritas metaphysica sit ipsa Entis essentia, et Deus sit Ens a se, necessarium, independens, æternum, et perfectissimum, non modo Verus est, sed est ipsamet Veritas. Quare in S. Literis Deus sæpe et αληθινος, *verus*, et αληθες *Veritas* dicitur. Apud Jeremiam vero *Cap. X. v.* 10. *Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et Rex sempiternus*. Et apud Joannem C. XVII. *Ut cognoscant Te solum verum Deum.* Hinc Platonici solum Deum verè esse, cætera esse quasi umbras agno-

vere: Unde Mercurius Trismegistus habet: *Universa super terram non ipsa veritas sunt, sed veritatis imitationes et umbræ; primaque Veritas una est et sola* etc. Hoc autem attributum Deo in Scripturis datum *Veritatem* etiam *Moralem*, hoc est, veracitatem et constantiam in factis dictisque significat: *Est autem Deus verax*, inquit Apostolus, *omnis autem homo mendax*. Denique *Logica veritas* cum sit conformitas cognitionum intellectualium cum suis objectis; dici debet, quod conveniat hæc veritas Deo eminentissimo modo, cum ipsius scientiæ nulla falsitas aut obscuritas subesse queat. Quare in Psalmis dicitur: *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua*. Et Apostolus Epist. ad Hebræos ait: *Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*.

LXXI. Deus præterea est semper vivens, sibi sufficientissimus, beatissimus, ac summa gloria præditus. *Vita* Dei in perfecta intellectione ac voluntate consistit. Nam Deus ab æterno omnia possibilia cognoscit, et quidquid vult ab æterno et immutabiliter vult; unde actus purissimus est, quo perfecte seipsum et omnia intelligit, in quo ejus vita beatissima posita est. Quare Apostolus sæpe *Deum vivum* ipsum appellat, ut *ad Thessal.* C. I. v. 9: *Conversi estis ad Deum vivum et verum*. Sibi vero sufficientissimum esse, liquet ex summa sua perfectione: *Nec enim*, inquiebat Apostolus in Areopago *Act.* C. XVII., *colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia*. Ex quibus infertur, Deum perfecta *Beatitudine et Gloria* frui. Hæc enim Beatitudo in perfecta et quietissima possessione consistit summarum

proprietatum: Gloria vero et Majestas omnium est perfectionum complexus. Unde Apostolus nominat; *Gloriam beati Dei*, et *Deum Gloriæ ipsum* appellat *ad Timoth.* 1. v. 11. *Act.* 7. v. 2. A vocabulis autem *Magnus*, *Majus*, fit *Majestas*, quasi *Magnitudo*; quare *Dei Majestas* est, qua omnes possidet et complectitur perfectiones, ita Psalm. CXLIV *Magnitudinis ejus non est finis*: Et *Prov. XXV. Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a Gloria*.

CAPUT X.

DE INEFFABILITATE DEI, EJUSQUE INVISIBILITATE ATQUE INCOMPREHENSIBILITATE.

LXXII. Hucusque quid sit Deus secundum seipsum contemplati sumus: inquirendum modo qualis sit in intellectu nostro, sive quomodo a creaturis cognosci queat. Et quidem Dei attributa jam experti sumus quam imperfectè a nobis intelligantur; ut Eunomiani longè aberraverint, qui Dei nomina ipsius naturam exprimere arbitrabantur, cum Deus sit *ineffabilis*. Est autem *Ineffabilitas impotentia verbis rem exprimendi*. At quibusvis nominibus non posse Dei perfectionem significari jam supra ostendimus. (N. XLII.). Modo itaque demonstrandum est, non solum ineffabilem, sed et naturali vi esse Deum menti nostræ *invisibilem*. Circa verò visionis nomen observat S. Thomas *P. P. q.* 67. *A.* 1. *Quod propter dignitatem hujus sensus extensum est hoc nomen secundum usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum...*

et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, juxta illud Matth. V. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Triplex autem visio distinguenda est *Abstractiva, intuitiva*, et *comprehensiva*. Prima ex aliena specie oritur, qua nempe cognoscimus Deum per medium ab eo distinctum ut per fidem, per creaturas, per ratiocinium, cum ex effectibus ad causæ cognitionem, assurgimus: *Intuitiva* est qua res in se et per seipsam immediatè cognoscitur: *Comprehensiva* autem qua res cognoscitur adæquatè et perfectè, ut nihil prorsus lateat videntem. Porro Deum *abstractivè* in hac vita cognosci, ex his quæ hucusque dicta sunt, clara res est. Verum Anomæi Deum se perfectè intueri gloriabantur, quem stultum errorem fanatici quidam, Beguini dicti, Sæculo XIV. renovarunt.

LXXIII. Itaque fidei dogma est, per solas naturæ vires ab intellectu creato non posse Deum *intuitive* videri. Et quidem Scripturæ imperfectam dumtaxat et abstractam mortalibus Dei cognitionem tribuunt. Nam dicitur ab Apostolo 1 *ad Corinth. XIII. 9. Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus: Cum ergo venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, per fidem enim ambulamus, non per speciem: Videmus nunc per speculum et in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Alibi quoque 1. *ad Tim. VI.* 16. ait, quod Deus *lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Accedit, visionem hanc peculiare esse Dei donum; ut enim inquit Christus *Matth. XI. 27. Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare*. Quæ certe

expositore non egent. Non refert auctoritates Patrum excribere, qui hac in re concordissimi sunt: sufficiat annotasse, in Concilio Viennensi sub Clemente V. anno 1311. proscriptam fuisse hanc Beguinorum propositionem. *Quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriæ ad Deum videndum, et eo beate fruendum.* Proscriptionem hanc ratio ipsa confirmat. Nam proportio intercedere debet inter facultatem cognoscitivam, et objectum quod cognoscere oportet; at nulla est proportio inter Deum et intellectum creatum qui cum sit ordinis inferioris nequit objectum attingere superioris ordinis, sicut oculus corporeus par non est ut Angelum videat. Cum ergo ait Augustinus *de Civ. d. l.* 4. C. 27. solum peccatum causam esse, cur Deum non videamus; non de causa physica loquitur sed de morali, quatenus hominem privat supernis auxiliis, quibus Deum queat intueri, Non enim visio intuitiva est finis hominis naturalis viribus naturæ attingendus; sed finis est supernaturalis ad quem Dei Gratia homines directi sunt; dicente Domino *Jo. XIV. Qui diligit me, manifestabo ei meipsum.* Sed nonne, ajunt, Deus objectum est intellectui nostro accomodatum, ipsi intimè præsens, ac intra illius limites contentum? Dicimus: Deum *abstractè* cognitum esse quidem intellectui nostro accomodatum; non autem *intuitivè* nisi Dei virtute adjuvetur; non quod sit aliquid extraneum ab intellectu nostro, sicut est sonus a visu; sed ob creatæ naturæ limites, quibus de Deo tantum cognoscimus, quod sit, et causa sit aliorum, aliisque supereminens, ac ab omnibus remotus; quod est perfectum et ultimum cognitionis nostræ in hac vita.

LXXIV. Potest tamen Deus ab intellectu creato gratia adjuto intuitivè videri; quod ut fidei dogma definitum est in Concilio Florentino adversus Armenos et Palamitas; qui Deum in propria essentia videri non posse docebant, sed tantum ratione cujusdam lucis a Deo distinctæ, ipsumque circumdantis, ut contigit discipulis in Monte Thabor. Verum intuitivam Dei visionem Sacræ Literæ apertè pollicentur; ut cum Matthæi XVIII. dicitur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: Et ibid. C. V. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: *Et* 1. *Cor. XIII. Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Demum ait Joannes 1. *Ep. c*, 3. *Videbimus eum sicuti est*. Quare juxta universalem Patrum traditionem Concilium Florentinum in Decreto Unionis cum græcis definivit: *Justos post mortem clarè intueri ipsum Deum Trinum et Unum, sicuti est*. Quod est Deum absque ullo medio *intuitivè* videre. Quod itaque opponebant Armeni, visionem Dei *facie ad faciem* concessam quoque fuisse in hac vita Jacob et Moysi, ut in Scripturis habetur, quin tamen, ut omnes fatentur, Deum intuitivè viderint; facile solvitur. Nam loca illa obscura per alia clariora in Scripturis ipsis explicantur, dicitur enim apud Oseam Cap. XII. et in Actis Apost. Cap. III. visiones illas per Angelos Deum repræsentantes fuisse factas: sicut aliæ in forma assumpta factæ sunt. At visio intuitiva post hanc vitam concedenda non modo alicubi in Scripturis non negatur, imo pluribus in locis adstruitur et confirmatur. Dum autem dicitur Joannis Cap. I. *Deum nemo vidit unquam*: aut 1. ad Tim. C. VI.

Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit nec videre potest: Vel cum ibid. C. I. legitur: *Regi sæculorum immortali et invisibili:* Hæc non innuunt, Visionem Dei aut esse impossibilem, aut nulli concedi posse; at significant, ut vidimus, Deum aut solis naturæ viribus, aut comprehensivè, aut etiam corporeis oculis, aut intuitivè in hac vita videri non posse. Alia enim loca testantur, Deum in altera vita superna virtute visum iri; *quoniam*, ut ait Psalmista, *apud Te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Quare cum Petrus 1. *Ep. c.* 1. inquit: *In quem desiderant Angeli prospicere:* non vult Angelos Dei visione carere: sed loquitur de desiderio possessionem comitante, qua Deum semper intueri anhelant. Patres verò, qui in suspicionem adducuntur, rejiciunt quidem Visionem Dei *comprehensivam* ab Anomæis jactatam, vel de Visione Dei in hac vita loquuntur, vel in altera sine Dei virtute, ut ex contextu liquet. Hinc Chrysostomus *Hom. IV. Cont. Anom.* habet: *Dei exquisitam comprehensionem habere non potest Angelus, aut ulla Creatura.*

LXXV. Itaque si dogma fidei est; Intellectum creatum Dei Virtute suffultum posse ejus essentiam prospicere: at simul est fidei dogma, Deum a creato intellectu comprehendi nunquam nec ullo auxilio posse. Comprehensio tamen, quæ græcè κατάληψις dicitur, olim vario sensu sumpta hîc tantum significat, plenam et ex toto rei cognitionem, ut nempe ita res clarè et perspicuè cognoscatur, ut nihil lateat omnino. Præter Anomæos, fuere, qui saltem Animæ Christi eam comprehensionem tribuendam censuere in Basileensi Con-

cilio sessione XXII. proscripti. Revera id Scripturæ apertè testantur, ut Jeremiæ Cap. XXXII. v. 19 ubi Deus dicitur: *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu.* Apostolus vero *ad Rom. XI.* 33. exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* His accedit Ecclesiæ auctoritas; nam in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III, anno 1215. statutum est, ab omnibus Fide Catholica credendum, *Unum esse Deum æternum, immensum, incomprehensibilem.* Quod perpetua Patrum traditio confirmat; quare S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. VI.* ajebat: *Angelos videre Deum non sicut Deus est, sed quantum capere ipsi possunt.* Nempe tantum intuitivè. Nam ad comprehensivam Dei visionem infinita virtute opus esset, cum Deus infinitus sit. Non est autem creatura capax infinita virtute, cum sit finita, ut propterea comprehendere Deum non possit. Itaque Beati totum quidem Deum vident, sed non totaliter: exempli causa, cognoscunt Dei bonitatem latissimè diffusam, quin eam metiantur, ut qui ex altissima specula mare contemplatur; Omni gaudio replentur, quin totam capiant divinitatem, ut vas aquæ immersum totum repletur, etsi minimam aquarum copiam recipiat. Cæterum incomprehensibilis Deus est 1. ratione immensitatis. 2. ratione æternitatis. 3. ratione infinitatis. 4. ratione suæ bonitatis. Quare cum Apostolus ait: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum:* particula *sicut* ab Apostolo adhibita non perfectam designat comparationem sed quæ opponatur cognitioni obscuræ et abstractivæ, quæ in terris de Deo habetur, de qua ibi sermo est. Eo sen-

su ajebat Christus: *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis*. Ubi certè perfecta non innuitur comparatio. Beati verò *comprehensores* quidem vocantur, sed non quia Deum comprehendant, at verò quia Deum apprehenderint, sive consecuti sint, ut ajebat Apostolus: *sic currite, ut comprehendatis*: Vel ut ad Timotheum scribit: *Apprehende vitam æternam*. Quod si Deus est simplicissimus, non sequitur comprehendi oportere. Hinc Beati totum Deum vident, non totaliter: vident enim finito modo, ut creatura capax est, non modo infinito, uti dictum est; cum infinita Dei attributa infinitos respectus habeant, qui nequeunt ab intellectu creato ex omni parte attingi.

CAPUT XI.

DE EXISTENTIA AC TEMPORE BEATIFICÆ DEI VISIONIS.

LXXVI. De Invisibilitate Dei agendo Theologi statuere solent adversus hæreticos quosdam tempus quo intuitiva Dei visio juxta divina promissa justis concedenda est. Sed primo inquirunt, utrum aliquibus Sanctis in hac vita mortali se unquam Deus conspiciendum dederit. Patres de hac re diversa sensere, licet consenserint, peculiari privilegio id fieri potuisse. Quæstio est autem de puro homine, non de Christo Domino, cujus Anima dubio procul ea visione in terris fruita est. In hac ergo adiaphora controversia sunt, qui non modo Moysi, Paulo et prophetis nonnullis eam visionem tribuerunt; sed et Mariæ Virgini, quin et

Sanctis Benedicto et Francisco. At contraria sententia arridet aliis eruditis viris, nec immerito. Nam quantum ad Moysen attinet, Exodi XXXIII. dicit ei Deus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet ... videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Hæc autem accipiuntur de forma assumpta, aut de fulgore Angeli, qui in persona Dei cum Moyse loquebatur, Imo Joannes Cap. I. 18. affirmat; *Deum nemo vidit unquam:* Et Cap. VI. 46. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo:* ut de se Christus dicit. Apostolus vero 1. *Tim.* c. VI. de Deo inquit: *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quæ Apostolus scribit post suum raptum in Cælum. Quæ omnia de hominibus in hac vita degentibus ut patet intelligenda sunt. Quare cum de Moyse aliisque dicitur in Scripturis eis Deum *ore ad os* locutum, *et facie ad faciem*, de sensibili ejus præsentia per Angelum, aut in forma assumpta dictum intelligendum est: Nam Judicum Cap. XIII. cum uxor Manue Angelum vidisset, dixit vir ejus: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Non ergo ea formula semper indicat essentiæ Dei Visionem. Quod si nec intellectu in hac vita Dei essentia unquam visa est; multo minus visa est corporeis oculis, imo nec conspici unquam poterit. Nam est oculus facultas physica quæ versari nequit, nisi circa objectum sibi conveniens, ut nempe excipiat lucis radios a corporibus reflexos. At Deus purus spiritus est, ut radios lucis reflectere nunquam possit. Hinc sapienter S. Fulgentius *ad Object.* 3 *cont. Ferrand.* scribit: *Quisquis autem vult agnoscere quibus*

oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, Veritas est, Charitas est; quocirca quibus oculis videtur Sapientia, Veritas, et Charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens veraque Divinitas. Quin neque divina vi oculus ad Deum videndum sublevari posset, ut nonnulli opinati sunt; id enim absurdum est, et in Scholis inauditum; ad hoc enim opus esset ut corporis natura destrueretur; sicut ergo corpus ad cogitandum efferri nequit, ita neque ad contemplandum Deum. Quare cum Job. c. XIX. ait: *In carne mea videbò Deum meum*: Et C. XLII. *Nunc autem oculus meus videt Te*: Non de divina essentia loquitur, at vero de signis externis præsentiæ Divinæ, aut de Christi humanitate conspicienda, aut etiam de stupendis ejus redemptionis effectibus, ut ajebat Joannes Baptista apud Lucam Cap. III. *Et videbit omnis caro salutare Dei*.

LXXVII. Promissa est igitur non corporeis oculis, sed Animabus justorum in altera vita intuitiva Dei visio; ut pollicetur Christus apud Joannem *Cap. XIV.* 23. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Verum controversia hic exurgit circa tempus, quo ea gloria beatifica concedenda est. Non hic morabimur Arabum quorundam errorem, qui olim volebant, animas una cum corporibus interire in generali resurrectione iterum ad vitam redituras: sed quod vix credibile videtur, Joannes Lockius hoc erratum jam obsoletum ab orco revocare tentavit. Alter fuit error illorum, qui animas Justorum in aliqua beata requie vivere putabant: post autem assumptis denuo corporibus spatio

annorum mille in terris cum Christo regnaturas, ac demum peracto generali Judicio in Cælum ingressuras; qui *Millenarii*, græcé *Chiliastæ* dicti sunt. Tertius error est eorum, qui regnum illud rejicientes, putabant tamen justorum animas non fore beatifica visione fruituras, nisi post Universale Judicium.

LXXVIII. Quod spectat ad primum recensitum errorem, jam apud ipsos saniores philosophos demonstratum est, Animos esse incorruptibiles et immortales. At Evangelium id manifeste declarat: Ibi Christus affirmat *Matth. X.* 28 *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quod confirmabat narratione de Lazaro mendico ac de divite *Lucæ XVI.* Apud eundem Lucam *Cap. XXIII.* 43. pio Latroni Christus ajebat: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Conferantur quæ habentur Apocalypsis C. VI. et alibi. Quæ ergo afferuntur a socinianis, quibus Lockins adhæsit, et a Scripturis petuntur, vel de laude Deo reddenda in hac vita loquuntur, ut illud Psalmi CXIII. *Non mortui laudabunt te Domine.... sed nos qui vivimus:* Vel de quiete a miseriis hujus vitæ obtinenda in morte: Vel de meritis quæ post mortem nulla erunt, ut est illud Ecclesiastis C. IX. *Nec opus, nec scientia erunt apud inferos:* Vel de conditione corporis quæ similis aliquo modo nobis est cum jumentis, ut dicitur *ibidem* Cap. 3. Nam veteres hebræos de vita æterna recte aensisse præter plura testatur Psalmista cum canit *Psal.* 83. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt Te.* Gravior quidem difficultas movetur de Apostoli verbis 1. Cor. XV. 18. 32. ubi ait: *Quid*

mihi prodest, si mortui non resurgunt . . . manducemus et bibamus cras enim moriemur. Quasi nostra felicitas a resurrectione expectanda sit. Verum difficultas facile dissolvitur si animadvertamus, Apostolum non de nostra at verò de Christi agère resurrectione, quæ si vera non fuisset, vana esset fides nostra, et inanis Apostoli prædicatio, qui, ut ibi ait, inveniretur falsus testis. Conferatur totus contextus, ubi de necessitate resurrectionis ut animus reviviscat, ne verbum quidem; sed ne illa absurda et alia admittantur, Christi resurrectio agnoscenda est. Revera sæpe docet Apostolus nos statim post mortem cum Christo esse, ut 2. *Cor.* 2. *c.* 1. *Voluntatem habemus peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.*

LXXIX. Nec felicior est error Millenariorum quorum rudiores sibi fingebant regnum illud corporeis deliciis affluens: alii tolerabiliores spirituales tantum jucunditates in eo sperabant, qui tamen omnes a Patribus refutati sunt; si verò nonnulli eidem suffragati sunt, ut meram opinionem habuere. Mirum itaque hanc fabulam jam in obscuro jacentem ab hæreticis recentioribus et præcipue a Thoma Burneto in libello *de statu Mortuorum* suscitatam fuisse, contra quem Ludovicus Muratorius opus edidit *de Paradiso.* Itaque non est opus regnum refellere rudium Chiliastarum, cum eam fabulam Evengelium ipsum rejiciat Matthæi XXII et Apostolus pluribus in locis. Sed Christi Regnum æternum futurum profitemur in symbolo juxta id quod Angelus ait Lucæ I. Et *Regni ejus non erit finis.* Demum N.° superiori ostendimus, justos statim a morte

eum Domino futuros esse. Sed Chiliastæ in eum errorem lapsi sunt ex eo Apocalypseos loco *Cap. XX.* ubi de justis dicitur: *Et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis . . . hæc est resurrectio prima* . . . Verum resurrectio prima est assumptio Animarum Sanctarum ad vitam æternam, quæ modo regnant cum Christo usque ad extremum Judicium: atque hoc spatium indeterminato numero mille annorum designatur. Resurrectio autem secunda est corporum resurrectio omnibus communis et universalis. Quæ cum Apocalypseos textu apprime cohærent. Videatur Augustinus Lib. XX. de Civ. Dei Cap. VII.

LXXX. Itaque Ecclesiæ Catholicæ dogma est, Animabus justis quibus post hanc mortalem vitam nihil luendum superest, sine dilatione ulla intuitivam et beatificam Dei visionem concedi. Solemniter enim hoc definitum est in Concilio Florentino OEcumenico, et in Tridentino sessione XXV. confirmatum adversus novas hæreses Calvinistarum et Socinianorum, ubi declarat: *Illos verò qui negant, Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse.., jam pridem damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia.* Id enim ex luculentis Scripturarum testimoniis elucet, ut jam vidimus N.° LXXVIII. Quod et alia Loca confirmant, ut Ecclesiastici Cap. XI. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*. Apostolus etiam ad Philipp. I. ait: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*. Quare statim post dissolutionem a corpore hanc optabat felicitatem. Id affirmat etiam ad Corinthios scribens *Ep. 2. c. v. v. 1. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra*

hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nullus ergo alius locus præter Cælum statim a morte Sanctorum animas excipit. Non vacat Patrum testimonia excribere, quæ apud Petavium Libro VII. et apud Muratorium in recensito Opere *de Paradiso* innumera habentur. Sufficiat referre, quod de obitu S. Polycarpi tota Smyrnensis Ecclesia scribebat *Ap. Euseb. Hist. Eccl. l. 3. Devicto injusto præside, immortalitatis corona recepta; cum omnibus Apostolis exultans Deum glorificat*.

LXXXI. Objiciebat his Calvinus, quod in extremo Judicio Christus sanctis dicturus est *Matth. XXV. Venite benedicti .... possidete paratum vobis regnum*: ut ante illud Judicium in cœlis non sint: idque confirmabat ex quo ibidem dicatur, tunc primum electos esse a reprobis segregandos. At non considerabat, Christum ibi loqui de retributione completa et solemni, quam Sancti cum resumpto corpore consequentur. Non est igitur Universale Judicium cum particulari confundendum; nam de præmio ac pœna rependendis illico post obitum, præter plura, fit aperta mentio a Christo Lucæ XVI. ubi sortem Lazari et epulonis narrat, de quibus dicit: *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ: mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno*. Abraham verò ita ad divitem loquebatur: *Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*. Quæ nisi habito prius particulari utriusque judicio non contigissent. Igitur vita functos præmium aut pœna statim manet. Segregatio autem judicando-

rum vel respicit corpora, quæ cum corporibus impiorum modo ut plurimum confusa, jacent: Vel locum respicit judicandis destinatum, cum justi ad dexteram, ad sinistram reprobi collocandi sint; quæ separatio cum judicium antecessura sit, actum jam peculiare uniuscujusque judicium supponit. Nec reponant adversarii, Apostolum 2. *ad Tim.* c. IV. dicere: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*: Joannem vero 1. *Ep. C.* 3 addere: *scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*. Nam ibi Apostolus loquitur de retributione, quæ Animabus simul cum corpore èst reddenda; quare alibi *Cap.* 1. ajebat: *Certus sum, quia potens est depositum meum servare* (id est corpus meum) *in illum diem*. Joannes verò non dicit, nos Deum visuros cum ipse apparuerit ad judicandum, sed *cum quid nos erimus* apparuerit, scilicet post mortem; dixerat enim: *Nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit etc.* Difficultas igitur ex inepta intelligentia orta est. Inde alia oritur difficultas ex Libro II. Machabæorum petita Cap. XII. ubi de Juda dicitur: *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum et vanum videretur orare pro mortuis*: Quasi a generali resurrectione illorum salus penderet. Nam Judas Machabæus ibi sperabat resurrectionem primam, nempe liberationem illarum animarum a Purgatorii pœnis; de qua dicitur Psal. 1. *Non resurgent impii in judicio etc.* Non de secunda generali ibi sermo est, quæ non speratur sed creditur. Hinc ibi concluditur: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a pec-*

catis solvantur. Cavillantur etiam Calvinistæ circa illud Apostoli ad Hebr. XI. 13. 16. ubi de Patriarchis habetur: *Defuncti sunt omnes isti non acceptis promissionibus . . . Nunc autem meliorem appetunt* (patriam), *id est cælestem :* Quasi etiam modo cælestem patriam non teneant. Sed Apostolus ait, *non accepisse repromissiones* cum defuncti sunt, quas plenas acceperunt post Christi Domini Redemptionem: particula autem *nunc*, non est *temporis*, sed *illativa* juxta hebraicam phrasim : Nempe, non appetebant patriam terrestrem, sed meliorem, cælestem scilicet, tunc inquirebant. Itaque concludit Apostolus: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*: peracta scilicet Redemptione.

LXXXII. Est hic præterea adnotandum, pertinere ad Catholicam fidem, Sanctos in cælis regnantes inæqualiter pro meritorum diversitate frui beatifica Dei visione et gloria. Id enim in Concilio Romano definitum est anno 390 contra Jovinianum, quem SS. Ambrosius et Hieronymus strenue confutarunt. Errorem hunc ortum a Stoicorum opinione, qua putabant, *æqualia esse peccata et recte facta*, ut probare Tullius nititur Paradoxo III. Lutherani visi sunt suscitasse, volentes, nos fieri justos imputatione Justitiæ Christi, quæ omnibus æqualiter applicetur, atque æqualem in Cælis pariat gloriam. At *cum illa meritorum æqualitas sit*, ut ait Augustinus, *contra omnem sensum generis humani* : non modo divinis oraculis, sed et ipsa ratione facili negotio retunditur. Ajebat enim Christus Dominus *Jo. XIV.* 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* : nempe numero et gradu

distinctæ; ut explicat Apostolus 1. *Cor. XV.* 42. Ubi de hac gloria disserens: *Alia*, inquit, *claritas solis*, *alia claritas lunæ*, *alia claritas stellarum*: *Stella autem a stella differt in claritate*: *sic et resurrectio mortuorum*. Apostolus præterea ad Romanos *Cap.* 2. 6. de Deo affirmat: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus*. Et 1. Cor. 3. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: Et alibi 2. Cor. IX. 6. *Qui parce seminat*, *parce et metet*: Et sane eadem ratio habenda est præmii ac pœnæ; sed pœna pro diversitate crimium diversa erit, ut habetur Apocalypsis XVIII. *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit*, *tantum date illi tormentum et luctum*. Diversum ergo et præmium erit. Quod universa Traditio sensit, et ipsa ratio aperte suadet: Nam cælestis gloria est corona et merces; pro diversitate laborum ergo reddenda est. Sed ajunt: Matthæi XX. inducitur Paterfamilias, qui singulis operariis mercedem æquam rependit: *acceperunt et ipsi singulos denarios*; unde alii murmurabat. Hæc tamen parabola significat tam Judæos quam Gentiles æque ad Christi Ecclesiam vocandos, et æque justificandos esse, licet ad Cultum Dei Gentiles posterius, Judæi antiquitus vocati fuerint. Quod si Spirituali sensu placet hanc parabolam interpretari, et *anagogice* de mercede cælesti: tunc denarius singulis tributus, figura erit mercedis quantum ad substantiam, non quantum ad retributionis æqualitatem. Verum in cælesti Patria murmur esse non poterit, nec majorem quisquam exoptare felicitatem; omnes enim juxta capacitatem sibi a Deo tributam cælesti gloria fruentur, eruntque omnes sua

sorte contenti, Divinæque ordinationi et justitiæ addicti; et Deus erit omnia in omnibus, omniumque capacitatem explebit; qui totum Deum videbunt, licet finito modo, qui in uno perfectior quam in alio erit.

LXXXIII. Inquisito recenter facta est: Utrum veteres justi ante Christi Resurrectionem in Abrahæ sinu quiescentes intuitiva fruerentur Dei visione: Et vetus sententia est, justos illos ad visionem beatificam tunc nondum fuisse admissos, quia, ut ait Hieronymus Epist. 22. ad Paulam, *necdum Paradisi januam Christus effregerat*. Quod non paucis Scripturarum locis, et communi traditione firmatur; ut Canus *de Locis* l. 8. c. 4. nonnisi temere hanc sententiam rejici posse affirmet. Tamen Sæculo XVIII. mediante, affirmativam opinionem defenderunt Joan. Cadonicus et Angelus M: Feltrius, quibus adversati sunt Liberatus Fassonius, ac Thomas Mamachius præcipuè opere edito *De animabus Justorum in sinu Abrahæ*, quo antiquam sententiam luculenter restituit, et ab adversariorum objectis plane vindicavit. Quæritur præterea a Theologis: Quid sit illud *Lumen Gloriæ*, sive Dei Auxilium, quo Beati indigent, ut intuitiva Dei visione fruantur; dictum est enim (Sup. N: LXXIII.), intellectum creatum nativa sua vi Deum intueri non posse; quare indiget supernaturali virtute, quæ lumen Gloriæ appellari consuevit, definiturque: *Habitus supernaturalis et permanens intellectum elevans ad intuitivam Dei visionem*. De cujus natura cum nihil definitum sit, hinc Scholæ in varias sententias abiere. Quæritur rursus: Quodnam

sit obiectum hujus visionis; sive quidnam Beati in Deo videant? Et respondendum, Dei Essentiam videre, illiusque attributa tam absoluta quam relativa: Nam *videbimus eum sicuti est*, ut inquit Joannes. Nec obstat, eas perfectiones dici numero infinitas: Non enim a parte Dei infinitæ sunt, qui est una simplex perfectio infinitis perfectionibus æquivalens, et habens infinitos respectus, qui omnes nequeunt a creato intellectu cognosci; alias Deum comprehenderet, quod est impossibile (Sup. N: LXXV.). Non vident ergo res omnes possibiles sive existentes sive futuras: tunc enim Dei Omnipotentiam comprehenderent, quod esse nequit. Plura tamen, quæ apud nos geruntur, ipsis cognita sunt, et nostras preces norunt, secundum quod, a Deo ipsis manifestantur. Vident autem clarè Mysteria fidei, ut testatur Apostolus. Videbunt etiam creaturas in seipsis; licet cognitio hæc inferior sit habenda; unde cognitio hæc vocatur ab Augustino *vespertina*; ea vero, qua Beati res in Deo vident, cognitio *diurna* et *Matutina* appellatur.

CAPUT XII.

DE SCIENTIA DEI.

LXXXIV. Deum Spiritum esse purissimum supra ostensum est (N. XLVI.): Spiritui autem conveniunt vita, intellectus, scientia, atque voluntas. Est itaque Deus non modo vivens (sup. N. LXXI) sed est prima vita et beatissima, ac cæteris vitam tribuens, atque

ut Apostolus ait Act. XVII. Qui *dat omnibus vitam et inspirationem et omnia*. Sed hæc perfectissima vita Dei posita est in intellectione æterna et infinita qua omnia possibilia clara unica et distincta perceptione comprehendit, est enim causa sufficiens omnium. Itaque Divinus intellectus est *simultanea omnium possibilium et distinctissima repræsentatio*: Divina autem scientia definitur: *Ratio qua Deus se et reliqua omnia perfectissime comprehendit*. Quod verò sit in Deo hic intellectus et scientia perfectissima, tum divina Auctoritas, tum ratio ipsa demonstrant. Nam Sacræ Literæ Deum scientiarum dominum appellant 1 *Reg*. c. III. *Deus scientiarum Dominus est*, sive juxta hebraicam significationem: *Deus cogitationum Dominus*. Esther *Cap*. XIV. 14 *Domine, qui habes omnem scientiam*. Et Ecclesiasticus habet *Cap*. 42. 19. *Cognovit Dominus omnem scientiam*. Psalmista etiam graviter redarguit impios, qui dixerunt *Psal*. 72. *Quomodo scit Dominus, et si est scientia in Excelso*. Denique Apostolus exclamabat. *Rom*. XI. 33. *O altitudo divitiarum Sapientiæ et Scientiæ Dei*. Id vero naturalis ratio ita evidenter ostendit ut facilius sit invenire, qui Deum funditus tollant, quam qui eum sibi intelligentia et scientia orbatum fingant. Quare magna hac de re est gentium omnium consensio. Celebris est ille Hesiodi versus *de Op. et dieb*. v. 265,

Παντα ἰδων Διος οφθαλμος, και παντα νοησας.
Dei oculus cuncta intuetur atque intelligit.

Præclarum est illud Plotini *Enn*. 4. l. 4. c. 12. *Deum seipsum intelligere et omnia in seipso*. Tullius autem

id sæpe affirmat, ut *l. 3. de Nat. d. Obscurum Deo nihil potest esse*: Et 2 de Divinat. *Ignorare Deus non potest qua quisque mente sit*. Conferatur et Liber II. De Legibus Cap. IV. et VII. Quin et vulgo id persuasum erat. Hinc Plautus in *Captivis* Act. 2. sc. 2. Tyndarum inducit ita loquentem:

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus audit- que et videt.

Agebatur autem de internis mentis conceptibus. Cui Aegio plane assentitur inquiens: *Memini ego isthoc*. Hoc ipsum affirmat Pindarus Olympica I. Innumera afferri possent, si opus esset.

LXXXV. At non est de scientia Dei cogitandum, uti de humana scientia. Quinque enim Divinæ scientiæ propria sunt. 1. Est ipsa Dei essentia, quæ tota intellectio est, non qualitas aut accidens ut in homine 2. Ex rebus creatis nequaquam ducitur; sed in se ipso Deus omnia cognoscit. 3. Non multiplex sed unica et simplex est. 4. Est immutabilis atque infinita. 5. Unico intuitu ac sine discursu et labore omnia intelligit, omniumque rerum causa directrix est. Hinc S. Thomas sapienter ait, quod *Sapientia Dei dirigit, Voluntas imperat, Potentia vero exequitur*. Quare Sap. VIII. 21. Dei Sapientia vocatur *Omnium artifex*. Unde Augustinus *L. XV. de Trin. c.* 13. ait *Universas creaturas non quia sunt, ideo novit* Deus; *sed ideo sunt, quia novit*. Cum ergo nonnulli dixere, non esse in Deo scientiam, intellexere scientiam more humano acquisitam, quæ ab objectis hauritur, et discursiva ac imperfecta est; at minime Deo denegarunt certam et infallibilem, rerum cognitionem,

quam exposuimus. Itaque primum et adæquatum Divinæ scientiæ objectum est comprehensio sui ipsius. Ut enim Apostolus ait 1. *Cor.* 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei*. Secundarium illius objectum sunt omnia a divina essentia diversa, ut sunt creaturæ omnes possibiles, præteritæ, ac futuræ, *Psal.* 138. *Tu cognovisti omnia novissima, et antiqua*: Et Danielis XIII. *Æterne Deus, qui nosti omnia antequam fiant*. Hinc etiam secretiora cordium, ut eodem Psalmo; *Intellexisti cogitationes meas de longe*. Nec mala culpæ eam fugiunt: ut Psalmo LXVIII. *Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita*. Si quæ ergo in Scripturis occurrunt, in quibus Deus exhibetur incertus de rerum eventu, ea humano more dicta sunt, ut metaphoricè exhibeatur res incerta apud homines, non apud Deum: *Omnes enim viae hominis patent oculis ejus*. Prov. XVI. 2. Aut de peculiari providentia sermo est, quæ non eadem est erga omnia. Mala verò Deus dicitur non nosse *scientia approbationis*, non quod ea ignoret, ut omnes facile dabunt.

LXXXVI. Sed non minus certum est, Deum scire futura omnia non modo necessaria, seu quæ a causis physicis pendent; At libera etiam et conditionata, quæ pendent a libera hominum voluntate: Hæc verò si conditio ponetur, erunt *absolutè futura*; si non ponetur, tunc dicentur *simpliciter conditionata*. Itaque certum est hæc omnia futura libera Deum infallibili scientia cognoscere. Propositio hæc militat adversus Socinianos blasphemantes ea Deum non cognoscere nisi per conjecturam, contra id quod Catholica

veritas docet. Licet autem Philosophi ac Theologi desperent, posse planè intelligere, qua via, quave ratione ea Deus cognoscat (1): et quomodo hæc certa

(1) De medio, seu modo, quo Deus hæc futura libera certò cognoscit, ac de systematibus ad hunc nodum solvendum excogitatis, consulantur Theologi ac Philosophi, ut Para du Phanjas T. 2. Tract. IV. Art. V. *de Scientia Dei*, ac Tournely T. 1. Quaest. XVI. Art. 3. Bellarminus in rem hanc L. IV. *de Gratia et Lib. Arb.* c. XVI. inter alia habet = Res difficilis et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura libera cognoscat. . . . Probabile tamen videtur, Deum futuras actiones liberas non videre nisi in humana voluntate (quatenus est in Dei scientia æterna). Id significat propheta David cum dicit Psal. cxxxviii. *Intellexisti cogitationes meas de longe . . . et omnes vias meas prævidisti.* Nam si videret eas in sua voluntate prædeterminante, non diceretur Deus, *scrutari corda nostra*, sed intueri voluntatem suam. Deinde non esset mirabile, Deum omnia prænoscere . . . . Voluntas divina est quidem causa rerum omnium, et ab æterno decrevit, quid velit, aut non velit fieri, sed in particularibus et maximè liberis actionibus id non decrevit, nisi præcognita prius dispositione et determinatione secundarum causarum = Verum cum modi omnes hucusque propositi suas graves patiantur difficultates; hinc quomodo hæc futura libera præsciverit Deus certò definiri non potest, licet ex infinita Dei scientia certum sit, ei hæc esse explorata et cognita; quare id meritò inter arcana et ænigmata recensetur. In tanta interim rerum caligine dici potest quod, cum futura omnia cujuscumque generis ad mundum pertineant, et hic mundus factus sit veluti imago quædam et effigies mundi Dei intelligibilis, hinc omnia, quae in mundo eveniunt, in illo ab æterno repræsententur, eo modo quo eveniunt, ut propterea Deus omnia in suis ideis agnoscat. Hæc tamen adeo sunt admiranda et nostræ menti impervia, ut cum Psalmista l. c. exclamare oporteat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*: id est, *de me*, aut *super me*, juxta hebraicum sensum; quasi significet = Mirabilior est modus scientiæ tuæ, o Deus, quàm ut ego comprehendere possim = Non est igitur in rem hanc ulterius aut curiosius investigandum.

ac immutabilis cognitio cum humana libertate componi possit, quæ mysteria sunt humanæ rationi impervia, id tamen fatentur omnes. Et meritò quidem: Nam 1. *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas*, ajebat Tertullianus *l.* 2. *cr. Marc.* Ita Christus, quæ sibi, Apostolis, Ecclesiæ, et Hierosolymæ contingerunt apertè prædixit, licet liberè futura essent. 2. Præter ea quæ supra adduximus, Christus *Jo. XIV.* inquiebat: *dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis*. Et C. VI. *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum*. Hinc Præscientia hæc uti character divinitatis in Scripturis datur *Isajae c.* XLI. XLVIII. 3. Id ratio manifestè evincit. Nam scientia Entis perfectissimi perfecta esse debet ac infinita: Verum talis non esset, si deesset Deo præscientia isthæc. Deinde ex rebus quæ eveniunt, fieret jugiter Divinæ Scientiæ accessio; quod est absurdum. Quare Augustinus jure ait *L. v. de Civ. d. c.* 5. *Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum apertissima insania est.*

LXXXVII. Sociniani ergo limitata nostra cognitione abutuntur, cum opponunt, intelligi a nobis non posse, quomodo ea futura Deus cognoscat: Non enim aliquid verum non est, quod illud nos non intelligamus: satis est, quod certò sciamus, esse a Deo revelatum. Ajunt tamen, Deum cum futura prædicit, sæpe uti particulis, *forte, forsitan, si* etc. quæ dubitationem præseferunt, ut Jeremiæ XXVI. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur*. Verum advertant, eas particulas poni juxta communem loquendi morem, et dubitationem significare

ex parte hominis loquentis, at haudquaquam ex parte Dei; ex cujus parte solummodo increpationem significant, et ex parte nostri rem incertam aut difficultatem, vel etiam libertatem operis; at neutiquam dubitationem in Deo: *Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus*; ut inquit Apostolus *Hebr.* IV. 13. Quare Hieronymus in illud Jeremiæ scribit: *Verbum ambiguum, forsitan, Majestati Dei non potest convenire; sed nostro loquitur affatu, ut liberum homini servetur arbitrium*. Quod verò ajunt, quidquid Deus prævidet non posse non evenire: futura autem libera non evenire posse; ut propterea a Deo non prævideantur: In hoc sophismate non distinguunt prævisionis modum, sed objecta considerant. Itaque quidquid Deus prævidet ut necessarium non potest non evenire, concedimus; at inficiamur, non posse non evenire, quod relate ad objecta Deus prævidet uti liberum eventurum. Deus enim futura hæc contingentia prævidit ut libera; quare in se considerata possunt non evenire; quamvis in hypothesi quod futura sint, certò fuerint a Deo prævisa. Hinc non sequitur, ut ajunt, quod, si eventus a Deo prævisus posset non evenire, falli posset præscientia Dei. Aliud est enim posse non evenire: et aliud est, non eventurum omnino. Deus itaque non tantum res prævidet, sed et earum modum: nempe res necessarias prænoscit ut necessarias, liberas uti liberas. Licet ergo possint non evenire, non inde sequitur, posse Dei præscientiam falli, quæ potius falleretur nisi liberè evenirent. Non enim actiones liberæ ideo futuræ sunt, quia prævidentur a Deo; sed potius ideo a

Deo prævidentur, quia futuræ sunt: prævidentur quidem necessariò ut possibiles, sed nonnisi hypotheticè ut futuræ. Præscientia ergo supponit res liberè futuras, nullamque ipsis imponit necessitatem. Denique omnia Deo præsentia sunt, ut Deus se habeat ad actiones liberas, quæ futura prænoscit, sicut nos ad ea quæ præsentia videmus. Itaque Augustinus ajebat *L. v. de Civ. D. c. IX*: *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*. Quia nempe Dei præscientia in rerum causas non influit, sed necessarias causas sinit esse necessarias, et liberas sinit esse liberas. Hinc nullo negotio solvitur dilemma illud: si Deus prævidit me fore salvum, quidquid egero, salvus ero; si non prævidit, non ero; ut propterea nulla sollicitudo salutis habenda sit. Nam primo, hoc sophismate probari etiam posset, non esse comedendum; quia sive comedam, vel non; moriar aut non moriar sicut Deus prævidit. Itaque Deus non prævidet absolutè aliquem esse salvandum, aut non; sed hypotheticè sive conditionatè, dependenter scilicet ab illius operibus. Ruunt itaque ambæ dilemmatis partes: falsum est enim, quidquid egero sive bonum sive malum, salvum fore aut reprobum: hinc ruit consequentia, dicente Christo: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* Et S. Petrus admonet: *Satagite ut per bona opera vestram certam* (nempe relatè etiam ad nos) *vestram vocationem et electionem faciatis*.

LXXXVIII. Quamquam verò Dei Scientia una sit ac simplicissima, pro nostro tamen concipiendi

modo multipliciter dispertitur ; et sive ratione objectorum quæ a Deo cognoscuntur, sive ratione modi quo dicitur ab eo intelligi, plura nomina sortita est. Et 1. distinguitur in scientiam *speculativam* et *practicam*: illa in nuda contemplatione sita est sine ullo ordine ad res creatas, qualis est in Deo sui ipsius, et possibilium cognitio: *practica* vero circa ea versatur, quæ Deus in quslibet temporum differentia operaturus est. Inde illa Patrum locutio, non ideo res a Deo cognosci quia sunt; sed contra ideo esse quia cognoscuntur a Deo. 2. Hinc oritur alia distinctio scientiæ Dei in *necessariam* et *liberam*: prior est cognitio sui ipsius, et omnium possibilium ut possibilia sunt: *libera* est cognitio eorum quorum existentia a liberis Dei decretis pendet. 3. Ex his fluit pariter divisio in Scientiam *simplicis intelligentiæ* et in scientiam *Visionis*: Illa est scientia possibilium, quæ nunquam extitura sunt; *Visionis* autem est eorum cognitio, quæ fuerunt aliquando, sunt, et erunt. Itaque scientia *simplicis intelligentiæ* idem est cum scientia *speculativa*, et *necessaria*, quæ *naturalis* etiam dicitur: scientia vero *Visionis* idem est cum scientia *practica* et *libera*; nisi quod illa visionis latius pateat, quæ extenditur etiam ad ea, quæ ipse Deus non facit, ut sunt liberæ actiones rationalium creaturarum: Hinc entium possibilitas a scientia Dei necessaria pendet; eorumdem vero existentia, sive, ut ajunt, *futuritio*, a Dei voluntate; in cujus Decretis scientia visionis sita est.

LXXXIX. Censuerunt non pauci, adæquatam non esse hanc divinæ scientiæ divisionem. Cum enim

viderent, futura contingentia, quæ a libera hominum determinatione pendent neque ad merè possibilia neque ad futura absoluta referri posse, horum tertiam distinxerunt scientiam, quæ cum de necessaria et libera participaret, *Mediam* appellavere. Sed et hæc futura libera duplicis sunt generis: primum est eorum, quæ aliquando futura sunt; alterum est eorum, quorum etiamsi caussa libera creata existat a qua esse possint, nunquam tamen erunt, quia conditio a qua pendent nunquam ponetur, aut posita non est; ut scientia eorum quæ fuissent in mundo, si Adam non peccasset. Hæc vocatur etiam *Scientia liberorum conditionatorum*; quæ a Deo cognosci dubium esse nequit, sed an ad scientiam *simplicis intelligentiæ*, vel *visionis* referenda sint: an vero tertia inter utramque species scientiæ, quæ *media* appelletur, claritatis gratia sit distinguenda, Theologi disputant; ut quæstio potius de nomine quam de re esse videatur. Cæterum statuendum est, Deum certam et infallibilem, non incertam dumtaxat et conjecturalem, habere horum futurorum notitiam etiam sub conditione nunquam ponenda. Id enim nonnulli inficiati esse videntur, qui aut nullum proprium huic scientiæ objectum designant, aut illud conjecturale tantum statuunt, quod esset prorsus Deo indignum. Licet autem controversia hæc ad fidem non spectet, nostra tamen propositio communi ferme Theologorum consensu et validissimis Scripturarum testimoniis roboratur. Narratur enim 1. *Reg.* XXIII, David, cum in urbe Ceilæ moraretur, consuluisse Dominum: Num Saul descensurus esset contra eum, et an viri

Ceilitæ eum essent traditori in manus regis Saul. Et respondit Dominus: *Descendet: Tradent*. Quare David aufugit inde, et neutrum evenit. At hic non certè David de re mere possibili Deum interrogabat, verum de re proximè futura si Ceilæ diutius moratus esset. Dicere autem, id per conjecturam Deum respondisse, ejus veracitati prorsus esset injuriosum. Sed præter alia celebre est dictum Christi Domini Matthæi Cap. XI. 21. *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent*. Hæc itaque Christus certò noverat. Inquiunt tamen: futura conditionata quorum conditio nunquam ponenda est, nullam habent veritatem determinatam; non ergo a Deo cognosci queunt. Sed respondetur, non habere veritatem determinatam absolutam; at vero habere conditionatam; nam ea verè essent futura, si conditio poneretur. Sed ajunt. Augustinus, Prosper, Fulgentius hanc Deo abjudicant scientiam conditionatorum. Dicimus, eos non absolutè Deo hanc scientiam denegasse, sed impugnasse abusum, quem de ea faciebant Semipelagiani: volebant hi, pueros, qui vel sine, vel post receptum baptisma decedunt, remunerari vel puniri propter opera bona vel mala, quæ prævidisset eos esse facturos, si diutius vixissent. Injuria certè Deo irrogaretur, si ob ea, quæ nunquam fient, præmio aut pœna afficeret. Verum Deus, cum sit summè intelligens, scire debuit quid consecuturum sit in tali, talive ordine: quid acturi homines tali, talive auxilio adjuti, ut de Tyriis et Sidoniis

dicitur; alioquin cæco modo egisset, hunc præsentem ordinem seligendo: at id scire, est futura cognoscere conditionata etiam libera, quorum conditio nunquam ponenda sit. Illa ergo Deus cognoscit. Demum distinguitur scientia *approbationis*, qua cognoscit Deus, quæ approbat; et scientia *improbationis*, qua cognoscit, quæ improbat, ut sunt mala moralia.

CAPUT XIII.

DE VOLUNTATE DEI

XC. Deum esse Voluntate præditum frequenter Scripturæ commemorant, ut Apostolus *ad Eph.* C. 1: *Deus operatur omnia secundum consilium Voluntatis suæ*. A Divino autem intellectu facilè Dei Voluntatem pendère concipitur: imo intellectus sine voluntate esse non posset. At cavendum est sedulo, ne illi aliquid humani tribuamus. In nobis enim defectus ex mentis nostræ brevitate proveniunt, qua fit, ut nec eadem semper, nec eodem modo, nec omnia simul perspiciamus et velimus, atque ut plerumque hallucinemur. Deus verò cum unicam et perfectissimam habeat scientiam, nec variam nec mutabilem, fit ut nec ullam voluntatis suspensionem habere possit, nec voluntatem mutare, sed natura sua fertur semper in bonum, malum vero aversatur, quin propterea ad opera externa necessariò inclinetur. Cum enim Deus sit in se beatissimus nullo externo bono commoveri potest, quamquam ejus Voluntas semel determinata sit immutabilis. Hæc itaque vel pro ap-

probatione eorum accipitur, quæ Deus intelligit, et est necessaria ut scientia: vel pro decreto, quo res intellectas extituras aliquando decernit, et omnino libera est, ac tempora spectat, temporumque periodos. Hic autem actus Dei liber est ipsa Dei voluntas non quatenus refertur ad ejus bonitatem ac necessaria est; sed prout sine dependentia et necessitate ulla respicit creaturas ceu effectus sibi non necessarios: quod dicendum est, ne adventitium aliquod in Deo admittatur. Certum enim est Deum erga creaturas perfecte liberum esse, licet hæc illius proprietas captum nostrum longè transcendat. Objectum itaque Divinæ voluntatis idem est ac objectum Divini amoris, quo primario seipsum diligit: secundario amat creaturas sive existentes sive possibiles; nam illæ bonitatem habent existentem, hæ possibilem bonitatem. Sed eas propter semetipsum amat tanquam ultimum finem. Mala verò cum sint alia naturæ, alia pœnæ, alia culpæ; mala culpæ Deus non vult nec directè nec indirectè: ut enim Sap. XIV. legitur: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus*: permittit tamen, sive ne semper libertas impediatur, deturque merito locus, sive ut ex eo malo bonum aliquod eruatur, sive ob aliud laudabile motivum nobis ignotum. Mala naturæ, ut sunt mors, fames, morbi, tempestates, terræmotus etc. Deus per accidens tantum et indirectè vult, cum per se habeant rationem defectus; sed cum relatè ad totum suam bonitatem habeant, hinc sub hoc respectu ea Deus vult: quod et de malis pœnæ dicendum. Quare Dei voluntas definiti posset: *Actus Deo internus et immanens, quo Deus se diligit, et alia*

a se condita diligit propter seipsum. Definiri etiam solet: *Electio et approbatio eorum, quæ divino intellectu comprehensa sunt, et quæ fieri a Deo decernuntur.*

XCI. Quamquam igitur unica sit voluntas respectu Dei, ut unica et simplex est illius scientia et Essentia, multiplex tamen haberi potest respectu objectorum, imo hæc distinctio necessaria est, ut multa Scripturarum et Patrum loca intelligantur; cogimur enim per analogiam quandam ad rationales creaturas hæc impervia concipere. 1. itaque distinguitur in Deo *Voluntas Signi*, et *Voluntas Beneplaciti*. Prior est divinæ voluntatis signum, sive potius externa interpretatio ab homine facta, licet non semper id velit Deus; unde voluntas impropria et metaphorica dici solet, quale præceptum fuit Abrahamo factum de filio immolando. Hæc signa illo versiculo comprehenduntur:

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Signa hæc supponunt semper actum aliquem in Dei voluntate licet non id semper, quod humano intellectui occurrit. *Voluntas* autem *Beneplaciti* est ipsamet Dei vera et interna voluntas aliquid sibi gratum decernens, ut voluntas genus humanum redimendi. 2. Hæc Beneplaciti voluntas in *Antecedentem* distinguitur et *Consequentem*. *Antecedens* dicitur, qua Deus vult aliquid secundum se spectatum abstrahendo a peculiaribus circumstantiis: *Consequens* est, qua spectatis circumstantiis omnibus, Deus aliquid absolute vult. Ita judex qui antecedenti voluntate vult cives omnes vivere, consequenti tamen reos vult punire. Eodem pacto Voluntas *antecedens*, qua Deus

singulis præbet media salutis dicitur etiam *voluntas bonitatis, misericordiæ, et amoris: Consequens* verò qua remunerat aut punit, Justitiæ voluntas dicta est. 3. Hæc eadem Beneplaciti Voluntas distinguitur quoque in *Absolutam* et *Conditionatam*. Voluntate *absoluta* vult Deus absque conditione ulla, ut ea quæ per se facit, veluti cum mundum condidit: *Conditionata* verò qua Deus vult aliquid sub conditione aliqua; exempli causa vult homines felices reddere si suis obsequantur auxiliis, et mandatis obediant. 4. In *efficacem* distinguitur et *inefficacem*. Prior est voluntas absoluta quæ suum semper sortitur effectum: Inefficax est, quæ effectum non consequitur propter hominis resistentiam. De illa dicitur Geneseos L. *Num Dei possumus resistere voluntati?* De hac verò Ezechielis XIV. ait Deus: *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis*. Voluntas igitur *Consequens, efficax* et *Absoluta* semper impletur, de qua dicitur Psal. CXIII. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Sed voluntas *antecedens* et *conditionata* non semper est efficax; ac de ea sermo habetur a Christo Matthæi XXIII. cum ait: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti*.

XCII. Hinc necessitas apparet et harum distinctionum usus, quibus Scripturarum Testimonia et dicta Patrum inter se conciliantur, ac facile textus varii exponuntur, quibus Jansenistæ probare satagunt, Divinæ Gratiæ nunquam resisti. Nam quantum spectat ad humanæ salutis œconomiam hæc in Dei voluntate consideranda sunt: 1. Voluntas creatrix, legislatrix, et absoluta, qua Deus vult, ut homo sit liber obtem-

perare aut repugnare legi, bonum operari aut malum et ut remuneretur cum benè agit, puniatur cum perpetratur mala. Nulla humana potestas huic valet divinæ resistere voluntati. Hæc est voluntas Beneplaciti absoluta. II. Voluntas dilectionis paterna et generalis, qua Deus ob Christi Redemptionem et merita vult omnes homines salvos fieri, vultque ipsis media largiri, uti reipsa omnibus tribuit, quibus salutem consequi valeant: Quae quidem media non singulis æqualia impertitur, sed plus minusve, juxta suum beneplacitum, ita tamen, ut omnes queant ad salutem pertingere, si iis mediis recte utantur. Sive autem hæc beneplaciti voluntas *antecedens* vocetur, sive *conditionalis* aut *Moralis providentiæ* etc. perinde est, dummodo concedatur, ipsam in Deo veram et realem esse, sinceram, et effectibus comprobatam. III. Voluutas prædilectionis, electionis, sive prædestinationis, qua Deus efficacius vult salvare præ cæteris aliquos, ac propterea gratias iis efficaciores impertiri, quæ ad salutem eos certò ducant. Huic voluntati nunquam homo resistit, licet eidem resistendi veram habeat potestatem. Atque hæc quoque voluntas efficax est. IV. Simplex permissio, qua Deus sinit, hominem suo libero arbitrio uti et gratiæ repugnare, quamquam ab hoc posset hominem impedire. Et hæc *Voluntas Signi permissiva* dicitur. Nulla harum voluntatum alteri opponitur, nullaque aut divinæ omnipotentiæ derogat, aut libero hominum arbitrio. Quare cum homo gratiæ obsistit, ac reus factus damnationem incurrit, nec priori harum voluntatum, nec tertiæ aut quartæ obsistit: obsistit

vero secundæ. At absurde putaretur, cum Deus gratiam largitur, nolle, ut homo ipsi obsequatur; sicut absurdum foret, cum homo gratiæ repugnat, dicere, quod ipse Deus sit, qui noluerit, ut eidem assentiretur. Permisit id quidem Deus, non autem positivè ac revera voluit. Scripturæ ac Patres in eadem certe sententia fuere, quod ope distinctionum, quas tradidimus, clarum fiet ac manifestum. Quod si id semper factum esset, controversiæ innumeræ fuissent penitus de medio sublatæ.

XCIII. Hoc itaque in loco Theologi demonstrare solent, esse in Deo voluntatem Beneplaciti veram atque sinceram salvandi omnes homines. Circa enim controversiam hanc errarunt olim Prædestinationi veteres, qui Deum salvare nolle nisi solos prædestinatos ajebant; eos autem qui pereunt, non ad vitam æternam, sed ad hujus mundi ornatum conditos fuisse. Errarunt etiam Calvinistæ, qui blasphemant, Deum quorumdam tantum voluisse salutem, alios a Gloria positivè exclusisse. Errarunt et Janseniani, qui arbitrantur, Deum post originale peccatum solos prædestinatos velle salvos fieri, iisque Gratias relativè sufficientes præparasse, quibus ad salutem necessario pertingerent. Theologi vero Catholici profitentur, Deum ita omnium salutem velle, saltem plurium aliorum præter prædestinatos, ut ipsis gratiæ auxilia præparet et conferat ad operandam salutem verè ac relativè sufficientia, aut quibus orare possint ad uberius impetrandum auxilium, quo ad æternam felicitatem pertingant. Qua de re duæ sunt distinguendæ propositiones quarum una ad fidem pertinet, altera est fidei valde consona, affinis, et proxima.

XCIV. De fide autem est, Deum, posito etiam originali peccato, vera ac sincera voluntate velle plurium aliorum præter prædestinatos salutem, adeo ut illis largiatur, auxilia vere ac relativè sufficientia, quibus salutem consequi valeant. Hæc enim propositio contradictoria est illius, quæ circa doctrinam hanc in Jansenio damnata est ab Innocentio X. et ab Alexandro VII. quorum judicium uti dogmaticum Ecclesia Universa cognovit, et amplexa est. Damnata vero propositio ita concipitur: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse:* Quæ proscripta fuit ut *impia* et *blasphema*, et eo sensu intellecta, *quod Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus* sit, damnata est ut *hæretica*. Nam Pelagiani volebant, Deum ita velle omnium salutem, ut sine ulla gratia interna, sed solis naturæ viribus divinæ voluntati cooperari possent: Semipelagiani vero contendebant, quemquam sine interno gratiæ auxilio se ad fidem præparare posse, et saltem fidei initium solis viribus naturæ concipere. Catholica itaque doctrina innumeris Scripturarum et Patrum auctoritatibus, nec non validissimis rationibus demonstratur. 1. Enim affirmat Christus Jo. VI. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*. Vult ergo Deus salvos esse omnes, quos ipse Christo dederat: At hi non omnes salvi facti sunt; nam Jo. XVII. subdit Christus ipse: *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*: Deus ergo vult alios a prædestinatis salvos fieri; qui salvare voluit

filium perditionis sive Judam, qui salvus tamen non est. Janseniani invertunt „ Nemo ex iis periit, sed filius perditionis „ Quasi non fuerit ex iis, quos dederat Pater. At non licet Scripturas adulterare; præsertim cum ea contorta expositio adversetur Patrum auctoritati. 2. Ajebat Apostolus 1. ad Tim. c. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. Sed quis dixerit, fideles omnes salvos esse? 3. Idem Apostolus ad Thessal. V. ait: *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum N. J. C. qui mortuus est pro omnibus*. Ea verba, *posuit nos in acquisitionem salutis*, nihil significare queunt aliud, quam fidelibus media largiri ad eam acquirendam. Dixerit autem nemo illos omnes fideles prædestinatos fuisse. 4. Ait Christus Matth. xx. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Cur vocati, nisi ut salutem consequerentur? Aliorum igitur præter prædestinatos verè vult Deus salutem. 5. Apud Joannem Cap. XVII. Christus orabat Patrem: *Non pro eis tantum rogo, sed et pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Ac paulo post etiam pro suis crucifixoribus oravit. At nemo dixerit, aut omnes qui crediderunt in eum vel credituri sunt, aut etiam omnes ejus tortores salutem æternam fuisse consecutos: Verum eos pro quibus Christus oravit, cujus voluntas Divinæ semper consentanea erat: eos quorum est Salvator, quis dixerit vera beneplaciti voluntate non velle salvos esse, dummodo obicem propriæ saluti non ponant? Sed plura alia sunt, quorum nonnulla inferius afferentur. 6. Hac in re Patres con-

cordissimi sunt, ut Ambrosius Lib. de Paradiso c. 8. *Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores, et etiam circa impios suam extendere voluit voluntatem; et ideo nec proditorem debuit prœterire, ut adverterent omnes quod in electione etiam proditoris sui salvandorum omnium insigne prœtendit.* Idipsum sæpe Augustinus affirmat, ut L. 2. *de Symb. ad Catech.* de Herode loquens ait: *O munde immunde: Venit qui te redimat, et turbaris: et tunc eum vis perdere, quando i lle te disponit liberare ... Ille tibi annuntiat, Deum hominem suscepisse pro te; et tu vis perdere eum, qui venit redimere te.* Hæc certè de sufficientia pretii intelligi nequeunt, ut sibi fingunt Jansenistæ, sed de vera ac sincera offerentis voluntate accipienda sunt; nisi Scripturas et Patres inepta et falsa et a communi sensu aliena locutos fuisse velimus. 7. Quid plura? Nonne in symbolo profitemur, *Christum Jesum propter nos homines et propter nostram salutem descendisse de Cœlis?* Si fidelis quilibet credere tenetur, pro se Christum descendisse de Cælis, et crucifixum fuisse ne falsa sit hæc fides, cogimur confiteri, Christum quemcumque fidelem voluisse redimere, licet non omnes salvi fiant. Denique Jansenii hæresis Fidem, spem, et caritatem evertit. Fidem destruit, quæ docet, Christum propter nos, et propter nostram salutem descendisse de Cælis: 2. Subvertit spem, cum *omnis spes nostra et fiduciæ certitudo*, ut inquit Augustinus, *sit in pretioso Sanguine Christi, qui effusus est propter nos*: 3. Caritatem extinguit. cujus præcipuum incitamentum est, ut cum Apostolo dicere

possimus : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*. Quare esse de fide credendum, saltem pro omnium fidelium salute Christum mortuum fuisse, Theologi plurimi cum Bossueto sentiunt.

XCV. His opponebant Jansenistæ: Christum Jo. x. dixisse: *Animam meam pono pro ovibus meis*. Et Jo. XVII. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Hinc Matthæi XXVI. ait, non pro omnibus, sed tantum *pro multis* Sanguinem suum fundendum. Pro solis ergo prædestinatis mortuus est. eosque vult salvos, Quæ sane debilia sunt, ut Christi valeant derogare pietati. Ad 1. enim; significat quidem ponere animam suam præcipue pro ovibus suis, et præcipue pro iis orare; at non tantum pro iis. Cum itaque sciret Christus, quinam salvandi essent, pro iis certe oravit præcipue et mortuus est: non tamen alios omnes exclusit. Quin etiam pro mundo rogat. Jo. XVII. *Ut credat mundus*, orat ad Patrem. *quia tu me misisti*: Imo et pro persecutoribus oravit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*. Potiori ergo jure pro cæteris. Verum quid nomine *ovium* præcise intelligendum sit, non clarum est: Alibi omnes in Christum credentes veniunt, ut Jo. X. *Et fiet unum ovile:* ut clarum sit, credentes omnes ad ejus ovile pertinere; quos tamen salvari omnes nemo dixerit. Non pro solis ergo electis Christus oravit. Ad 2. Non officit, quod dicatur, Christum pro multis Sanguinem fudisse: Vox enim *multi* sæpe in Scripturis *omnes* significat, ut semper Patres intellexere, nec ipse dissentit Cicero, qui *omnes* etiam *multos* dici affirmat in ejus textu supra allato (N. XXIV.)

Quare Augustinus habet: *Non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes non pauci sed multi sunt.* Hinc Apostolus 1. ad Tim. 1. rotundè ait: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.*

XCVI. Modo ostendenda est cum maxima Catholicorum parte ea Sententia pia, vera, et fidei proxima, qua statuitur, quod supposito etiam Originali peccato, Deus vera, sincera, formali, et activa voluntate velit omnium et singulorum hominum salutem; atque proinde quod omnibus largiatur media verè ac relativè sufficientia sive proxima sive remota ad operandam et consequendam salutem. Nam hæc sententia omni argumentorum genere suffulta est, eique deest dumtaxat expressa Ecclesiæ definitio. Hinc 1. ostenditur pluribus Scripturarum testimoniis, quibus Deus singularem suam in omnes homines clementiam, benignitatem, et effusam voluntatem pro eorum salute sæpe testatur. Ita apud Ezechielem. C. XXXVI. 11. interposito jurejurando Deus ait: *Vivo Ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat: Convertimini, convertimini, a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel?* Eadem repetit Cap. XVIII. et alibi. Observat hîc Tertullianus lib. de Pœnit. c. iv. Deum jurasse, ut sine ulla ei hæsitatione crederemus. *Jurans etiam*, inquit, *Vivo Ego, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* Quis dixerit non veram ac sinceram hîc Deum voluntatem manifestasse licet antecedentem et conditionatam ut sua sapientia postulat erga nos? Huic

affine est illud Christi dictum apud Matthæum. C. XVIII: *Non est voluntas apud Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*: et antea dixerat Cap. XI. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Non certè irrisoria est ista Christi invitatio: paratus est omnes accedentes reficere: dat etiam vires ut accedere queant, si illis sicut oportet uti voluerint: Quare testatur Jacobus Cap. I. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*; et Joannes C. I. testatur, quod *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Cur, quæso, illuminat? Num forte, ut quidam blasphemant, ut eos magis reos faciat? Sed ut alia innumera prætermittamus, audiatur Apostolus 1. ad Tim. 2. v. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri orationes, obsecrationes . . . pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ..... hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus est enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus*. Clarum est, hæc esse intelligenda de vera Dei voluntate, deque voluntate activa circa media ad omnium salutem procurandam; et nullo modo accipi posse de voluntate quadam figurata, metaphorica et signi, quæ iners sit ac otiosa circa hominum felicitatem; idque patet etiam ex ratione ab Apostolo adducta, quod nempe Deus sit Pater omnium, et unus sit erga omnes mediator, atque hæc oratio sit Deo grata; quo nihil illustrius afferri posset ad hanc

veritatam comprobandam: potissimum cum Christus dicatur *Salvator Mundi : Agnus qui tollit peccata mundi* : qui sit *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, ut Joannes habet Epist. I. Quæ dicta esse tantum de sufficientia pretii, absurdum esset asserere, nisi rationi, Scripturis, et Patribus contraire velimus. Nam maximopere activam esse hanc Dei voluntatem, Deus ipse sæpius testatur ; ut cum apud Isajam ait : Cap. V. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci ei?* Et Prov. I. *Vocavi et renuistis*. Petrus autem 2. c. 3. ait : *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*. Hæc est vera Dei voluntas.

XCVII. Nulla est utique Religionis Christianæ doctrina, quæ tanta cum evidentia demontrari queat, ut eum negare Deum oporteret, qui hoc dogma convellere niteretur. Itaque 2. id ratione ostenditur. Nam si Deus nollet omnes salvos fieri, Baptismus non omnibus esset præceptus ; sed omnibus, quibus sufficienter innotescit sub pœna damnationis præcipitur. At Baptismus continet promissionem remissionis peccatorum, et gratiarum quibus salus obtineatur; et ex parte hominum obligationem continet ad officia præstanda, quibus vita æterna promissa est, sub conditione, *si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, ait Apostolus Rom. VIII. Saltem ergo omnium qui ad Baptismum invitantur, Deus salutem æternam vult. Præterea demonstratum est supra (N. LXVII.) Deum bonum esse, ac bene velle suis creaturis, et præcipue ratione præditis, quæ solæ felicitatis capa-

ces sunt; earum ergo beatitudinem vult, earundemque miseriam aversatur, quod adeo clarè menti affulget, ut ipsi Gentiles id viderint ac testati sint. Plato in *Eutyphrone* inficiatur, *malum ullum a Deo hominibus accidere posse, eo quod beneficus natura sua sit.* Quod confirmat Jamblicus. *de Myst. Sect.* v. c. 6. ubi scribit, *id constare inter græcos omnes et barbaros.* Proclus vero *de Theol. Plat. l.* 2. *c.* XI. Dei bonitatem comparat solis radiis, qui ab illustratis corporibus pro sua cujusque excipiuntur Natura. Sed præclarè Hierocles: *Deos natura et sua sponte in nos utilia conferre: nos autem repudiatis illorum bonis mala nobis consciscere.* Ex communi igitur populorum consensu hoc ipsum constat. At quorsum hæc? Ut nempè intelligamus quàm a vero aberrent non modo hæretici, sed et inter Catholicos nonnulli, qui, ut privatis opinionibus obsequantur, contortis interpretamentis et mendicatis subtilitatibus divinorum eloquiorum majestate prorsus indignis illam verè paternam Dei voluntatem frustrare nituntur. Patres igitur si aliquando obscurè locuti sunt, benignè sunt intelligendi et ad communem sensum revocandi. Quamquam satis apertè Patres sententiam huic doctrinæ concordem declararunt, quorum ut nonnullas afferamus auctoritates, audiatur primò Hieronymus. *Comm. in. C. I. Ep. ad Eph.* ubi de voluntate Dei hæc habet: *Vult quæcumque sunt plena rationis atque consilii: vult salvari omnes et ad agnitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria voluntate salvatur, liberi enim arbitrii sumus, vult nos bonum velle; ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.*

Idipsum habet sæpius Ambrosius, ut in Psal. 72. *Venit Christus, ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt . . . ideo volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt itaque sanitatem qui medicinam expetunt: illi autem qui refutant medicum nec inquirunt, bonitatem medici, quam non experiuntur, sentire non possunt.* Similia habet Augustinus non uno in loco, ut Tract. XII. in Joan. N. 12. *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum: Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis.* Idem S. Pater *L. de Sp. et Lit.* c. 33., inquirens, cur bona voluntas non omnibus detur, respondet: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum Evangelio non credunt; nec ideo tamen vincunt, verum seipsos fraudant magno et summo bono . . . Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret, etc.* En Augustinum sinceram Dei voluntatem agnoscentem salvandi omnes, sed conditionatam ex parte creaturarum; quod cum senserit Jansenius, objectionem Pelagianorum hîc referri contendit, cujus rei nullum vestigium adest, imo sunt omnia consentanea pluribus S. Doctoris Locis. Non opus est, Græcorum testimo-

nia afferre, quos Jansenius nobis ultro dimittit, ac temerè scribit, *quod nulli imperfectius de hac re loculi sint*. Augustinus e contra *l.* 1. *Cont. Jul.* N. 14. testabatur, catholicè eos sensisse. Præterimus hîc S. Cyprianum, S. Prosperum, qui præclara hac de re babet, aliosque, ut S. Thomam audiamus quem in partem adversam nonnulli pertrahere conantur. Hic Libro III. contra Gentes Cap. 159. ita mentem suam declarat: *Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat.... et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò imputatur in culpam ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri... Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licet vivere non possit, nisi lumine solis præveniatur*. Idem repetit aliis in locis, ut *De Veritate. Quæst.* 14. *A.* 11. *ad* 1. *Hoc*, inquit, *ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideatur de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur*. Itaque de mente S. Thomæ ambigi nequit.

XCVIII. Ajunt Jansenistæ, hanc Dei voluntatem salvandi omnes esse intelligendam cum Augustino *de generibus singulorum*, non *de singulis generum:* id est non de singulis individuis, at vero de aliquibus

Judæis, aliquibus masculis, feminis, magnis, parvis etc. Non hæc dicant adversarii, quæ Augustinus protulit non ut illam generalem voluntatem antecedentem veram ac sinceram abnegaret; sed ut ostenderet eam modo aliquo comprobari etiam quo ad effectum de voluntate consequenti et efficaci. Non, inquam, id dicant, quod 1. Dei bonitati repugnaret, qui est omnium Pater et Dominus, et apud quem, ut ait Apostolus, *non est distinctio Judæi et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*. 2. Repugnaret obvio Scripturarum sensui, quæ præterea docent, non esse *personarum acceptionem apud Deum*. 3. Repugnaret Christi mandato, qui Baptismum omnibus jussit gentibus conferri. 4. Obligationi repugnaret singulorum, qui in Redemptionem sperare tenentur. Alias, si qui redempti non essent, non peccarent non credendo in propriam redemptionem; quod est contra fidem quam profitemur. Opponunt tamen: Nos contrarias sibique oppositas in Deo adstruere voluntates. Sed falluntur oppido; Voluntates enim, quæ juxta nostrum concipiendi modum per relationem ad effectus distinguuntur, ut jam diximus, in Deo est unica et eadem sapientissima ac justissima Dei voluntas: est enim voluntas vera et sincera perducendi homines modo convenienti ad salutem. Nulla est ergo oppositio, quod hanc salutem Deus velit, et media hominibus ad eam consequendam suppeditet; atque interim velit hominem relinquere in manu consilii sui, et in potestate iis mediis obsistendi, ut ipsius libera obedientia meritoria sit ac detur virtuti locus. Verè ergo vult Deus hominum

salutem, sed modo convenienti eam vult, ac juxta æquissimas suæ sapientiæ leges. Sophistica est igitur exceptio: Si verè Deus vellet, omnes posset salvos facere, sed omnes non salvantur; Ego Deus non vult. Sophisticè, inquam, dictum, Verum enim id esset, si id vellet Deus de potentia, et absoluta voluntate; at non, si de potentia ordinata id velit, illud sequatur necesse est. Nam plura Deus facere potest, quæ facere ipsum non decet. Cum sit enim Dei potentia infinita, nullisque limitibus coerceatur, absurdum est exigere, ut tota potentia agat, Quod igitur tribuitur ejus potentiæ secundum se consideratæ, de potentia absoluta posse dicitur: Quòd verò tribuitur potentiæ secundum quod exequitur imperium voluntatis justæ, Deus dicitur facere posse de potentia ordinata; atque hæc ad ea tantum portenditur, quæ consona sunt sapientiæ divinæ regulis, bonitati, justitiæ, sanctitati. Cum itaque Divinæ Sapientiæ congruum sit, ut homo liberè se determinet; repugnat, ut ea facultas ipsi adimatur, aut saltem ut illius exercitium semper impediatur. Neque propterea aliquid evenit contra absolutam Dei voluntatem, quæ est, ut homo liberè Gratiæ cooperari possit, non verò ut nunquam ei refragetur; quod contradictorium esset. Non inde quoque inferre licet, hanc Deus resistentiam velle, sed id tantùm permittit; quod non significat, ut quidam calumniantur, Deum huic resistentiæ consentire, aut illam non prohibere: quinimo graviter eam prohibet et odio prosequitur. Sed hæc permissio tantùm significat, Deum non auferre a creatura libertatem physicam resistendi, id est, sua

non uti absoluta potestate, ut id impediat, eo quod plura inde sequerentur absurda, minusque id esset suæ Sapientiæ conveniens: Atque ita solvuntur Baylii, aliorumque incredulorum, nec non Jansenistarum cavillationes adversus hanc Dei agendi rationem.

XCIX. Nonnullis Theologis modo respondendum est, quibus absurdum videtur, quod Deus aliquid velit, quod tamen non fiat defectu conditionis, quæ ab ipso pendeat: Quare cum Deus significat aliquid velle, quod non fiat, dicendum est, quod Deus id velit tantum voluntate *signi*, quæ vera non sit; non autem *beneplaciti*. Sed 1°. Argumentum istud, in quo hi Theologi magnopere confidunt, ruit funditus, si ad statum transferatur naturæ innocentis. Tunc enim Deus certè erat Omnipotens; Et tamen etiam juxta illorum Sententiam aliquid voluit verè ac proprie, nempe ut Angeli omnes et primus homo in accepta sanctitate perseverarent, quod non evenit. An id voluerat Deus absoluta voluntate? Haudquaquam: alioquin perseverassent. Id ergo voluit voluntate conditionata, et quidem conditione, quam si voluisset, ipse posuisset. Voluntas igitur conditionata in Deo, Divinæ non repugnat Omnipotentiæ. Cur ergo hi Theologi hanc nobis opponunt difficultatem, qua et ipsi urgentur? Propositum itaque argumentum et ipsum sophisma est, quo voluntas Dei absoluta cum conditionata confunditur. Absoluta itaque potestate non semper erga nos utitur Deus, nec ipsius sapientiam decet, ut ea utatur: multa enim vult, quorum eventum pendere a nobis voluit: non quidem defectu potentiæ, quod absit; sed ex altissima providentia,

qua sapienti ordine omnia disposuit, ut S. Augustinus docet *De catechiz. rudib.* c. 26, ubi ait: *A quo interitu ... Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit Unigenitum Filium suum.* Hinc a Domino instituti rogamus Deum Patrem: *Fiat voluntas tua*: Quæ oratio inutilis esset, si ejus voluntas semper impleretur. Quis præterea inficiabitur, Deum non simulatè sed verè ac sincerè velle ac præcipere, ut homines sint probi, justi, sancti? Qui tamen sæpe non sunt. Quis ambigeret, Deum nolle. ut homines peccent? et tamen peccant frequenter. Voluntas ergo Dei vera ac propria agnoscenda est, quæ sit absoluta ex parte Dei, et conditionata ex parte creaturarum; ut enim sapienter Chrysostomus *Hom.* v. in 2. ad Thess.: *Fidelis quidem Deus est; et promittens salutem dare, omninò dabit, sed ut promisit. Quomodo autem promisit? Si velimus et eum audiamus; non absolutè et tanquam lignis et stipitibus otiosis.* (Consulatur N. XCII.) Neque propterea hæc Dei voluntas est quædam actus suspensio aut simplex quædam *velleitas*; id enim maximam importaret imperfectionem. Quare cum a S. Thoma 1. P. q. 19. a. 6. *velleitas*, et *voluntas secundum quid* appellatur, loquitur comparatè ad voluntatem absolutam et consequentem, quæ semper impletur, non verò simpliciter, quasi voluntas hæc antecedens in Deo actu non sit. Quomodo hæc voluntas verè in Deo non admitteretur a S. Thoma? Qui de ipsa scribit 1. dist. 46 q. 1. *Effectus hujus voluntatis est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus com-*

muniter proposita tam naturalia , quam gratuita etc. Illa vero conditio, *si ipsi velint*, non ita est intelligenda, quasi ex solo hominis arbitrio sine Gratiæ adjutorio pendeat, sed in sensu catholicorum intelligenda est; si velint nempe oblatæ Gratiæ consentire; quod consonum est S. Augustini doctrinæ 1. *Retract.* c. x. dum ait: *Verum est, omnino omnes homines hoc posse si velint ; sed præparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis, ut possint.* Cavendum porro est, ne quæramus, cur Deus aliquorum consensum absolutè velit ac decernat, non aliorum; res est enim humanæ menti prorsus impervia. Noli hoc quærere, ait Augustinus, si non vis errare. Quamquam abs re non sit animadvertere, has gratias plerumque extraordinarias esse, et ideo ob extraordinarios effectus dari in bonum potissimum universorum; ut vocatio Pauli ad prædicandum gentibus, et Joannis Baptistæ ad viam Domino præparandam. Nam, ut uno verbo rem conficiamus, hæc antecedens Dei voluntas salvandi omnes est summa ipsius Ratio sapiens et justa, ipsius amor erga creaturas, quo earum beatitudinem vult convenienti ratione et ordine, juxta suam sapientiam atque justitiam.

C. Quærenti demum, quanam ratione factum sit, ut non definiretur, pertinere ad fidei dogmata, Deum vere, propriè et sincerè omnium omnino hominum salutem velle: Respondendum est; id contigisse, quia Theologi quidam, ante ortam præsertim Jansenii hæresim, docebant, Deum voluntate signi, non beneplaciti velle salutem infantium sine baptismo

saltem in maternis uteris decedentium; quod alii ad peccatores etiam obstinatos extendebant, et ad infideles, qui nihil de Evangelio audiverint. Ne horum igitur opinionibus quidquam Ecclesia detraheret, definire contenta fuit, Deum vere et propriè salutem velle, non tantùm prædestinatorum, sed aliorum etiam præter prædestinatos; attamen de omnibus omnino ob allatam rationem defini re id supersedit; præsertim cum aliquo in sensu illorum vera dici possit opinio: Nam si verum est, Deum *antecedenti voluntate* omnium salutem velle, verum etiam est *voluntate consequenti* aliquorum nolle salutem: idque præterea, quod in suis definitionibus Ecclesia simplici et obvio sensu loquatur, atque a scholasticis distinctionibus voluntatis absolutæ et conditionatæ, antecedentis et consequentis quantum fieri possit, abstineat. Qua via autem, quare ratione hæc salvetur sincera Dei voluntas erga infantes etiam in maternis uteris decedentes et erga infideles, qui nondum aliquid de Evangelio audivere, ubi de Gratia Christi Domini agetur, sermo occurret. Modo sufficiat considerasse, generalem hanc veramque Dei voluntatem manifestis argumentis ostendi, nec Theologum teneri, omnes assignare vias possibiles omnesque modos, quibus creaturas suas ad præstitutos fines Deus perducat; præsertim cum omnes noverimus, quod ipse *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* de quo ambigere nefas sit.

CAPUT XIV.

DE DIVINÆ VOLUNTATIS AFFECTIBUS, NEMPE AMORE, ODIO, DESIDERIO, IRA, POENITENTIA.

CI. Creatæ voluntatis affectus alii in se imperfectionem involvunt, ut ira, desiderium, dolor: alii in se licet non imperfecti, ut amor, gaudium, in creaturis tamen imperfectionem semper aliquam habent admixtam. Cum itaque Deus sit perfectissimus, etsi Scripturæ aliquos ex his affectibus Deo tribuant; cavendum est sedulo, ne cum commotione animi ut in homine, ita esse in Deo cogitemus, a quo omnis imperfectionis umbra amovenda est. Quapropter recensiti imperfecti affectus, metaphoricè tantum, impropriè, et quoad effectus in Deo esse concipiendi sunt: alii vero in se non imperfecti, etiam quoad affectum sunt in Deo intelligendi, sed omnem ab eis imperfectionem amovendo, quam experiuntur creaturæ. Est itaque 1. agnoscendus in Deo Amor propriè dictus, qui definiri posset: *Vera Dei Voluntas ex sui et creaturarum perfectione gaudium capiens*. Hinc dicitur (1. Jo. c. 4.): *Deus Caritas est*. Et Jo. c. 3. *Sic Deus dilexit mundum etc.* Primus voluntatis actus, et quasi radix aliorum (ait S. Thomas) est Amor; qui actus duplicis ordinis generatim sunt: Alii in prosecutione boni consistunt, alii in fuga mali. Observandum est autem 1. Amorem, sive gaudium hoc Deo propriè convenire, at sine passione ulla. 2. Cum sit efficax, a nostro maxime differre: *Voluntas enim*

nostra non est causa bonitatis .... sed Amor Dei est infundens et creans bonitatem in nobis. 3. In amore distingui respectum ad bonum, quod quis vult alicui, vel sibi, et dicitur *concupiscentiæ*: et amorem ad personam cui vult bonum, et dicitur *Amicitiæ*. Nunc, Deum amare omnes creaturas explorata res est: Et quidem Deus vult creaturis existentiam, conservationem, facultates et dotes, quas illis tribuit; ergo benè eis vult. Sunt autem creaturæ in rationales et irrationales dispertiendæ; et priores amat Deus amore benevolentiæ et amicitiæ, ut quæ capaces sunt amoris reciproci: irrationales verò amore diligit quasi concupiscentiæ, non quod eis indigeat, sed ob suam bonitatem, et utilitatem nostram: Nec rationales creaturas propter suum commodum amat, sed propter bonum quod in se ipso tanquam in fine ultimo consequuntur; qui est verus amicitiæ amor; ut propterea Sancti in Scripturis *Amici Dei* appellentur. Deus itaque ex parte actus divini creaturas omnes amat æqualiter, inæqualiter verò ex parte boni quod illis vult, Quare Deus præ humano genere magis Christum dilexit, cui per hypostaticam unionem maximum contulit bonum. Ita si natura angelica consideretur quæ perfectior est humana, illa fuit magis a Deo dilecta: at si hæc consideretur ut est a Verbo assumpta in unitatem personæ, excellentior sanè præ angelica natura facta est. Rursus quantum ad munera gratiæ plus dilexit Deus hominem lapsum, quam angelum prævaricatorem; qui non huic sed homini Redemptorem dedit, non quia absolute hunc plus diligeret, sed quia plus indigebat. Si ergo legitur Sap. VI. v. 8. *Non*

enim subtrahet personam cujusque Deus, qui est omnium dominator; nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus: Id tantum significat, Deum omnibus consulere, et absque personarum acceptione in necessariis omnibus providere; quod non impedit, quominus gratuita dona plus uni a Deo, quam alteri conferantur. Consulatur S. Thomas 1. p. q xx.

CII. Est etiam in Deo odium abominationis proprie dictum contra peccatum et peccatorem: Psalm. XLIV. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*. Eo modo quo amat Deus Justitiam, odit iniquitatem. Nam qui sanctus est, non potest non odisse, quod sanctitati adversatur: qui summe amat bonum, non potest non odisse malum. Ut amor est consonantia appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens: ita odium est dissonantia appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans; et distinguitur in odium abominationis, quo Deus peccatum aversatur ut sanctitati suæ contrarium; et in odium inimicitiæ, quod in personam cadit peccato inquinatam, quam justus Deus puniendam decernit. Cum itaque Deus sit natura sua justus ac sanctus, necesse est ut peccatum non metaphoricè sed propriè odio prosequatur. Non tamen odio inimicitiæ proprie dicto peccatorem odit; imo, ut homo est, diligit, et a malo, quantum est in se, avocat, non denegatis iis, quæ necessaria sunt, ut vitia fugiat, virtutem sectetur, Revera odio inimicitiæ aliquem prosequi, est ipsi malum velle: at immensa Dei bonitas non ad malè sed ad benefaciendum propendit.

Quare si peccatores punitos vult, facit id motivo justitiæ. Neque enim justus judex creditur reum odisse, quem morte plectit. Deus itaque summè justus velle nequit miseriam creaturarum rationalium quin mereantur, nec plus quam mereantur.

CIII. Quod si videretur, odium esse inimicitiæ alicui malum velle, quod sit ipsi disconveniens: Deum autem velle creaturis, quæ æternum puniuntur malum inconveniens ipsis et contra ipsarum inclinationem; ut proinde videatur eas odio inimicitiæ prosequi; Responderi debet; non esse inimicitiæ odium pœnam alicui infligere propter majus bonum universale, vel ratione justitiæ, et ordinis universi; sed quando infligitur, cum inde bonum nullum, aut privatum bonum tantum sequatur. Deus itaque cum vult creaturarum punitionem, est ea quidem ipsis disconveniens ut creaturis particularibus; at verò tendit ad commune bonum, et ad ordinem universi convenientem: quæ si est contra privatam inclinationem, non tamen esse debet contra inclinationem rectam et universalem. Nam duplex in rationali creatura est naturalis inclinatio: alia privata et peculiaris, alia generalis et præcipua quæ privato suo commodo commune bonum præfert; ut manus quæ cum de salute agitur totius corporis, se se periculo exponit: ita pœna etiam æterna quamvis non sit bona secundum privatam reprobi inclinationem; tamen illi bona est secundum inclinationem præcipuam et universalem, quæ ad justitiæ ordinem tendit. Nec quis dicat, non decere bonitatem Dei ejusque amorem, ut æternum puniat, quod irati potius animi videatur, quam pa-

cati et paterni : Argumentum est enim ex nostro privato amore deductum. Nam est secundum Dei amorem, quod est secundum Dei legem atque justitiam; juxta quam singula pro sui conditione in Deum tendant, oportet; nec quidquam extra omnem ordinem esse potest. Hinc rationales creaturæ, quæ statutum sibi virtutum ordinem non sequuntur, in contrarium criminum ordinem incurrunt. Prioris ordinis meta est æterna felicitas, posterioris ergo meta debet esse miseria æterna. In utroque Deus est justus, et bonus, igitur et sapiens est. Quod etiamsi ægrè a nobis intelligatur; id tamen et Religio, et consensus omnium gentium confirmat; ut juxta sapientissimas divinæ justitiæ leges hunc rerum ordinem esse dispositum dubitari non possit.

CIV. Affectus autem qui intrinsecam deformitatem, aut etiam imperfectionem continent, ut desiderium, spes, desperatio, in Deo esse nequeunt. Nam desiderium est rei absentis et non possessæ. Cum ergo Scripturæ aliquid Deum desiderare ajunt, desiderium illud nos respicit, scilicet bonum nostrum nostramque salutem, quam Deus vult, et desiderare dicitur, eo quod, quantum est in se, bonum nostrum curat. Spes etiam multoque minus desperatio cadere in Deum nequeunt, cum circa bonum absens et arduum versentur, et nihil Deo sit difficile, impossibile nihil. Non timor denique, non tristitia, nec ira, aut pœnitentia in Deo esse queunt, cum sint affectus ex se maxime imperfecti. Timor est de malo proprio imminenti: Tristitia vero est de malo præsenti; qui propterea sunt procul a Deo amoliendi. Ira et furor

absit ut propriè Deo tribuantur, cum oriantur a tristitia et spem vindictæ involvant; impropriè itaque et metaphoricè de Deo dicuntur, et quantum ad exteriores effectus. Tertullianus ergo et Lactantius de hac re tractantes benigne, sunt intelligendi. Ab Augustino ira Dei definitur „ Judicium quo irrogatur pœna peccato „. Pœnitentia quoque angorem involvit, et voluntatis immutationem, quæ Deo sunt prorsus indigna. Figuratè igitur et quantum ad effectus dumtaxat in sacris literis de Deo dicuntur ut prudentiores semper intellexere. Conferatur supra N. XLIX.

CAPUT XV.

DE JUSTITIA DEI, MISERICORDIA, CLEMENTIA, ATQUE OMNIPOTENTIA.

CV. Cum divina Attributa maxime inter se consentiant, ut dictum est (N. LXVIII.), unumque aliud illustret, hinc maximi interest, ut diligenter considerentur. Diximus in Deo esse Amorem, imo esse Caritatem ipsam (N. CI.), qui bonitate gaudeat; unde bonus est et beneficus: *Bonum autem sui est diffusivum*, ut habet Dionysius. Ex hoc itaque divino Amore profluunt voluntates efficientes ordinis, pulchri, et boni, et *noluntates* sive aversationes, quibus prava aut vetat aut punit. Cum sit enim Deus prima et immutabilis rectitudo, sitque præterea providentissimus, fit ut debeat ordinem velle, perturbationem nolle. Hic Amor in Deo

non igitur ex extrinseca bonitate accenditur, sicut in nobis; sed in eo existit ex intrinseca sui bonitate ac pulchritudine, estque illi essentialis, et causa est totius bonitatis et ordinis qui in Universo regnat. Ex hoc itaque Divino Amore Dei Justitia fluit. Hæc *Justitia est summa Dei ratio, et voluntas ordinem servari jubens, turbari vetans*, quæ propterea ordinatissima est. Quare cum dicitur, *Justus est Dominus:* ne putemus, ex aliqua superiori lege ejus justitiam dimetiendam esse, aut ex jure quidquam ulli debere, ut ex nostris ideis consuevimus cogitare; sed ex æterna veritate æstimanda est, quæ inest in Divino intellectu, quæque est æterna Dei justitia, cui cum hæc rerum Universitas respondere debeat, Divina voluntas Universi effectrix et gubernatrix est Dei justitia respectu hujus mundi. Sed Justitia propriè hîc est virtus reddens unicuique quod suum est, sive studium jus suum cuique tribuendi, quæ Dei respectu dici potest „ *Bonitas sapienter administrata* „ eaque duplex distinguitur; Alia *distributiva*, quæ dat cuique quod ei debetur: eaque si remunerat, *remunerativa*; si puniat *punitiva* seu *vindicativa* dicitur. Est etiam justitia *commutativa*, qua unum pro alio servata æqualitate redditur.

CVI. Modo punitiva Dei justitia vel spectari potest quantum ad *essentiam*, vel quantum ad *exercitium* externum: Rursus exercitium illud vel spectatur *in se et absolutè*, vel quantum ad modum, ut pœnæ mensura, duratio, dilatio, aut in alium translatio. Et Justitiam hanc in se et quantum ad substantiam

esse Deo essentialem, salva fide impugnari non posset; ut Deus justus et sanctus nequeat peccatum impunitum omnino dimittere; licet quantum ad modum liber sit agnoscendus. Quare adversus Socinianos id impugnantes demonstrandum est: Esse vere et proprie in Deo Justitiam distributivam in præmium bonorum et in malorum animadversionem. Hæc enim in divinis Literis frequenter Deo asseritur cum generatim, tum speciatim: ut Psalmo CXVIII. *Justitia tua, justitia in æternum, et lex tua veritas*: Psal. LXXXIV. *Justitia ante eum ambulabit*. Hæc igitur perfectio a Deo nequit auferri. Hinc de mercede reddenda ajebat Apostolus 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. De malorum verò punitione scribit idem Apostolus ad Rom. 1. v. 25. *Cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*. Quare in Evangelio habetur Matth. XVI. quod *Deus reddet unicuique secundum opera sua*. Quod ex intimo quoque conscientiæ sensu cognoscitur, quo inter peccandum vindicem supremi Numinis justitiam quisque pertimescit, et in quo gentes consensere omnes. Malè ergo sentiunt Sociniani dum Justitiam distributivam in Deo prorsus liberam volunt, eo quod Deus sit omnipotens, nec justitiam hanc ab æterno exercuerit. Non enim Deus potest esse indifferens erga virtutes et vitia: Omnipotentia verò ad ea quæ cum divinis attributis, cum sanctitate, justitia, amore ordinis pugnant, non se extendit: quod si ab æterno justitiam non exercuit, id fuit quia nullæ ab æterno erant

creaturæ, quibus provideretur. Verum tamen est, *justitiam commutativam* lato sensu tantum, non proprio esse in Deo admittendam; nam quidquid habemus ab ipso est omnium bonorum fonte: Quare Apostolus Rom. XI. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* At sensu latiori est ea in Deo agnoscenda; quod opera bona ex Gratia elicita proportionem quandam habeant cum gloria, quam bonis operibus nobis comparare ajunt Patres, sensu nempe morali; nam revera cum Deus præmium tantum rependit, sua ipse dona coronat.

CVII. Quod ad Misericordiam pertinet, si ea pro compassionis ac tristitiæ affectu sumatur, in Deo propriè esse nequit, sed effectivè dumtaxat: si vero simpliciter habeatur pro voluntate alienæ miseriæ subveniendi, tunc propriè in Deo agnoscenda est. *Nam tristari de miseria aliena*, inquit S. Thomas 1. P. q. XXI. *non competit Deo: sed repellere miseriam alterius, hoc maximè ei competit*. Hæc itaque Misericordia, seu voluntas alienæ miseriæ subveniendi, est proprie in Deo admittenda, quam Scripturæ sæpe sub oculos ponunt, ut Psalmo CXLIV. *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors.. miserationes ejus super omnia opera ejus*. Nec aliquis opponat, eam stare non posse cum divina Justitia: Non enim hæ virtutes in se contrariæ sunt, licet sint diversi effectus relatè ad objecta. Imo in ipsa punitione Deus clementiam exercet, qua hominum emendationem procurat, nec statim plectit, at de pœnis remittit, ut Psalmista exclamet: *Misericordiam et Judicium cantabo tibi Domine.* Nec ex quo

Deus sit immutabilis, sequitur non esse orandum ut propitius sit et Clemens. Nam preces nostræ ac vota Deum non mutant, *qui novit quid nobis opus sit antequam petatur*, ut Salvator ait; sed sua dona nobis conferre vult præcedentibus nostris precibus jam ab æternitate sibi cognitis ac perspectis.

CVIII. Dei autem Omnipotentia definiri solet: Potentia ea omnia solo nutu faciendi, quæ non sunt intrinsecus impossibilia. Sed generatim potentia in *activam* et *passivam* distinguitur. Illa est principium agendi, quæ maximè Dei propria est: hæc est capacitas aliquid patiendi aut recipiendi, quæ est a Deo eliminanda. Activa itaque Dei potentia est circa actiones extra ipsum, quæque *transeuntes* dicuntur; et ea distinguitur in *absolutam* et *ordinatam*, sive in *physicam*, et *moralem*. Potentia ordinata est illa, quæ a Divinis attributis pendet, Justitia, Sapientia, Sanctitate. Quare plura sunt intrinsecus possibilia, quæ tamen Deus efficere nequit, eo quod attributis ipsius moralibus adversentur. Hæc autem Deus non potest, quia non vult: *Quod autem non vult*, inquiebat Athenagoras. *ideo non vult, vel quod injustum est, vel quod Deo indignum.* Atque hæc *impossibilia moralia* vocantur. Quæ verò existentiæ non sunt capacia *impossibilia intrinseca* dicuntur, quæ cum contradictionem involvant ea Deus efficere nequit, quia sibi contradicere non potest. Interim Deum esse omnipotentem Scripturæ abunde testantur; idque tum ex infinita sui perfectione, tum ex creatione mundi patet ejusdemque gubernatione. Quare Matthæi XIX. dicitur: *Apud Deum omnia possibilia sunt*, et Lucæ

C. I. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Itaque Dei omnipotentia est infinita, cujus objectum non sunt tantùm res creatæ, sed et aliæ perfectiores, atque res omnes possibiles. Nam in Deo ratio sufficiens est rerum omnium, quæ fieri possunt; potest ergo illa efficere. Atque hæc est omnipotentia.

CIX. Quærenti igitur, An Deus plura efficere possit quam quæ fecit? Ex dictis constat alia innumera posse efficere; cum innumera sint possibilia, quæ non sunt. Sed illa ideo possibilia sunt, quia illorum ratio sufficiens in Deo est; alioquin impossibilia forent; plura ergo facere Deus potest, quæ non facit. Nec refert, quod potentia pendeat ab intellectu et voluntate Dei, quæ sunt totæ in actu: Non enim inde sequitur quod etiam potentia tota in actu esse debeat uti volunt fatalistæ. Intellectus enim et voluntas sunt actus interni et immanentes, ut toti simul sint: at Potentia se ad exteriora extendit, quæ licet a voluntate regatur, hæc tamen ad extra non necessariò fertur, sed agit liberè et juxta suam sapientiam. Hinc deducitur, meliora his quæ fecit, posse efficere. At in hoc perfectio est distinguenda quæ desumitur ab arte et fine, a perfectione pendente a numero ac intensitate realium proprietatum; quarum prior *relativa* dicitur, *absoluta* posterior. Ac primo modo accepta, omnia quæ Deus facit, optimè facit, cum ob infinitam sui sapientiam ac potentiam suis finibus æque respondeant, et optima propterea sint. Secundo autem modo, plura Deus et perfectiora semper facere potest, Quod igitur Deus hunc mundum inter omnes possibiles creandum selegerit et non

ampliorem alium, ratio est, quia hic et non alius fini respondebat, quem sibi proposuerat; cujus finis amplitudinem nostrum non est plenè scire, aut pervestigere.

CAPUT XVI.

DE PROVIDENTIA DEI.

CX. Ordo rerum postulat, ut modo Providentiam Dei contemplemur, quæ licet res ab eo conditas respiciat, tamen ut hæc tractatio absolvatur, hic, ut consuevit, de ea agemus. Providentia itaque, ut eam definit S. Thomas 1. p. q. XXII. *Est ratio ordinis partium in toto, et ordinis rerum in finem*. Definitur etiam clarius Providentia, *Earum rerum quæ sunt aut futuræ sunt præscientia, dispositio, et gubernatio*. Duo itaque hæc providentia requirit, præscientiam nempe futurorum a qua nomen accepit; et actionem, qua singula ad fines suos dirigantur, ut inde mirus partium et totius concentus exurgat. In Providentia igitur, *Dei sapientia dirigit, voluntas imperat, potentia verò exequitur*, ait S. Thomas. Græci hanc Προνοιαν vocant; et juxta Boetium Lib. IV, Providentia *est ipsa Divina ratio, quæ cuncta disponit*; et Seneca Epist. 71. eam dicebat: *Æternam artem cuncta temperantis Dei*. Eam antiquitus neminem unquam abnegasse constat, quoadusque inter corruptos Græciæ mores quidam surrexere sophistæ, qui communi gentium consensu rejecto, omnia ex proprio imbecilli ingeniolo metiri posse præsumentes, quos inter

Democritus et Epicurus diffamati sophistæ, Providentiam, quasi Deo laboriosam sustulere. Hæc avidè arripuerunt quotquot inordinatis affectibus blandiebantur, voluptuosi homines, qui divinæ Legis jugum excutere cupiebant, quique apud Ciceronem de Nat. D. L. 1. cum Vellejo epicureo lamentantur: *Imposuistis cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies noctesque timeremus*. Quasi soli philosophi platonici, et non universum etiam humanum genus hunc sempiternum Dominum agnoverit et fassum sit. Præstat igitur argumenta delibare, quibus ostendatur, esse in Deo providentiam perfectissimam, quæ ad omnia et singula extenditur, et per quam Deus omnia regit et moderatur.

CXI. Cum vero Providentia alia dicatur *Naturalis*, alia *Supernaturalis*; et hæc ea sit, qua Deus creaturas intelligentes ad supernaturalem finem per media supernaturalia dirigit: Naturalis autem, qua per media naturalia ad naturalem finem res creatas ordinat atque disponit; de hac posteriore primo agentes facile est I. ex Scripturis eam demonstrare. Nam Sapientiæ C. VIII. dicitur, quod æterna Dei *Sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter ac disponit omnia suaviter*. Et ibidem C. XIII. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus*. Sed hominum actiones Deus maximè dirigit: ut Proverbiorum XX. *A Domino diriguntur gressus viri* Et 1 Petri c. v. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis* Imo vilia etiam Deus gubernat; nam Christus ajebat Matth. VI. *Respicite volatilia cæli, quoniam non*

serunt , neque metunt , et Pater vester cœlestis pascit illa , Malè ergo Balbus apud Ciceronem de Nat. D. l. 1. c. 66. ajebat „ magna dii curant , parva negligunt „ Quin nec ipsa hominum peccata ejus curam fugiunt , sive ut non fiant media dando , sive ut facta puniantur , sive ut eorum occasione bona inde eliciat , ut Patriarcha Joseph fratribus testabatur Gen. C. L. *Vos cogitastis de me malum , sed Deus vertit illud in bonum , ut exaltaret me sicut nunc cernitis , et salvos faceret multos populos* . Egregiè itaque Augustinus Enchir. C. XI. *Deus Omnipotens, cum summè bonus sit , nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis , nisi usque adeo esset omnipotens et bonus , ut benefaceret etiam de malo* . Et alibi : *Vitiorum nostrorum non est auctor Deus , sed ordinator* . Quare malis utitur sicut venenis , inquit , De Civ. D. L. XI. c. 22. *Quæ per inconvenientiam perniciosa quidem sunt , convenienter autem adhibita in saluberrima medicamenta vertuntur* . Peccata igitur non per se , sed veluti ex occasione , et supposita præscientia ad divinam providentiam pertinent ; ad quam pertinent etiam quæ fortuita videntur ut Proverb. XVI. *Sortes mittuntur in sinu , et a Domino temperantur* .

CXII. Demonstratur 2. ex mirabili Orbis structura, harmonia , et conservatione , qui ordo non tam stabilis permaneret , nisi perpetua Dei manu restauratrice gubernaretur ; quod præcipuè noverunt astronomi , dum planetarum motus circulares contemplantur. Id quoque Physici noverunt dum res naturæ singulas mirantur alias aliis perpetuò inservientes ,

affabre contextas, et in unicum finem conspirantes; quæ sine Mente Suprema ac directrice non starent. 3. Quæ enim nullam habent rationem sufficientem suæ existentiæ, neque conservationis habere possunt: at hæc rerum universitas a se ipsa non est (sup. N. XVI.); neque igitur conservari potest; sed Dei providentia regitur. 4. Eam prædicant Rerum humanarum cursus, Societates, Religionis propagatio et conservatio, quæ licet ab impiis oppugnata, perseverant. 5. Denique hoc ipsum ex omnium gentium consensione conficitur, cui Poetæ vetustiores, ac philosophi suffragantur. Celebre est illud Homeri: Θεος δια παντα τελευται: *Deus perficit omnia*. Hesiodus, Æschylus, Euripides, Aratus, cæterique græci ac latini poetæ egregia habent, et de Majorum sententia testantur. Quid opus est Platonis, Xenophontis, Plutarchi, Senecæ, aliorumque sententias afferre, quorum testimonia apud Petavium collecta videri possunt? Sufficiat Tullius, qui Lib. 1. de Nat. D. hæc sapienter habet. *In mundo profecto Deus est aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursus astrorum, qui mutationes temporum, rerumque vicissitudines, ordinesque conservat: terras ac maria contemplans, hominum commoda vitasque tuetur.* Plura in confirmationem hujus theorematis addere non est opus, quod ab innumeris fusè ac doctissimè pertractatum sit; sed qui illud impugnaret aut aliquis perditus atheus esset, aut stupidus quis et plumbeus.

CXIII. Quæ adversus solemnem hanc Veritatem ab Epicureis olim afferebantur, (recentiores enim

nihil novi commenti sunt), ea aut plebeja sunt aut puerilia, et eorum plura jam supra (Cap, I. et III. resoluta habentur: Ajebant enim, hanc providentiam Dei quieti ac felicitati esse adversam; nam, ut opponebat Lucilius apud Cic. loc. c, , *quod æternum et beatum est, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri; itaque neque ira affici, neque gratia teneri.... At si Deus regit cursus astrorum rerumque vicissitudines .., næ ille est implicitus molestis negotiis et operosis:* Quæ certe viro philosopho sunt indigna; Deus enim Mens purissima, et infinita sapientia ac potentia præditus labore nullo, nullaque sollicitudine, ac summa tranquillitate solo suæ voluntatis nutu omnia regit atque gubernat, ut veteres etiam gentiles facilè intelligebant; non enim ex imbecillitate nostra de virtute divina judicare debemus. Opponebant etiam quod si Deus provideret rebus humanis, nec sineret improbos lascivire, nec probos miseria sæpe afflictari, ut Ovidius scriberet l. 3 Eleg, 9.

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse, putare Deos.

Sed hæc suspicio ex nimio nostri et rerum temporalium amore profluit: Deus enim providus, non quidem id semper sineret; at non prohibet, quin id ob majus bonum nostri permittat. Ad provisorem enim universalem pertinet, sinere aliquos defectus esse in operibus suis, ne bonum impediatur universi perfectum. Sed brevis est improborum prosperitas: bonorum vero perennis futura est, Argumentum itaque valeret aliquid, si in hac mortali vita tantum spe-

randum foret: at hinc admonemur futuram et immortalem esse expectandam, in qua judex justus et providus unicuique redditurus est juxta opera sua. Præterea improbi non semper malè agunt, ut ob aliqua benefacta Deus in tempore eos remunerare velit: Nec qui probi videntur omni semper culpa vacant, ut eos velit emendare in hac vita, quò eos æternùm felices reddat. Sed nec parva est impiis pœna continuis conscientiæ stimulis dilacerari, ut Juvenalis notabat Sat. XIII.

Pœna autem vehemens, et multo sævior illis
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

E contra de innocuis ajebat Horatius:

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Egregie itaque Augustinus L. 1. de Civ. D. c. 8. *Placuit Divinæ Providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti: et mala impiis quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona vel mala utrisque voluit esse communia; ut ne bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter evitentur; quibus et boni plerumque afficiuntur.* Nostrates etiam athei, ut nonnulli veteres, offenduntur nonnullis inordinatis, quæ ipsis videntur, rebus; ut morbis, doloribus, tempestatibus; quorum querelæ ex falsa, quam sibi confingunt, sui et rerum cognitione erumpunt. Non enim hæ res ad nostrum tantùm commodum ordinatæ sunt, quasi omnia nostris voluptatibus subjecta fuerint. Licet itaque Deus nostram veram felicitatem velit, falsum tamen est omnia ad corporeas delicias direxisse, etsi omnia

rectè adhibita usibus ac utilitati nostræ inserviant. Quin etiam commodis abunde providisse Deum, considerabat Seneca De Benef. L. 4. C. 5.: *Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est; usque in delicias amamur:* Quod si universum rerum ordinem perspectum haberemus, evanescerent difficultates, quas nobis ignorantia parit, rectiusque de rerum finibus atque utilitate judicaremus, ut Physici de pluribus convincuntur in dies. Quod si monstrosos etiam partus Deus sinit, vel id contingit, quia Deum non decet causas secundas semper invertere, vel ut ex his defectibus cæterarum creaturarum ordo et pulchritudo elucescat. Quæ autem vilia censentur, talia respectu universi non sunt: *Nihil vacat, nihil inane germinat terra*, ajebat Ambrosius; *Quod tibi putas inutile, aliis utile est.* Subdit Isidorus l. 1. Sent. c. 9: *si radas supercilium hominis, parvam rem demes; sed totius corporis ingeris fœditatem.* Nec etiam quæ fortuita videntur divinam prætereunt providentiam; talia enim sunt respectu nostri, non Dei: Nos ex ignorantia quædam casu accidere judicamus; at omnia sunt Deo perspecta, sapienterque ordinata. Non denique est ejus majestate indignum etiam de minimis curam gerere, cum omnia ipse condiderit; quæ si esset injuria ea regere et conservare, nonne major esset injuria, fecisse? Quod ergo habet Hieronymus: *Absurdum esse ad hoc Dei majestatem deducere:* non respicit generalem omnium providentiam, sed peculiarem; vult enim non eamdem providentiam gerere hominum atque brutorum; nam quosdam refutabat, qui animantibus, singulis atque ar-

boribus angelos custodes præesse censebat. V. sup. N. LXVII.

CXIV. Fatalistæ recentiores audent etiam contra Providentiam Scripturis Sacris abuti, exempla afferendo Jobi, Davidis, Jeremiæ, quos dubios et anxios circa eam volunt: ut cum ait Jeremias: *Quare via impiorum prosperatur?* Verum hos Sanctos viros non ex providentiæ dubitatione, sed ex zelo justitiæ loqui, manifestum fit ex contextu. Confitentur enim coram Deo, ex impiorum prosperitate tentationem fuisse expertos: et divinam providentiam apertè prædicant; ut cum Job ait Cap. XIII. *ducunt impii in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*. Et Jeremias fatetur: *Justus quidem tu es Domine*. David autem de impiis exclamat Psal. 72. *Quomodo facti sunt in desolationem! subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam*. Cum verò apud Job scribitur: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat*: blasphemiæ impiorum referuntur negantium providentiam ac delirantium. Quod denique ait Apostolus 1. Cor. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Vult quidem non curare animantia irrationalia speciali modo ut homines, non quod ea nullo modo curet; cum ibi referat illud Deuteronomii: *Non alligabis os bovi trituranti*. Et Psalmo CXLVII. *Dat jumentis escas ipsorum*. Nam ipsi, ut vidimus, cura est de omnibus.

CAPUT XVII.

DE SUPERNATURALI DEI PROVIDENTIA SIVE DE PRÆDESTINATIONE.

CXV. Deum Optimum Max. peculiarem erga homines providentiam gerere, quos ad felicitatem veluti in finem direxerit creaturis rationalibus convenientem jam supra dictum est toto Cap. XIII. ubi de voluntate Dei agitur. Verum non ad quandam naturalem tantum felicitatem, sed præterea ad supernaturalem atque æternam Gloriam in Cælis possidendam pro munificentia sua destinasse Divina revelatio docet. (sup. N. LXXIV.); quod gentiles etiam philosophos ex parte aliqua cognovisse constat. Providentia hæc in sacris Literis *Prædestinatio* dicitur, quæ juxta nominis etymon est antevertens cognitio cum proposito aliquid faciendi conjuncta; ut in Deo sit actus intellectus simul et voluntatis: quæ græce est Προορισμος, a προορίζειν *prædefinire* sive *prædestinare*. Prædestinatio itaque juxta Scriptores Sacros, est *Æterna Dei voluntas, qua homines ad vitam æternam prædestinat*. Quare ea vox sæpius in bonam partem adhiberi consuevit. Cæterum licet velit Deus omnes homines salvos fieri, cum tamen homines necessariis seu physicis non ducantur, sed moralibus legibus illorum arbitrio subjectis, ut mediis, aptis et eorum naturæ congruentibus ad felicitatem pertingant; hinc fit, ut non omnes Dei beneficiis uti velint, sed ut plerique Spiritui Sancto resistant, qui propterea

in damnationem incurrunt. Quapropter sicut claritatis gratia Dei voluntatem respectu ad creaturas distinximus, ita et Prædestinatio, ut alia sit *Generalis*, alia *Particularis*: Prima est idem cum voluntate Dei antecedenti salvandi omnes, qua media ad salutem necessaria et sufficientia omnibus præparantur, et exhibentur: Particularis verò est idem cum voluntate consequenti, quà Deus vult, eos qui in accepta justitia et in perseverantia finali decedunt ad cælestem gloriam assumere. Distinguenda est etiam Prædestinatio *ad Gratiam et Fidem*, et prædestinatio ad vitam sive ad Gloriam: prior est eadem cum prædestinatione generali, sive cum æterna Dei vocatione, qua omnes vocat, ut salventur, eisque auxilia sufficientia præbet, quibus valeant vitam æternam consequi: altera verò est eadem cum particulari prædestinatione. Tertiò distinguitur prædestinatio in *adæquatam* sive *completam*, et in *incompletam* sive *inadæquatam*. *Adæquata* sive *totalis* et *completa* omnes complectitur prædestinationis partes sive effectus, Gratiam scilicet et Gloriam: Sed *incompleta* sive *inadaequata* partem dumtaxat aliquam respicit, aut Gratiam nempe, aut Gloriam. Observandum tamen, hæc vocabula brevitati mentis nostræ esse accomodata, ut rem ipsam planè explicare non valeant; quibus uti cogimur, non quasi Dei consilia sint apta aperire; sed ut Theologica dogmata modo aliquo intelligantur et explicentur. Nihilominus apprime positæ distinctiones observandæ sunt, ut circa rem hanc tollantur ambiguitates.

CXVI. Modo prædestinationis existentia demonstranda est; sed primo nonnulla *de generali* dicendum, quæ a S. Thoma 1. P. q. 23. a. 1. definiri videtur: *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*; nam *particularis* ab eodem dicitur ib. a. 2: *Ratio ordinis aliquorum in vitam æternam*: quæ ab eo definitur etiam: *Præparatio gratiæ in præsenti, et Gloriæ in futuro*; sive juxta S. Augustinum de Dono Persev. c. 14. *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*. Sed generalem illam prædestinationem dari, ostenditur 1. iis omnibus momentis, quibus supra (Cap. XIII.) demonstrata est Dei voluntas beneplaciti vera ac sincera sed antecedens salvandi omnes ac singulos, qua iis præparat et exhibet media majora vel minora sed singulis relativè sufficientia, quibus si recte utantur salvi fiant. Nam ait Apostolus ad Tit. 1. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos* etc. Et ad Rom. VIII. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* Joannes vero 1. Ep. c. 2. testatur, quod *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Non agitur hic de valore aut pretio redemptionis, at verò de voluntate, qua Deus Pater Filium suum tradidit pro omnibus, deque voluntate Filii, qua Patrem propitiavit pro totius mundi peccatis. Quis dixerit, non fuisse voluntatem Filii ut Pater erga omnes propitius fieret, is *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* 1. Tim. 2. is qui venit in *hunc mundum pec-*

catores salvos facere ib. c. 1. 15. is *qui non venit vocare justos, sed peccatores*. Matth. 9. 13. *Nolens aliquem perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*, 2. Pet. 3. 9. Ut per Dei voluntatem non steterit, quin redemptionis fructum perciperent; sed quia plures obstinatè restiterunt, et, ut habet Augustinus, *sibi fuerunt inimici et se fraudarunt magno et summo bono*. Reverà non tantum vult Deus, ut omnes peccatores salventur, sed præter ordinaria auxilia, non rarò etiam extraordinaria quanquam frustra adhibuit, ut ipse apud Isajam Cap. V. 4. testatur: *Et nunc .... judicate inter me et vineam meam: Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? . . . . et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas* etc. An verba hæc non sunt seriò loquentis, et sincerè volentis? An non esset alioquin illusio Deo prorsus indigna? Imo nonne mendacium esset gravissimum? Quod absit. Sed infiniti essemus si dicta omnia Scripturarum et Patrum hic afferre vellemus. 2. Id patet ex eo quod præcipiat Deus singulis ut bene agant, et salutem æternam operentur. Vult ergo ut omnes salvi fiant, vult ergo singulis auxilia relativè sufficientia præstare quibus præcepta servent: Alioquin impossibilia præciperet, quod impium est affirmare, et damnatum ut hæreticum et detestabile. Deus ergo omnes verè ad salutem æternam vocat, ac dirigit. Sed hæc est Prædestinatio generalis; revera igitur ea datur.

CXVII. Sed quia *non omnes obediunt Evangelio*, ut ait Apostolus, et *cognovit Dominus qui sunt ejus*. 2. Tim. 2. *quos propterea præscivit et prædestina-*

vit Rom. VIII.; hinc agnoscenda est Prædestinatio particularis, quod opus est Providentiæ Dei et miserentis ejus voluntatis, ut ad intellectum simul et ad voluntatem Dei pertineat. Hanc antiquitus impugnarunt Pelagiani et Semipelagiani, eo quod, inquiebant, per eam homines non judicandi, sed jam judicati nascerentur, ac libertas periret, tollerentur virtutes, hominesque in socordiam inducerentur et in desperationem. His adhæserunt Sociniani recentes, qui omnes quam insigniter aberraverint, modo videndum est, statuendo: Veram ex parte Dei agnoscendam esse Prædestinationem, sive Decretum et voluntatem Dei absolutam et efficacem dandi Regnum Cælorum iis omnibus, qui revera ad ipsum perveniunt. Id enim apertè Christus ipse frequenter testatus est: ut Matthæi xxv. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi*; Lucæ vero xi. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri nostro dare vobis regnum*. Et ibid. x. *Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in Cælis*. Conferatur Apostolus ad Rom. VIII. et alibi. Hanc vero esse Ecclesiæ fidem non semel affirmant Patres, ut Augustinus de Dono persev. c. xix. ubi ait: Neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando, disputare posse. Cujus rei ratio est, quia nihil Deus operatur in tempore, quod ab æterno non præordinaverit faciendum; cum ejus voluntas sempiterna et immutabilis sit (N. LXIV.). At quantùm certa est prædestinationis existentia, tantum occulta manet hujus mysterii ratio, ac hu-

manæ menti prorsus impervia. Arcanum hoc tentare nefas, quod ad æmulationem ac virtutis exercitium nos latere Deus sapientissime voluit, ut cautiores essemus et vigilantiores.

CXVIII. Contra tamen hanc incomprehensibilem veritatem nonnulli opponere solebant, eam doctrinam periculosam videri: Nam si ab æterno sors hominum præfinita est, valebit dilemma illud: Vel quis est prædestinatus, vel non; si primum, salutem certissimè consequetur; nam quidquid egerit, cum Dei absoluta voluntas irrita esse nequeat, certò ei aderit finalis perseverantiæ gratia: si alterum; quidquid boni egerit, tandem deserente gratia peribit. Sed hoc homines vel in desperationem, vel in temerariam præsumptionem inducit, ut sit rejiciendum. Locus tamen datur hujus ænigmatis solutioni, quippe quod falsa laborat suppositione: supponit enim, quidquid homo egerit, prædestinatum fore, aut non. Itaque absoluta illa voluntas, et certa apud Deum prædestinatio in præscientia fundata est meritorum, quæ per gratiam acquiruntur; ut non alia oriri possit agendi necessitas ex prædestinatione, quàm ex præscientia (Sup. N. LXXXVII.). At præscientia Dei humanam non tollit libertatem, nec sollicitudinem extinguit sectandæ virtutis, eo quod libera futura supponat, non verò faciat; neque igitur prædestinatio, quæ sequitur et supponit futurorum præscientiam sub conditione meritorum gratiæ; quare illa necessitas hypothetica tantum est sivè conditionata, si nempe bona vel mala opera prævisa sint: Deus, inquit Bellarminus Lib. 2. de Gr. et Lib. a. 6. c. 15., *antequam aliquid abso-*

luta voluntate decernat, præscivit quidquid unquam accidere posset, si hæc vel illa ponerentur. Itaque dilemma illud putidum sophisma est, quod appellant *a falsò supponente*. Non enim quidquid egerit, ut falsò supponitur; sed *si bene egerit, homo recipiet*, ut dixit Deus Genes. IV. 7. Igitur prædestinatus idcirco quisquam supponitur, quia prævidetur ea facturus, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt, quæ si non perfecerit, et Dei Gratiæ restiterit, nec prædestinatus erit. Sicut ergo, ex quo exitus Deo certò innotuerit, nemo desidiosus erit ut a morbo convalescat; ita negligens nemo fuerit in æterna salute procuranda. Sed urgent iterum dilemma, ex quo juxta Catholicam doctrinam, prædestinatio ad gratiam sit omnino gratuita, et ab hominum operibus independens; quare ita argumentantur: Vel quis prædestinatus est ad gratiam, vel non est: si primum, gratiam obtinebit, et benè operabitur; secus verò si ad gratiam prædestinatus non sit. Sed et hoc argumentum in hanc sententiam contortum diluit Augustinus cum ait: *Deum semper paratum esse ad gratiam dandum*. Quod si quis parvam gratiam acciperet, non propterea excusandus esset, quia orando uberiorem poterat impetrare. Licet ergo prædestinatio ad gratiam ex parte hominis causam nullam habeat; Deus tamen bonus et misericors media omnibus ad salutem necessaria præparavit et exhibet, vultque omnes hac antecedenti voluntate salvos fieri: at vult simul, ut gratiæ liberè cooperentur. Superest ergo, ut ex parte sua homines illam liberè amplecti eaque uti velint; quam cooperationem cum Deus ab æterno prævideri, *consequenter*

ad gratiam eos quoque ab æterno prædestinavit. Cum ergo sine prævisione cooperationis nostræ prædestinati non simus, vim nullam contra nos dilemma propositum habere potest, cum falsò supponat, factam ab æterno prædestinationem hanc absque prævisione cooperationis gratiæ eidem. Hinc admonebat Augustinus Lib. de Corrept. et Gr. c. 2. *Quando non agunt, orent, ut quod nondum habent accipiant: O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.* Supponit ergo S. Doctor, dari singulis saltem gratiam orationis, qua uberiorem ad salutem consequendam impetrare queant. Nam ipse L. de Dono Persev. c. 22. n. 62. subdit: *Vos etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum sperare debetis et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipse largitur.* Revera ut ex eodem Augustino habet Concilium Tridentinum Sess. VI. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.*

CXIX. Sed quid de singulari Ambrosii Catharini sententia dicendum? Hic duos distinguit hominum salvandorum ordines: unum eorum, qui insigniter a Deo electi sunt ante quamcumque meritorum prævisionem quibus efficacia media largitur, ut ad æternam vitam certissimè perducantur. Alterum verò illorum qui communi providentiæ relicti, et communibus adjuti auxiliis, præsciuntur quidem ex meritis

salvandi, certusque est illorum numerus, at non ex speciali Dei providentia. Hæc opinio, quam tempore Concilii Tridentini Catharinus ediderat, licet nulla ab Ecclesia censura notata sit, non tamen admittenda videtur, cum duplicem designet ex parte Dei prædestinandi modum, duplicemque salvandorum ordinem, quem nec Scripturæ significant nec Patres: deinde supponat, non adesse specialem apud Deum erga omnes prædestinatos prædilectionem, quam Scripturæ apertè declarare videntur, ut enim Apostolus ait Rom. VIII. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Denique hoc systema illud habet incommodi, quod ipsi omnia objecta diluenda sint, quæ contra utramque sententiam producuntur; quod omnino cavendum est.

CAPUT XVIII.

DE PRÆDESTINATIONE DEI AD GRATIAM ET AD GLORIAM.

CXX. Controversiam de prædestinatione ad Gratiam magni momenti fecerunt olim hæretici Pelagiani et eorum surculi, qui hujus prædestinationis causam aliquam dari ex parte hominum contendebant; contra quos doctrina catholica certa ac definita est. Sed non ita causa finita est inter Catholicorum Scholas circa Prædestinationem ad Gloriam, cujus aliæ nullam, dari aliæ causam aliquam ex parte creaturarum tuentur. Dupliciter autem causa intelligi potest, ut alia sit *causa physica et determinans*, alia

moralis et meritoria. Cum vero causa physica illa sit, quæ per se ac virtute sua effectum gignit; non hic inquiritur, sit ne aliqua ex parte creaturæ causa physica prædestinationis: *Nullus enim fuit ita insanæ mentis*, inquit S. Thomas p. p. q. 23. art. 5, *qui diceret, merita esse causam prædestinationis ex parte actus prædestinantis*; *sed hoc sub quæstione versatur, utrum ex parte effectus Prædestinatio habeat aliquam causam: hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua*. De causa itaque morali et meritoria ex parte creaturæ intelligentis controversia hîc excitatur; de causa nempe quæ non virtute propria effectum edat, sed rationem tantum ac motivum præstet agenti libero, ut liberè aliquid operetur. Cum autem prædestinationem supra multipliciter distinxerimus (N. CXV.), hinc ad quæstionem propositam respondendum 1. Prædestinationis generalis, seu vocationis omnium hominum ad finem vitæ æternæ nullam dari ex parte hominum causam moralem et meritoriam, sed illam ex mera Dei bonitate pendere, nullo habito ad opera humana respectu. 2. Idem dicendum de Prædestinatione ad Gratiam et ad Fidem, qua nempe Deus decrevit suppeditare hominibus media verè ac relativè sufficientia ad vitæ æternæ finem consequendum: Hanc enim gratiam sive hæc media non nisi ex benignissima Dei miseratione absque respectu ullo ad humana opera prædestinata sive decreta fuisse fide Catholica tenendum est. Hæc autem prædestinatio ad Gratiam eadem est cum generali, qua Deus, cum omnes homi-

nes ad finem vitæ æternæ prædestinaverit, eos simul prædestinavit ad media, quibus finem hunc supernaturalem consequi possent; quæ media licet non omnibus æqualiter præbeantur, omnibus tamen verè ac relativè sufficientia exhibentur, ut si velint, pertingere ad salutem valeant, Alioquin contra plurimos staret reprobatio negativa, quod nullo modo posse concedi videtur. 3. Gratuita pariter agnoscenda est Prædestinatio *adæquate* sumpta, quæ nempe Gratiam simul et Gloriam complectitur, quæque *totalis* etiam et *completa* dicitur. Cum enim ita sumpta media respiciat simul et finem, non nisi gratuita omnino et ab humanis operibus independens haberi potest. In his itaque nulla viget inter Catholicos dissensio.

CXXI. Contra Catholicam doctrinam hanc, 1. errasse fertur Origenes, qui putaverit ante mundum hunc Animas fuisse conditas, ac pro bonis ac malis earum operibus ad corpora detrusas, quorum operum respectu prædestinentur aut reprobentur. 2. Errarunt Pelagiani, qui, interiorem gratiam rejicientes, prædestinationem ex prævisis bonis operibus naturæ viribus elicitis fieri affirmabant; aut si gratiam aliquam admisere, eam non jam necessariam, sed ad benè facilius agendum concesserunt, Julianus autem pelagianus ajebat gratiam dari, si non ob merita libero arbitrio acquisita, saltem propter meritum bonæ cujusdam voluntatis. 3. Semipelagiani volebant, prædestinationem ad gratiam primam fieri propter pium quemdam ac naturalem ad credendum affectum, seu ob quoddam fidei initium naturaliter conceptum, quod licet inter bona opera non recenserent, illo ta-

men tanquam motivo et causa Deum excitari ajebant, ut fidei gratiam conferret. Cum vero exemplo infantium premerentur, qui e vita vel cum baptismo, vel sine eo rapiebantur, ad merita confugiebant, quæ acquisivissent, si diutius illi vixissent. Modo hi errores breviter explodendi sunt.

CXXII. Et 1. quantum ad Origenem attinet, conficta animorum præexistentia, damnata est in Concilio Lateranensi V. ut error, qui creationi hominis adversatur Geneseos Capite I. relatæ: Sed neque ante hanc vitam quidquam homines egisse Sacræ Literæ affirmant, ut cum Apostolus Rom. IX. de Jacob et Esau ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori*. 2. Prædestinationem verò ad primam gratiam purè gratuitam esse, cui nulla ex parte prædestinati causa detur; præter perpetuam Ecclesiæ universæ traditionem; apertissime Scripturarum oracula confirmant. Ita Joannis C. XV. docebat Christus ipse: *Sine me nihil potestis facere*. Et ibid. C. VI. v. 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Ubi de fide ac de bonis operibus loquebatur. Apostolus quoque ad Rom. XI. habet: *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. Quod confirmat 2. Cor. 3. 5. inquiens: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Tandem apertè id docet ad Ephesios scribens C. 2. v. 8. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est: Non ex operibus, ut ne quis*

glorietur. Quæ per se clara sunt. Sed neque prævisa naturalis bona voluntas hujus prædestinationis ad Gratiam et fidem causa ulla esse potest; cum Deus ipse testetur Isaiæ C. LXV. v. 1. *Ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum*: Qui apud Apostolum Rom. X. 20. ait: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant*. Quod ostendit exemplum ipsius Pauli, qui a Deo vocatus est, non solum cum multis meritis malis, sed etiam cum a concipienda fide valde aversus erat. Hinc etiam elucet, nec ipsam prævisam non resistentiam gratiæ esse gratiæ causam: ut patet in Tyriis et Sidoniis, quorum prævisa conversio Matth. XI. v. 21. causa non fuit prædestinationis eorundem: ut etiam exemplo ostenditur Sauli qui vocatus est cum maximè resistebat. Quare de liberali et gratuita prædestinatione ad fidem non relinquitur ambigendi locus.

CXXIII. Sed hic quæstio valde implexa exoritur: Utrum prædestinationis peculiaris ad Gloriam aliqua assignari queat causa moralis et meritoria? Circa quam duplex in Scholis sententia viget. Alii, ut Thomistæ et Augustinenses, censent, Deum ob prævisum Adæ lapsum certum quendam hominum numerum gratuitò sine ullu intuitu ad merita etiam per gratiam parta ad æternam gloriam prædestinasse; iisque propterea media efficacia decrevisse, quibus certissimè benè operarentur, et in finali perseverantia decederent, cæteris in perditionis massa relictis, ac negativè saltem reprobatis. Augustinenses tamen pro statu naturæ innocentis agnoscunt gratiam non modo verè sufficientem, sed etiam libero voluntatis arbitrio per-

missam, quam vocant versatilem, ut ex prævisis eorum meritis Angeli Sancti fuerint prædestinati. Quare pro eo statu Molinæ Systema sequuntur. At pro naturæ lapsæ statu erga non prædestinatos gratias tantùm agnoscunt alii inefficaces, alii relativè non sufficientes. Thomistæ verò Gratiam physicè et per se efficacem in utroque statu defendunt; sed gratiam etiam verè sufficientem agnoscunt, quæ ad opus bonum veram ac relative conferat facultatem. Alii e contra, ut Congruistæ ac Molinistæ, arbitrantur, Deum etiam post prævisum originale peccatum voluisse pro misericordia sua, vera atque sincera voluntate sed antecedenti et conditionata, omnes homines salvos fieri, atque propterea gratuitò omnino gratiæ auxilia relativè sufficientia præparare omnibus et offerre, quibus si velint, ac benè utantur, ad æternam vitam pervenire valeant; ita ut quos Deus ab æterno prævidèrit gratiæ auxiliis rectè usuros ac in finali perseverantia decessuros elegerit ad Gloriam, ac prædestinaverit. In horum itaque sententia non prius ad Gloriam Deus quemquam prædestinat, quàm prævidèrit eum suæ gratiæ certò consensurum; sicut nec quemquam a Gloria excludit, quàm post prævisam illius in peccato finalem impœnitentiam. Quare juxta sententiam hanc, Prædestinatio ad Gloriam post merita consideratur non tantum *in ordine executionis*: omnes enim fatentur in executione, sive in actuali gloriæ collatione quæ in tempore fit, merita præcedere gloriæ debere; sed *in ordine* quoque *intentionis*, ut Deus gratiam prius decreverit, quàm ad gloriam prædestinaverit, idque ab æterno, id est,

non temporis , sed ordinis prioritate . Sunt qui in hoc systemate prædestinationem ad Gloriam ante prævisionem meritorum æquè defendunt; nam cum Deus per scientiam conditionatorum noverit, quid homo cum gratia facturus sit, perinde est, quod illi Deus decernat Gloriam prius quàm Gratiam, aut Gratiam prius quàm Gloriam. Harum priori sententiæ adhærent Suarez et Bellarminus, posteriori Lessius et alii plures. Alii cum Gregorio de Valentia censent hujus controversiæ nodum solvi, statuendo, prædestinationem tam ad Gratiam quàm ad Gloriam eodem rationis instanti fieri. Qui sanè non adverterunt, non hic agi de prioritate temporis, quæ in Dei decretis esse nequit; at vero de prioritate juxta nostrum concipiendi modum cum aliquo fundamento ex parte Dei: nam inter finem et media ordo aliquis agnoscendus est. Inquiritur ergo, An prævisio meritorum gratiæ causa sit, cur Deus ad Gloriam prædestinet, et ideo hæc prævisio, juxta nostrum concipiendi modum, antecedat decretum Gloriæ, an verò electorum prædestinatio causa sit, illis conferendi efficacia auxilia: Illa dicitur *post* hæc *ante* prævisa merita Prædestinatio. In eligenda tamen ex his quæ cuique libuerit sententia, cavendum est, ne quis ad Jansenii placita accedat, qui non tantùm Dei voluntatem salvandi omnes vult esse metaphoricam et signi, atque originali peccato præviam; sed vult præterea gratias, quæ ex ea voluntate profluunt, sufficientes non esse ad benè operandum, quibus opposita concupiscentia relativè superari non possit. Vult etiam peccatum originale etiam in renatis potiorem causam esse

qua Deus gratias deneget efficaciores; quod est contrarium Scripturarum Doctrinæ: Ac demum contendit, gratuitam hanc ad Gloriam prædestinationem ad fidei dogmata pertinere; quod nunquam sancitum est, neque sancietur.

CXXIV. Cum itaque controversia isthæc circa ordinem decretorum versetur, quem Deus ab æterno constituerit, nullumque adsit clarum et apertum Scripturarum testimonium, quo definiatur; hinc a dirimenda speculativa hac controversia Ecclesia abstinuit; ut proinde unicuique libitum sit ei adhærere sententiæ, quæ Scripturis Sanctis, rationi, et Patribus sibi magis videbitur consentanea. Thomistæ et Augustinenses cum priorem hypothesim in SS. Augustini et Thomæ scriptis introspicere crediderint, acriter illam propugnarunt. Posterior sententia nobis magis arridet, ut ea quæ literali et obvio Scripturarum sensui, et Patrum quoque scitis magis congruens, nec non ipsimet rationi valde probanda videatur. Revera hac rejecta sententia, nec sincera et propria Dei voluntas defendi posset salvandi omnes, (quam, ut vidimus N. XCVI. et seq. tantopere Divinæ scripturæ et Patres commendant), nec fatalistarum aliorumque incredulorum difficultatibus mentem turbantibus, nisi ægrè admodum, responderi; ut propterea nec Augustinus, nec Prosper, nec Thomas huic nostra sententiæ apertè refragentur, imo non raró eidem suffragium ferant. Prior itaque sententia illa rigori Divinæ justitiæ favere magis videtur: hæc nostra posterior divinæ Benignitati potius patrocinari. Prior in scholis facilius docetur, quám in publicis catechesibus adhibeatur: poste-

rior hæc expresso aut tacito omnium consensu probatur, et in Catechesibus aut supponitur aut declaratur. Prior speculativè magis sustinetur, quam practice suadeatur: posterior et practicè et speculativè tenetur. Prior in fatalismum proclivis est: altera ad recte agendum suadet, ac vehementer impellit. Demum cum Ecclesia et Patres omni tempore curaverint serpentibus se opponere hæresibus, et hac nostra sententia Jansenismus validius oppugnetur, hinc prudens quisque non fragilibus et obtusis armis, sed fortioribus et acutioribus hanc postremam gliscentem hæresim aggredietur. Quæ si ita sunt, ut facile ita esse ostendi posset, nemo non videat, huic posteriori nostræ sententiæ palmam esse donandam, potissimum cum Scripturæ ubique clament, Deum misericordia potius uti, quàm rigore justitiæ: ubi Deus dicitur *dives in misericordia*,, *qui neminem vult perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*: et alia sexcenta in Sacris Literis habeantur, ex quibus constat, quod omnes Deus indiscriminatim vocet, et ut veniant ad se adhortetur: omnibus salutem spondeat, ac media omnibus ad acquirendam beatitudinem polliceatur. Imo Deus omnes æternam salutem sperare jubet, atque *ut per bona opera certam suam electionem et vocationem faciant*, graviter monet ac mandat. In hac itaque generali vocatione ac prædestinatione Deus juxta Sacra Eloquia legem posuit omnibus ac singulis, ut qui in salutis via constitui vellent, Evangelii Fidem suscipere deberent ac baptizari: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Baptismo autem regeneratis aliam legem jussit, ut vitam conseque-

rentur æternam; nempe mandatis obtemperarent, atque in finali perseverantia decederent: *si vis ad vitam ingredi serva mandata*: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

CXXV. Sed nonnulla adnotanda sunt, quibus constet, efficacem prædestinationem ad Gloriam post prævisa gratiæ merita statuendam esse. Et 1. Matthæi XXV. dicitur Electis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum .. . esurivi enim et dedistis mihi manducare etc.* Quare hic in mente Dei paratum dicitur Regnum? Nempe propter prævisa misericordiæ opera; ut innuit particula causalis enim, ea ratione scilicet, qua ob mala opera dicitur supplicium paratum reprobis; quis enim dixerit ante prævisa peccata paratum a Deo supplicium? 2. Gloria Cælestis sæpe in Scripturis dicitur *merces*, *corona*, *præmium*; sed hæc merita supponunt propter quæ conferuntur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*: Apoc. 3: Victoria ergo prævisa thronum consequitur; idque non tantùm in ordine executionis, sed et intentionis: Non enim vult Deus thronum hunc gratis impertiri, sed propter victoriam. 3. Ad Romanos VIII. dicitur: *Quos præscivit, et praedestinavit conformas fieri imaginis filii sui*. Præscientia hîc prævia est. Nempe quos Deus beneficio suæ gratiæ præscivit conformes futuros imaginis filii sui, eos ad gloriam assumpsit. 4. Jacobi Epistola Cap. 2. habetur: *Elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*. En ordo electionis: primo fit prædestinatio ad fidem, *Deus elegit divites in fide*: deinde

constituuntur hæredes regni si perseveraverint in dilectione Dei. Eo enim ordine res a Deo constitutæ sunt, quo fiunt in tempore: sed hic merita præcedunt, postea corona donatur; ita ergo et ab æterno prævisa et decreta sunt. 5. S. Petrus 2. Ep. c. 1. habet: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*. Hic Apostolus quasi suspensam electionem nostram exhibet, ut ea quæ in antecedente et conditionata Dei voluntate salvandi contineatur; quæ licet absoluta ex parte Dei, conditionata nihilominus est ex parte nostri, quæ non nisi post prævisam adimpletam conditionem absoluta evadit. Eam conditionem innuit Apostolus Rom. VIII. inquiens: *Si filii et hæredes .... cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

CXXVI. Hæc et alia adeo clara et obvia sunt, ut SS. Patres hanc sententiam communi calculo docuerint, ut Ambrosius L. V. de Fide c. 6. habeat: *Non enim ante prædestinavit, quam præscivit; sed quorum merita præscivit, horum præmia prædestinavit*. Idem Hieronymus tradit Epist. CL. inquiens: *Non salvat irrationabiliter, et absque judicii veritate sed causis præcedentibus: quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt.... ex quo, ut ostenditur, non gentes elegit, sed hominum voluntates*. Idem habet in Isaiam c. 1. *Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna, vel præmium sit.* Hilarius etiam in Psal. 64 appositè id confirmat: *Non res indiscreti judicii est electio, sed ex meriti defectu facta discretio est*. Sed

ut Patres plurimos omittamus hoc ipsum docentes, ipsum S. Augustinum ab agnoscenda prædestinatione ad Gloriam post prævisa merita per gratiam acquisita non fuisse alienum plura suadent. Idque non tantùm quia cum prædestinatione frequenter præscientiam conjungit, imo et eam præscientiæ nomine non raró distinguit, (ita de Nat. et Gr. c. v. de Corrept. et Gr. c. IX. de Dono Persev. c. XIV. ubi C. XVII. ait: *Nam in sua quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, illud omnino, nec aliud quidquam est prædestinare*); sed etiam quia sæpe fatetur, Deum glor iam largiri propter præscientiam meritorum. Ita Sermone VII. de Verb. D. Deum ita loquentem inducit: *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se*. Et alibi (L. de Gr. et Lib. Arb. c. 6.) assentiri non renuit Pelagianis contendentibus prædestinationem ad Gloriam fieri ex meritis, dummodo mèrita illa acquiri per gratiam concedant, inquiens: *si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia*. Id ergo concedebat Augustinus, modo Pelagiani faterentur merita hæc non viribus naturæ, sed gratiæ divinæ viribus comparari, de quo tantùm cum ipsis erat concertatio. Imo hanc ipsam doctrinam declarat S. Doctor L. 1. ad Simpl. q. 2. N. 6. quam sibi a Deo fuisse revelatam affirmat Lib. de Dono Persev. c. 21. ubi prædestinationem ad Gratiam gratuitam quidem dicit, ad Gloriam vero ex meritis fieri significat, scribens: *Quia propositum Dei manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ*

jam eligat ad Regnum Cælorum ... Non tamen electio (ad Gloriam) *præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est: Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia* etc. Tantum verò abest, ut ab ea doctrina unquam recesserit, quin potius eam laudavit Libro de Dono Perseverantiæ, et in Retractationibus confirmavit: nec junior erat cum librum scripsit, sed Episcopus erat ac ætate maturus. Hinc non mirum quod idem doceant S. Prosper, et S. Fulgentius fideles Augustini discipuli. Hic ex. g. (L. 1. ad Monimum c. 24.) habet: *Deus ... prædestinavit ad Regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, et in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros*. Neque demum S. Thomas ab hac sententia abhorret; qui licet de prædestinatione totali et adæquatè sumpta pertractare soleat, tamen eam aliquando distinguit 1. P. q. 23. a. 5. in C. cum ait: *Effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter: Uno modo in particulari, et sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius ... sicut si dicamus, quod Deus præordinaverit se daturum alicui Gloriam ex meritis*. Nam S. Doctor ib. q. 19. a. 5. statuit, voluntatem Dei nullam habere caussm præter seipsam, ut sicut uno actu omnia in sua essentia intelligit, ita uno actu velit omnia in sua bonitate; nec intelligere causam sit ei causa intelligendi effectus, sed intelligat effectus in causa; atque ita velle finem non

sit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem: velle tamen, ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem „ *Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc: igitur voluntas Dei rationabilis est, non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed in quantum vult, unum esse propter aliud.* Itaque concludit q. 23. a. 5. in c. Quod *non est assignare aliquam causam ex parte actus volendi, sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud:* atque hinc velit Deus merita ordinari ad Gloriam; cui non repugnat S. Thomas.

CXXVII. Sed rationes plurimæ huic sententiæ suffragantur. Nam 1. Gloria cælestis (in Scripturis) præparata dicitur sub conditione præmii, coronæ, mercedis; At quod justitiæ titulo debetur, non potest destinari nisi æterno motivo justitiæ, quod in bonis futuris operibus fundatur. Talis est Gloria, ut Matthæi V. ait Christus: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* Et Apocalypsis Cap. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi Coronam vitae.* Quod enim his et aliis Locis, ut et Patrum sententiis opponunt adversæ opinionis patroni, hic agi de executione prædestinationis in tempore, non de prædestinatione æterna in mente Dei; contradictionem involveret. Nam omnia sunt a Deo constituta ut postea eveniunt: sed nunc ob merita gloriam confert; ergo et ab æterno merita ad Gloriam ordinavit. Alioquin voluisset Deus rem eandem et eodem instanti ex pura gratia et simul ex justitia, quod repugnat. Cum nequeat igitur aliud esse in Dei

intentione, aliud in executione, dicere oportet, Gloriam adultis ex meritis gratiæ Deum decrevisse impertiri. 2. Inutile imo contradictorium foret decretum Dei absolutum prædestinandi ad Gloriam, quæ non nisi per merita comparanda sit. 3. Deus ex Apostolo *vult omnes homines salvos fieri*; sed hæc voluntas cum absoluta voluntate salvandi aliquos dumtaxat ante meritorum prævisionem conciliari non posset. Nam posita generali illa voluntate discretio non fieret, nisi præviso bono vel malo gratiarum usu: aliàs qui prædestinati non essent, negativè saltem forent rejecti; quod cum sincera voluntate salvandi cohærere nequit: ac ita exclusis illa otiosa et sterilis Dei voluntas et gratiæ inutiles prorsus essent in ordine ad vitam æternam, quod sapienti Dei Providentiæ repugnat. 3. Juxta Concilium Trid. Sess. VI. Can. 20. *Evangelium non est nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum*. Sicut ergo promissio conditionata est, ita et Dei voluntas: Quomodo enim sub conditione promitteretur a Deo, quod absoluta voluntate facere decrevisset? Non ita Deum prædestinasse innuit Apostolus Rom. XI. 22. *Vide in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris*. 4. Dei intentio dandi Gloriam est determinata juxta merita singulorum; non ergo nisi ex meritis prævisis, quæ veluti mensura sint gradus Gloriæ tribuendæ. Ob has et alias rationes plures factum est, ut non pauci Theologi Lessius, Petavius, Frassen, Sangallus, Tournely, Boucatus, Collet, Ludovicus Bailly, Cardinalis Sfondratus, Gener, Bergier inter recentio-

res, et alii plures antiquitus, quorum catalogum recenset Sfondratus in Opere ,, Nodus Prædestinationis dissolutus (pag. 267.) huic sententiæ adhæserint; qui omnes rejecta absoluta ante prævisa merita prædestinatione ad Gloriam egregie hanc sententiam defenderint, cui accessit Sanctus ac doctissimus Præsul Franciscus Salesius in Tractatu *de Amore Dei*. Lib. 3. c. 5. nec non in sua Epistola ad Leonardum Lessium data, quæ extat apud Mayer Hist. de Auxiliis L. 2. c. 6.

CXXVIII. Sententiæ adversæ patroni non pauca opponunt; ut 1. Quod omne agens agat propter finem: Sed Gloria est finis prædestinationis, gratiæ et merita sunt media ad finem consequendum; prior est ergo electio ad Gloriam quam ad Gratiam. In quo argumento minor propositio labascit. Finis enim non gloria, sed justificatio nostra est per Christi merita, ut ait Apostolus ad Eph. 1. 4. *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. Gloria itaqne uti retributio potius consideranda est, quam uti finis quem Deus intenderit. Si enim Prædestinatio Angelorum non fuit ante prævisa merita, cur non ergo et hominum? Sed et infantium prædestinatio, cum non sit jure nativitatis, sed adoptionis; prius adoptio et meritorum Christi applicatio prævideri debuit, quam illorum ad gloriam prædestinatio: *Si filii, et hæredes:* ait Apostolus. Ita in adultis prius adoptio prædestinanda erat, quam hæreditas, ad Tit. c. 3. *Ut justificati gratia ipsius, haeredes si-*

mus secundum spem Vitae aeternae. Sed ajunt: Gratia finalis perseverantiæ quæ cum gloria conjuncta est, purè gratuita ab Augustino habetur; ergo etiam decretum gloriam conferendi. Respondemus: Ipsum etiam perseverantiæ donum juxta Augustinum ab homine justificato precibus acquiri posse, ait enim Epist. ad Paulin. *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest*.. Docet etiam, fidem mereri gratiam benè operandi: Meretur igitur etiam perseverandi gratiam: quæ etiamsi gratuita ponatur, prius semper fuerat decernenda quam gloria. Objiciunt quoque, Augustinum, prædestinationem adæquatè ac sub unico gratuito decreto comprehensam considerasse atque uti Ecclesiæ doctrinam tradidisse in Libris *De Praedestinatione Sanctorum* ac *De Dono Perseverantiae*. At negamus nos S. Doctorem iis in Libris de Prædestinatione ad Gloriam fuisse locutum. Controversia ipsi erat de prædestinatione ad Gratiam, ad Fidem et justificationem; et nomine *Sanctorum* non Beatos in cælo regnantes, at vero fideles et baptismo renatos cum Apostolo intelligit, ut ex toto contextu liquet. Alioquin longè a quæstione aberrasset, quod minime dicendum est. Addit ibidem S. Doctor easdem difficultàtes adversus prædestinationem atque adversus præscientiam creari posse; quod non sequeretur, si præscientia prædestinationem non anteverteret. Demum clamat ubique Augustinus, aut gratuitam prædestinationem esse agnoscendam; aut dicendum, humanis meritis gratiam dari; quod non sequeretur de prædestinatione ad Gloriam, quæ merces est et corona justitiæ. Re-

gerunt tamen: Non ne humanum genus per Adæ lapsum est massa damnata, ex qua Deus eligit quos ipsi placet? Minimè ergo a meritorum prævisione pendet electorum gloria. Sed hîc æquivoco abutuntur adversarii: Erat quidem massa perditionis humanum genus: sed non amplius modo est, postquam fuit a Christo redempta, et ad Regnum Cæleste revocata (N. XCVI.)

CXXIX. Nonnulli, ut huic nostræ sententiæ invidam creent, eam semipelagianismi accusare non verentur; cum tamen e diametro errori illi opponatur. Nam semipelagiani autumabant, fidei initium non gratuitum esse Dei donum, sed remunerationem esse naturalis bonæ hominum dispositionis (N. CXXI.) at nos fidem purum esse Dei donum, quod propriè nulla ratione mereri possimus, confitemur et demonstravimus (N. CXXII.) Cæterum inter Catholicos et hæreticos illos quæstio agitabatur de prædestinatione ad fidem; modo verò inter catholicos de prædestinatione ad Gloriam tantùm inquiritur; ut nulla similitudo inter nos et illos considerari possit. Quinimo consensum etiam ipsum ad gratiam a Deo accipere fatemur, qui liberè licet, suaviter tamen a divina Gratia impetratur; ut propterea meritò Gratiæ tribui debeat, sine qua non extitisset unquam. Sed quod plurimum causam nostram juvat; nullus est in Scripturis locus in quo de gratuita ad Gloriam prædestinatione sermo habeatur; quin ea ante meritorum præscientiam inaudita est apud veteres patres, qui uti præmium eam semper considerarunt prævisis meritis per gratiam acquisitis tributum; ex qua præ-

visione optimè intelligitur, cur Deus ab æterno a reprobis Electos discreverit, eosque ad Gloriam prædestinaverit. Ulterius hic ordo cum Ecclesiæ praxi et dogmatibus apprimè congruit, quæ in Canone Missæ Deum precatur, ut quemquam *ab aeterna damnatione eripiat, et in electorum suorum jubeat grege numerari*. Quæ precatio cum prædestinatione absoluta ad gloriam nullo pacto stare posset; sed præscientiam supponit meritorum et orationum Ecclesiæ. In hoc ordine prætereа potentia, benignitas; sapientia, et misericordia Dei æquè resplendent? Poterat mundum damnatum relinquere, ad salutem tamen revocare decrevit: potestas et spes data salutem per Christum acquirendi, pura gratia est. Infirmitatibus, quas homines per peccatum contraxere, vult Deus per gratias suas mederi. Nulla merita humana hîc locum habent. Æterna salus non opus justitiæ est, sed clementiæ et infinitæ misericordiæ. An ne prædestinationis absolutæ systema sublimius et augustius videri posset, aut Deo dignius et amabilius, quodque præ isto facilius ad virtutem ducat? His accedit, quod Patres semper curaverint, eas sequi probatas doctrinas, quæ suæ ætatis erroribus validius adversabantur. Nunc itaque prudentia postulat, ut fatalismum et Jansenismum oppugnaturi, hac nostra sententia utamur, quæ et probatissima est, et hos serpentes errores facilius, et vehementius confodit ac destruit. Hæc et alia tanti ponderis sunt, ut hanc sententiam communi suffragio tueri debeamus.

CXXX. Quæritur hic de Prædestinationis effectibus, deque illius proprietatibus. Et cum de effecti·

bus quæritur, Prædestinatio adæquata consideratur, cujus effectus a Deo sunt tanquam a causa efficiente, inter quos præcipuè recensentur effectus supernaturales, nempe *Vocatio*, *Justificatio*, *et Glorificatio*, ex quibus prædestinatio completa et adæquata exurgit; nam priores duo ad incompletam tantùm pertinent. Inter vero naturalia bona ea tantum ad prædestinationem pertinent, quæ ex speciali providentia et Dei amore ad vitam æternam ordinantur, qualia esse queunt docilitas, scientiæ studium, veritatis et probitatis amor, mors immatura, et alia hujusmodi; nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ait Apostolus. Etiam mala pœnæ, et ipsa peccati permissio non raro inter ejus effectus recensentur, non quidem per se, at vero per accidens, propter bona, quæ inde novit Deus eruere. *Audeo dicere*, ajebat Augustinus l. 14. de Civ. D. c. 13. *superbis esse utile cadere.... unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant*. Quantum ad Prædestinationis proprietates, tres laudantur præcipuæ, suntque illius certitudo apud Deum, concordia cum hominum libertate, ac definitus prædestinatorum numerus: quarum primam rejiciebant Semipelagiani: Calvinistæ ex adverso volunt, etiam unumquemque fidelem de sua prædestinatione certum esse debere: Errabant primi, ut ex iis constat, quæ de scientia Dei dicta sunt (N. LXXXVI.) et ex quo Prædestinatio non modo a Scientia sed et ab immutabili Dei voluntate pendeat (N. XC,) Itaque ajebat Christus Jo. X. 28: *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: Et ego vitam aeternam de eis, et*

non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea etc. Futile erat igitur quod afferebant de Moyse, qui Exodi XXXII. Deum rogabat: *Dele me de libro vitae quem scripsisti*: aut illud Psalmi LXVIII. *Deleantur de libro viventium*. Non enim postulabat Moyses deleri de prædestinatorum numero, at verò de numero viventium; ut dicebat *Numeri XI. Obsecro ut interficias me*. Psalmista autem impiorum tantùm punitionem prænuntiat, nisi resipiscant. Cæterum *Liber vitae* vox est metaphorica, eaque triplici sensu accipitur 1. pro numero viventium in terris, ut loco adducto. 2. Pro numero justificatorum, ut Psalmista loquebatur. 3. Pro numero prædestinatorum ad Gloriam, ut Apocalypsis Cap. III. *Qui vicerit, non delebo eum de Libro vitae*... Ita secundo sensu, nempe de prædestinatione ad Gratiam, orat Ecclesia, *ut omnium fidelium nomina beatae Prædestinationis liber adscripta retineat*: orat enim ut justi perseverent usque in finem; quo sensu dictum est Apocalypsis III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Demum cum ajebat Apostolus: *Optabam ego anathema esse a Christo*; non postulabat ullo modo a Christo sejungi; at suam deplorabat pertinaciam aliquando in judaismo, qua longè a Christo recedebat.

CXXXI. Hinc elucet, quam malè Calvinistæ Scripturas interpretentur: Neminem enim de sua prædestinatione certum esse posse sine speciali revelatione, Sacræ Literæ sæpius affirmant. Id Apostolus frequenter docet, ut 1. Cor. c. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Et

ib. c. X. Qui se *existimat stare, videat, ne cadat*. Et Philipp. c. 2. fideles hortatur: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*. Quare Tridentini Patres jure definiunt Sess. VI. Can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit*. Habent tamen Calvinistæ quod reponant, ut illud Christi Domini Marci XI. 21. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis*. Ut ergo quisquis certus est se orare, ita et salutem impetraturum. Qui advertere debuerant, non sufficere, quod orare certi simus, nisi noscamus etiam, nos orare sicut oportet. At Apostolus docet Rom. VIII. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Sed ajunt, quod Apostolus ibidem habet: *Spiritus Sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Verum sciant, quod id testatur quidem, sub certa conditione tamen, *si nempe compatimur, ut et conglorificemur*. Imo nec quisquam scire potest, quo spiritu in hac vita patiatur. Id etiam quod habet Joannes 1. Ep. v. Hæc *scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam*: Intelligit, fideles vitam habere æternam non jam in re, sed in spe; quot enim non sunt, qui a caritate deficiunt? Quod etiam ait Apostolus: *Reposita est mihi Corona justitiae*: Aut cum dicit: *Certus sum... quia nulla creatura nos separabit a caritate Christi*; vel ex revelatione id affirmare potuit, vel ex morali certitudine, vel etiam ex magna fiducia, ut *το certus sum*, idem significet, quod *confido*, sic ut indicat græcum

verbum πεπεισμαι. At ex quo respectu nostri communiter incerta sit ac suspensa prædestinatio; certa utique et firma est in Deo, cui certus est etiam ac determinatus numerus prædestinatorum, cum *eorum nomina scripta sint in Cœlis*, ut Christus Dominus testatur apud Lucam Cap. X.

CXXXII. Superest ut aliquid de tertia ejus proprietate dicatur, Prædestinationem scilicet nullam homini imponere necessitatem, sed cum illius libertate stare et conciliari tum Scripturas tum consensum omnium semper statuisse. Sunt enim hæc duo ex fide catholica certa et inconcussa; Deus enim ut Ecclesiastici Cap. XV. habetur: *reliquit hominem in manu consilii sui: adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te ec.* Revera frequentes habentur in Sacris Literis ad homines adhortationes et comminationes, laudes et reprehensiones, consilia et leges, præcepta et prohibitiones, præmia ac pœnæ; quæ non nisi agentibus liberis a sapiente ac justo Legislatore dari possunt. Hinc Patres constanter docuerunt, nullam, ut a Dei præscientia, ita nec a prædestinatione hominum voluntati necessitatem inferri; quod etiam consensus communis semper ratum habuit. Unde Concilium Tridentinum Sess. VI. Can. 3: *si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, ... nec posse dissentire si velit, anathema sit.* Sed non diffitendum, Theologos rationem conciliandæ libertatis cum prædestinatione operosè inquisivisse. Qui ex prævisis gratiæ meritis eam fieri existimant, rem facilius ex-

plicant. Tunc enim necessitas tantùm hypothetica sequeretur, ut ex præscientia; non antecedens et absoluta. Opponunt tamen: Prædestinatio media includit efficacia, quibus voluntas non potest non consentire; aliàs non haberent infallibilem cum effectu connexionem. Voluntas ergo necessariò gratiæ assentitur. Nam si pro libito ei assentiri posset; consensu suo gratiam redderet efficacem, quod absurdum videtur: Aut igitur gratiæ efficacia perit, aut perit libertas voluntatis. Verum qui hæc objiciunt, nostra ignoratione de incomprehensibili hac Dei proprietate abutuntur. Reponunt tamen Thomistæ: Voluntatem non posse quidem gratiæ resistere in actu secundo: at in actu primo posse. Gratia efficax in actu primo est ipsamet gratiæ virtus, cui voluntas juxta catholicam doctrinam potest dissentire, si velit: in actu secundo, est ipsa actio voluntatis gratiæ consentientis: nam fieri nequit, ut necessitate hypothetica voluntas non agat, quamdiù agit. Habet ergo gratia essentialem cum effectu connexionem; quia licet voluntas *in sensu diviso actionis* dissentire possit, quia potentiam retinet ad dissensum: non tamen in *sensu composito* resistere potest gratiæ efficaci, cum nequeat simul consensum cum dissensu conjungere. Nos autem dicimus, Gratiam neque in actu primo, neque in secundo essentialem habere cum effectu connexionem ante prævisum futurum voluntatis consensum. Nec tamen damus, gratiam efficacem reddi per consensum voluntatis: eo quod opus bonum causæ nobiliori ac digniori, ut profecto gratia est, tribui debet, cujus præviam motionem voluntas prona sequitur; non

quidem Gratiam determinans, ut quidam invidiosè obloquuntur, sed ejus determinationi potius obsequens, ut suo loco clarius patebit. Nec propterea suspecta hæc doctrina est habenda, quod libertatem facilè cum gratiæ operatione conciliet: quam concordiam Apostolus et Patres mysterium habeant nostræ rationi impervium. Nam unde noverunt, qui ista opponunt, operationem Gratiæ cum libertate statui ab Apostolo humanæ menti imperviam? Refert quidem ad Providentiæ Dei arcana vocationem gentilium et Judæorum rejectionem: aut etiam quorundam hominum peculiari auxilio prædestinationem ad Gratiam præ aliis hominibus aut nationibus, et etiam electionem nonnullorum ad gratias singulares et ad Ecclesiæ munera; at nullibi, quod videtur, de modo loquitur, quo Divina Gratia cum libertate hominis cooperetur. Metaphysicas hujusmodi controversias, curiosas potius quam utiles, Prophetæ et Apostoli non attingebant, contenti ea docere, quæ populos in Fide et in regulis morum erudirent; quod et Patres facere satagebant. Qui si non omnes non eodem modo locuti videntur, in his subtilibus et abstrusis disputationibus nimium urgendi non sunt; præsertim in rebus quæ ad Fidei doctrinam non pertinent. Sed jam vidimus, Patres omnes huic nostræ Sententiæ favere potius, quam adversari.

CAPUT XIX.

DE VOLUNTATE DEI ERGA REPROBORUM SALUTEM.

CXXXIII. Cum de voluntate Dei vera ac sincera erga salutem omnium ageremus (N. XCVI.), jam vidimus quot miris modis ac singularibus beneficiis a maximo reprobationis infortunio curet homines avocare, et, quantum leges ipsius Sapientiæ, misericordiæ et justitiæ sinunt, retrahere atque impedire. Licet enim præviderit Deus, propria culpa reprobos in æternum interitum ruituros, non destitit tamen media apta omnibus præparare atque exhibere, quo extremum illud malum effugerent, ita ut verum sit, voluisse Deum seriò et ex animo, ut etiam reprobi salvarentur. In eo itaque Prædestinatio a reprobatione propriè differt, quod illa supponat intentionem Gloriæ meritis successuræ: hæc autem non jam supponat intentionem pœnæ successuræ demeritis; quin potius intentionem Gloriæ supponat ex qua providet Deus reprobo media sufficientia ad vitandam pœnam; ut etiam erga reprobos sit sufficienter benevolus, et sit absque omni injuria, si eis efficaciora non confert auxilia, ut advertit Gener, T. 2. p. 331. Sed ut plurimum reprobatio a Theologis cum Magistro Sententiarum definiri solet: *Præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem*. Hîc malitiæ præscientia antecedit pœnæ præparationem. Nomen verò habemus in Scripturis expressum, ut cum Apostolus ait: *Ne forte cum aliis prædica-*

verim, ipse reprobus efficiar. Reprobatio itaque rejectionem alicujus significat: reprobi autem variis nominibus in Scripturis designantur, qui vocari solent, *despecti, maledicti, vasa iræ, filii perditionis etc.* Hinc de existentia reprobationis circa nonnullos, *qui*, ut ait S. Judas, *præscripti sunt in hoc judicium*, dubitare non licet. Ratio patet, quia dari debet in Deo præscientia malitiæ nonnullorum non finiendæ, ac pœnæ nunquam terminandæ. Ajebant nonnulli: si hæc reprobatio daretur, necessariò reprobus damnationem incurreret: Deinde causa reprobationis refunderetur in Deum, contra id, quod scriptum est Osee C. XIII. *Perditio tua Israel tantummodo in me auxilium tuum*. At neutrum in nostra sententia sequitur: juxta quam non nisi post prævisionem peccati sive originalis, sive actualis aut utriusque a Gloria nemo rejicitur. Quod igitur reprobus salvari nequeat non ex absoluta oritur necessitate, sed ex necessitate hypothetica et consequente liberam ipsius ad malum et perseverantem voluntatem. Itaque reprobationis causa tunc refunderetur aliquo modo in Deum, si, ut nonnulli docent, ea penderet ab una Dei voluntate independenter a prævisione cujuscumque peccati, a qua dura et aspera opinione longè alieni sumus: Quare propriè loquendo, non Deus, quod absit, sed homo sibi malum damnationis consciscit, quam non incurrit, nisi mediis abutendo, quæ ut infortunium hoc præcaveret, Deus illi exhibuerat. Quod si Deus animas creat, quas prænovit in damnationem sua culpa incursuras, non tamen id voluit unquam. Præscien-

tia et voluntas non sunt formaliter idem; cujus intentio est, ut omnes salventur: Hinc dicitur Sap. I: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum .... impii autem manibus et verbis accersierunt illam*.

CXXXIV. Ut autem locutiones Theologorum intelligantur, reprobationis divisiones dandæ sunt: I. Vel *totalis* et *adæquata* consideratur, quæ nempe effectus omnes complectitur: Vel *inadæquata* et *partialis*, sive quo ad aliquem dumtaxat effectum. Rursus dividitur reprobatio, ut alia sit ab omni gratia tam efficaci, quam sufficiente: Vel ab aliqua gratia dumtaxat, nempe uberiori et efficaci. Præterea alia dicitur *negativa*, alia *positiva*. Prior in mente nonnullorum est exclusio a gloria, sive per actum fiat positivum, sive non: reprobatio positiva est destinatio sive inflictio pœnæ propter peccata in quibus reprobus usque ad finem vitæ perseverat. Juxta alios, *negativa* est Dei voluntas permittendi ut aliqui sua culpa a fine deficiant: *positiva* est ordinatio culpæ ad pœnam æternam. Qui pugnant pro gratuita prædestinatione ad Gloriam ante prævisionem meritorum, ii negativam a Gloria reprobationem admittere tenentur; sive illa simplex negatio et actus suspensio, sive actus sit positivus. At cum ea actus suspensio Deo convenire nequeat; hinc coguntur illam uti positivam agnoscere. Verum sive ea reprobatio sit pura negatio, sive actus positivus, eadem semper dura et acerba incommoda explicandi reprobationem sequuntur. Nos cum admiserimus, prædestinationem ad Gloriam fieri post prævisa gratiæ merita, nullam a-

gnoscimus negativam reprobationem sive exclusionem a vita æterna, nisi post prævisionem demeritorum, sive peccati actualis, vel saltem originalis, nisi fuerit per baptismum remissum.

CXXXV. Quærendum est igitur, An ex parte hominis sit quædam ratio et causa, quæ Deum moveat ad eum a Gloria excludendum; àn verò sit ab uno Dei beneplacito, qui prædestinando aliquos, alios reprobet omnes. De reprobatione autem agitur absolutè spectata, non comparatè, unius scilicet præ alio. Circa quod sciendum est, sæculo V. extitisse quosdam *prædestinatianos* appellatos, quorum auctor Lucidus fertur: et Sæculo IX. Goteschalcum: XVI. autem Hus, Calvinum, Bezam aliosque eo nomine distinctos, quod circa prædestinationem erravêrint. Distinguebantur verò in *antelapsarios* et in *postlapsarios*. Priores cum Calvino putant, Deum etiam ante hominis lapsum et ante quodcumque prævisum peccatum aliquos ad interitum destinasse; quæ opinio cum multis aspera et dura meritò visa fuerit, posuerunt, id post prævisum lapsum primi hominis fuisse a Deo decretum, qui propterea postlapsarii dicti sunt; cui opinioni Calvinus ipse postea adhæsit, statuitque his miseris auxilia denegari quibus salvi esse queant, imo et in peccata quo damnentur impelli: Hæc est Calvinistarum horrenda blasphemia quam confixit Concilium Tridentinum Sess. VI. Can. XVII. Postlapsariis ferme consensit Jansenius, qui statuit, peccatum originale etiam per baptisma remissum causam esse saltem radicalem damnationis æternæ reproborum, tenetque ob illam culpam Deum no-

luisse reprobos quamvis baptizatos a perditionis massa liberare. Itaque prædestinatiani has tuentur blasphemias. 1. Quod Deus ab æterno nullo ad opera hominum respectu quosdam ad vitam prædestinasse, alios ad mortem. 2. Quod Christus non pro omnibus mortuus sit, sed pro solis prædestinatis ad vitam. 3. Quod Gratia divina ita moveat liberum arbitrium, ut illud extinguat.

CXXXVI. Sed inter Scholasticas sententias hæ recensentur. 1. Eorum, qui docent, nonnullos Deum a Gloria negativè, imo et positivè exclusisse tanquam a beneficio indebito, idque sola sua voluntate ante prævisum quodcumque peccatum etiam originale; non tamen pœnis addixisse nisi propter eorundem peccata. Hæc opinio dura licet, a Calvinismo ob hanc posteriorem clausulam longè recedit. Id sentit Estius cum Thomistis nonnullis. 2. Est illorum, qui causam reprobationis esse statuunt peccatum saltem originale, quod, licet in aliquibus remissum, est causa tamen remota, cur Deus a gratia uberiori, et a gloria ipsa exclusos voluerit. Hi sunt Augustinenses. 3. Alii existimant cum Suaresio, et Bellarminio, Deum ante prævisa demerita nullum positivè exclusisse a Gloria, exclusisse tamen negativè; quod consequitur ex prædestinatione ante prævisa merita, quam tuentur: Semel ac enim quis prædestinatus non est, jam censetur exclusus. 4. Censent alii, nullam dari negativam reprobationem adultorum fidelium propter solum originale peccatum, ac nisi propter prævisa eorum actualia peccata neminem a Gloria excludi: Quæ sententia necessariò connexa est cum prædestinatione

post prævisa merita gratiæ, et cui cum communi Theologorum sententia adhæremus; et cum quibus asserimus, Neminem Deum ab omni penitus auxilio gratiæ in hac vita excludere, sed omnibus paratam offerre vel conferre: quod a vera Dei voluntate salvandi omnes sua sponte fluit. Otiosa certe non est, nec sterilis, at verò activa hæc Dei voluntas; unde S. Thomas in 1. Sent. Dist. 46. q. 1. a. 1. ait: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia, quam gratuita.*

CXXXVII. Sed præterea tenendum est, causam reprobationis ab uberiori et efficaci gratia in baptizatis adultis non esse originale peccatum, at verò præcedens aliquod actuale. Non enim peccatum perfectè dimissum causa esse posset, qua Deus moveretur ad uberiorem gratiam denegandam; docente Apostolo Rom. VIII. quod *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*: Et Tridentinum habet Sess. VI. Cap. XI. *Deus sui gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Augustinus etiam habet de Nat. et Gr. c. 26: *Deus non deserit, nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur*. Et de Pecc. mer. c. 17. *Qua gratia ut homines non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo*. Concilium autem non de sola gratia sanctificante loquitur, sed de actuali gratia, qua mandata Dei observentur. Ajunt adversarii, efficacem gratiam nemini deberi, alias gratia non esset; poterit ergo denegari dimisso etiam originali peccato. Reponimus tamen, uberiorem gratiam aut efficacem nemini deberi titulo justitiæ

at vero titulo deberi fidelitatis Dei, qui spopondit futurum „ ut non deserat justum , priusquam deseratur ab ipso. Communis enim et ordinaria divinæ Providentiæ lex videtur esse, ut efficacem gratiam non conferat, nisi pro bono gratiæ sufficientis usu ; licet pro suâ pietate aliquando etiam indignis conferat uberiorem .

CXXXVIII. Impium autem et prorsus blasphemum est, affirmare cum Calvino, Deum solo suo beneplacito ac sine ullo prævio peccato præviso homines non paucos positivè reprobasse, ac pœnis æternis addixisse. Nam præterquamquod divinæ id sapientiæ ac bonitati repugnat (sup. N. LXVII. Cl.), ut ipsimet naturali rationi absonum sit; Sacris etiam Literis e diametro adversatur : ut Ezechielis XVIII. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat ?* Et Sapientiæ Cap. XI. *Diligis omnia quæ sunt , et nihil odisti eorum quæ fecisti*. Præterea Matthæi Cap. XXV. habetur, reprobos in ignem mitti æternum propter peccata, ut nonnisi ob mala opera prævisa sint ab æterno damnati. Denique omnia hîc argumenta recurrunt, quibus ostensum est (N. xcvi) Deum quantum est ex se verè ac sincerè velle omnes homines salvos fieri . Quare S. Augustinus l. 3. Cont. Julian. c. 18. ajebat : *Bonus est Deus, Justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare quia bonus est ; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Idem clamant cæteri Patres : Quare Concilium Arausicanum Can. XXV. eos qui tantam blasphemiam dicerent omni detestatione

damnat et execratur. Malè igitur Calvinus se Augustini clypeo tegere jactat. Qui dum opponit, Deum esse absolutum creaturarum dominum, ut pro lubito possit eas damnare, dicente Apostolo Rom. VIII. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat:* Et iterum: *Non potest figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Hæc eo sensu, quo vult, sunt horribilia. Nam licet sit Deus omnium dominus; non est tamen tyrannus dominus et crudelis, sed justus Pater et misericors, qui absoluta potentia id quidem facere posset, de potentia tamen morali et ordinata non faciet unquam, nec facturus est; cum suis non possit adversari attributis, justitiæ, sapientiæ, bonitati: *Deus seipsum negare non potest:* ajebat Apostolus. Quod ergo dicit, *Deum quosdam indurare:* non jam intelligitur infundendo malitiam, quod absit: sed ob impœnitens cor, subtrahendo, aut non conferendo validiora auxilia, quæ dare nullo jure tenetur. Cum demum comparat Deum figulo, de donis loquitur peculiaribus, et gratis datis: de vocatione gentium, de promissionibus patriarchis factis; quæ omnia non tollunt veram Dei voluntatem, qua omnibus media ad salutem necessaria præparavit et exhibet.

CXXXIX. Nonne saltem admitti posset reprobatio negativa a Gloria tanquam a beneficio indebito, idque ex Dei beneplacito ante peccatum quodcumque prævisum? Eam, ut dictum est, non pauci admisere; qui etsi ante prævisa demerita a Gloria excludant, non tamen quemquam pœnis addicunt nisi post demerita prævisa; ut propterea a Calvini

hæresi longè recedant, et ob id ab Ecclesia tolerentur. Militant verò adversus opinionem hanc aliquo modo Scripturarum Patrumque testimonia quæ contra Calvinum afferri solent; cum ea pro reprobatione supponant semper peccatum aliquod, et resistentiam gratiæ divinæ. Et quidem si Dei clementiam consulamus, quantum a Deo aliena, non videtur dura hæc, rigida, et immisericos opinio! Quàm parum consona cum sincera Dei voluntate erga omnium salutem! Quàm paci animarum ac tranquillitati contraria! Quam divinæ justitiæ repugnans, quæ nisi ob demerita neminem damnat! *Non enim*, ut Tobias Deum alloquebatur Cap. 3, *delectaris in perditionibus nostris*. Et Sap. I. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum*. Statuendum est igitur, nullam a Deo reprobationem fieri, nisi post prævisum peccatum et finalem impœnitentiam; ut enim clamant Scripturæ, Patres, totumque universum, Deus nonnisi invitus punit. Quare Chrysostomus Hom. 67. in Is. habet. *Deus non modo nos non derelinquere vult, sed quoties punit, invitus punit*. Atque hinc facilius concipitur et erga hominum salutem Dei voluntas, et reprobi in sua reprobatione libertas. Nam Deum decernere damnationem ex prævisione demeritorum nihil est aliud, quàm velle pœnam, quia culpam videt; non autem videre culpam, quia pœnam velit; cum hic posterior modus sit sævus et immitis, qui Deum propterea afficere nequit. Nec quidquam momenti habet, quod ajunt: Gloriam esse homini indebitam potissimum post origiuale peccatum, aut

actuale : Nam licet Gloria sit homini indebita absolutè loquendo, quia poterat Deus ad Gloriam hominem non ordinare, aut etiam lapsum non redimere; non est tamen indebita in hypothesi quod hominem Deus redemerit, et ad vitam æternam ordinaverit. Debita est itaque modo Gloria homini, 1. ex gratuita ordinatione Dei, qui homines ad æternam Gloriam direxit. 2. titulo redemptionis; cum Christus pro omnibus mori voluerit. 3. titulo fidelitatis, qui ut habet Apostolus, *non patitur nos tentari supra id, quod possumus*. 4. tandem titulo justitiæ, *si tamen compatimur, ut et conglorificemur;* ut idem affirmat. Quare in Psalmis dicitur: *Justum adjutorium meum a Domino*.

CXL. Sed audiendum est achilleum adversariorum argumentum: ajunt enim: Juxta Apostolum ad Rom. IX. sicut Jacob sola Dei voluntate prædestinatus est antequam quidquam boni egisset, ita reprobatus est Esau antequam quidquam egisset mali: nam dicitur: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui:* Quod est exemplar omnis prædestinationis et reprobationis; ut utraque gratuita habenda sit. Sed hoc ad rem non facit. Concedimus enim Esau electum non fuisse ad particularia dona et etiam ad gratiam uberiorem, quæ nullo titulo cuiquam debentur; at inficiamur fuisse a Gloria exclusum et a communibus gratiæ auxiliis, quibus si benè Esau usus sit, gloriam erit consecutus. Revera non hic agitur de prædestinatione ad Gloriam, vel de exclusione ab ea ante prævisa merita vel demerita; alioquin reprobatio ad mortem esset ante prævisa demerita, quod

catholicus nullus dixerit: sed agitur de inæquali distributione donorum in hac vita. Laudata itaque Apostoli verba vel literali sensu accipi queunt, vel mysticè. Priori modo accepta non respiciunt peculiares personas Jacob et Esau, sed duos populos Israeliticum et Idumæum, ac terrenas promissiones eis factas, quæ post longum tempus impletæ sunt. Illud autem *Esau odio habui;* nihil aliud significat quam, *minus dilexi*: cum de Deo dictum sit: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*. Intellecta vero altero sensu non agunt ea verba de singularum personarum electione, at verò de vocatione gentium, et de rejectione Judæorum, qui scopus est totius Epistolæ ad Romanos. Illa tamen rejectio facta dicitur ibidem ob Judæorum incredulitatem, *quia*, ut inquit *offenderunt in lapidem offensionis*. Quod si quis obstinatè vellet, agere Apostolum de singulorum electione, loquitur certè de vocatione ad Gratiam, quæ pro singulis omninò gratuita est, non autem de prædestinatione ad Gloriam alioquin omnes ad quos scribit, ad gloriam fuissent prædestinati; quod nemo dixerit. Ex illo igitur Apostoli testimonio nullatenus reprobatio negativa descendit. Imo Augustinus ajebat L. I. ad Simpl. q. 2. *si nullo merito reprobatus est Esau.... quomodo ejus reprobatio justa dici potest?* Quod verò legitur Proverb. XVI. *Universa propter semetipsum operatus est Deus, impium quoque in diem malum*. Non est perversè intelligendum, quasi sine ulla culpa ad interitum destinet; at significat, ipsam reprobationem in Divinæ justitiæ commendationem converti: quia Deus novit

etiam de malis bona facere; quàm mala nulla esse permittere.

CXLI. Itaque statuendum est, ob originale peccatum non negativè reprobari quotquot baptizati sunt, sed unicam reprobationis illorum causam in actualia peccata et in finalem impœnitentiam refundendam esse. Id enim liquet ex Apostolo Rom. VIII. cum ait: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu qui non secundum carnem ambulant*. Quare Tridentinum Sess. V. Cap. V. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis* etc. Qui ergo ajunt, originalem noxam causam esse posse remotam negativæ reprobationis, et radicalem, quatenus in renatis etiam quædam superest indignitas, ut supersunt ignorantia et concupiscentia, ob quam gratia uberior denegari potest; hæc, inquam, gratis omninò et periculosè sibi confingunt. Nam in renatis tunc aliquid superesset, quod Deo esset odii objectum, quod est contra Ecclesiæ fidem. Pœnæ autem recensitæ ad virtutis exercitium relictæ sunt, nullamque mali moralis rationem involvunt, ut declaravit Ecclesia. Illa ergo indignitas prorsus conficta est; quæ si adesset, causa esset positiva reprobationis et non tantùm negativa in adultis, quibus peccatum originale gratis remissum est; quod dicere vetitum, cum potius hi filii Dei facti sint, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur*: ut habet Apostolus. Sed quod est hic seriò notandum, Moshemius Lutheranus auctor scribit, etiamsi per summam calumniam, Opiniones Lutheranorum, Bajanistarum, Jansenistarum, Augustinensium, ac Thomistarum

in idem recidere omnes, et esse easdem omninò, earumdemque discrimen neminem hucusque ostendisse. Quamquam verò id falsò affirmet, hæ tamen accusationes cautos facere catholicos debent, ne temerè et absque necessitate ulla opiniones, quas impugnamus, facilè et inconsultò adoptentur. Revera renatorum reprobationem a prævisa impœnitentia finali oriri, sæpius Scripturæ testantur; quinimo *Sapientiæ Cap. V.* inducuntur damnati hoc ipsum affirmantes: *Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: Nos insensati ... lassati sumus in via iniquitatis et perditionis ... in malignitate autem nostra consumpti sumus ... talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*. Cum ergo hi miseri non in negativam reprobationem, sed in suas culpas et in suam finalem impœnitentiam totam causam propriæ damnationis refundant; qua ratione aliam nos suspicabimur, quæ neque sit Deo digna, neque in Sacris Literis significata? Hinc Patres sæpe id ipsum clamant: Ita Chrysostomus de Provid. ad Stagirium l. 1. c. vi. *Quomodo ergo, inquies, multi corruerunt? Seipsos illi Deo privaverunt, non autem a Deo derelicti sunt.* Augustinus vero l. 1. ad Simpl. q. 2. de ipsomet Esau inquit: *Noluit ergo Esau, et non cucurrit: sed si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset*. Non ergo in peccatum originale, et in massam damnatam, sed a Christo redemptam, causam reprobationis rejiciebat, qui alibi ut vidimus, ajebat: *Deus non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Ut concludendum sit cum Concilio Valentino III. c. 3. *In damnatione perditorum me-*

ritum malum præcedere Dei justum judicium. Hinc duo sequuntur 1. Nullum certum reprobationis signum statui posse: nemo enim de æterna salute desperare debet: nec ullius est a nobis desperanda salus quoadusque vixerit. 2. Nullum dari ex parte Dei proprium reprobationis effectum; repugnat enim Deo affectus, voluntas, aut intentio reprobandi ante prævisum finale peccatum. Quare inter hos effectus recenseri nequit malum culpæ a Deo ordinatum, ut blasphemabat Calvinus; ut enim Ecclesiastici C. XV. 21. habetur: *Deus nemini mandavit impiè agere*. Subtractio gratiæ uberioris potest aliquo modo effectus dici reprobationis; sed hæc ab homine est non a Deo; nam homo uberiorem gratiam propter abusum præcedentium auxiliorum sibi demeruit. Ita nec obduratio in peccato ullo modo est a Deo; homines enim, ut Pharao, cor suum obdurant; quam pervicaciam validioribus auxiliis vincere non semper decet Dei justitiam atque sapientiam.

CAPUT XX.

DE NUMERO PRÆDESTINATORUM.

CXLII. Hunc titulum hic subjicere visum est contra Petri Baylii blasphemias circa electos et reprobos, qui irrisoriè et impiè jactat, in extremo judicio diabolum fore triumphum contra Christum ducturum ob majorem reproborum numerum: vult præterea eundem diabolum majori pollere arte ac vi, ut homines in damnationem impellat, quàm potiatur Christus,

ut eos ad salutem ducat: Qui propterea, cum ex adverso pugnent, Christus victus et inferior factus graviter doleat, quod suæ gloriæ et felicitatis detrimentum passus sit: Verum stultè sibi Baylius fingit 1. posse diabolum aliquid præter id quod ipsi Deus permiserit: 2, damnatos, quos Deus nunquam passus est tentari supra id quod ferre potuerint, diaboli vi, non suapte malitia periisse: Revera damnati in inferno *Sap. V*., ut vidimus, non diabolum de suo interitu, sed propriam stultitiam et malignitatem accusant. 3. impiè affirmat, Christi gloriam ex damnatione quorundam imminutam esse; nam ab æterno Deus omnia novit et sapientissimè ac justè disposuit, qui cum voluerit æternam Gloriam præmium esse virtutis, eum dedecet, nolentem quemquam ac reluctantem salvare. Christi autem victoria non in numero salvatorum consideranda est, sed in mediis gratiæ, quæ promeruit hominibus ut a peccatis emundarentur et vitam consequi æternam possent. Quare etiamsi totum genus humanum propria culpa periisset, non propterea Christus quidquam de sua gloria et felicitate amisisset. Quod si nonnulli Patres et scriptores ascetici eodem modo fermè loqui videntur; alia est horum mens, alius animus a mente Baylii; qui irrisoriè et ut Christo Domino injuriam inferat, illa obloquitur; Verum Scriptores Sacri non ad literam sunt accipiendi, sed in sensu improprio ac tropologico interpretandi sunt; nempe censendi sunt ea dixisse motivo sollicitudinis ad meliorem frugem peccatores revocandi, ac ut suæ turpidinis et ingrati animi eos pudeat, dum instigationibus diaboli adæ-

rent, posthabitis tot tantisque salutis mediis a Redemptore nobis acquisitis atque oblatis. In his ergo comparationibus urgendi nimium non sunt: Oratores tamen sacri cavere debent et ipsi, ne nimium his abutantur comparationibus, ne scilicet falsis notionibus auditorum rudium mentes imbuant.

CXLIII. Licet autem *soli Deo cognitus sit numerus electorum in superna felicitate locandus*; diversi tamen de eo numero in genere diversa sensere. Si de Angelis sermo sit, plures censentur prædestinati; cum tertia tantùm pars corruerit, ut ex Apocalypsi erui videtur. At si de hominibus loquamur, alii putant, tot esse homines prædestinatos, quot angeli lapsi sunt: alii quot Angeli, tot esse prædestinatos homines: alii demum quot fuere Angeli creati, tot homines esse prædestinatos volunt. Si autem inter se homines conferantur, rigidiores Theologi, relatè ad eos qui damnationem incurrunt, paucissimos habent prædestinatos: mitiores verò æqualitatem saltem inter utrosque statuunt; aut etiam majorem *non reproborum* numerum, quam *reproborum* esse, tenent; ut Suarez, Jos. a S. Benedicto, Bened. Piazza, Jos. Gravina, Gener. etc. Nam juxta Theologos plures in tres classes homines dividuntur quantum ad finem consequendum 1. in prædestinatos ad Gloriam. 2. in non prædestinatos nec reprobos, sive in non deputatos ad pœnam, 3. in reprobos qui æterna supplicia incurrunt. In secundam illam classem recensentur quotquot absque peccato lethali cum sola originali noxa decedunt, qui sunt saltem tertia totius generis humani pars. Hinc probabilius censendum esse videtur, quod in

collectione omnium hominum Prædestinatorum numerus multo major sit, quam rigidiores putant, ita ut *non reprobi* cum *reprobis* æquales saltem sint habendi. Nam 1. ratio generica est, quia juxta Scripturas, *Superexaltat Misericordia judicium*; et quia prædestinationis radix et fundamentum est in manu Dei, in illius Bonitate, Clementia, et erga homines dilectione, quorum est Creator, Pater, et Redemptor, *apud quem non est voluntas, ut pereat unus: qui vult omnes homines salvos fieri: qui proprio filio suo, non pepercit, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos:* et qui, cum possit vocare cum auxilio præviso efficaci, existimandum est, plures eo auxilio vocasse. Id autem præcipuè Theologi tenere debent, qui prædestinationem ante prævisa merita statuunt: ut quid enim in hac sententia maximum numerum non prædestinasset? 2. Quia prædestinatorum numerus absolutè magnus est, ut in *Apocalypsi Cap. VII.* habetur: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, populis* etc. 3. Quia inter adultos Catholicos magnum esse numerum patet ex quo hi præcipuè vocentur *electi, gens sancta, populus acquisitionis,* et Apostolus de Christo testetur: *qui est Salvator omnium maximè fidelium;* quibus fructus redemptionis applicatur per Sacramenta, quæ sunt pignus æternæ vitæ. 4. Quia habet Ecclesia innumeros filios occultos, de quibus juxta Isaiam C. XLIX. dicet in die novissimo: *Quis genuit mihi istos, et isti ubi erant:* In Evangelio verò dicitur: *Multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham in*

regno Cœlorum. Et in *Apocalypsi* C. XXI. de prædestinatis dicitur: *Et erit numerus filiorum Israel sicut arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur*: Revera inter hæreticos multi sunt hæretici materiales, et in infidelium regionibus multi ignorantia invincibili veræ religionis laborant, qui legem servant naturalem, quique excitari a Deo ad justificationem possunt; damnata est enim ab Alexandro VIII. propositio, *quod infideles nullum recipiant a Jesu Christo gratiæ influxum*. 5. ratio est, quod Patres huic sententiæ maxime faveant, ut Chrysostomus *Hom. VII. in Jo.* inquiens: *Illuminat omnem hominem... Gratia quippe in omnes effusa est, non Judæum, non Græcum, non barbarum aversatur, sed omnes similiter admisit, et compari vocat honore*: 6. ratio est, quod nulla ratio adsit, cur Deus magis rigorem voluerit in suos redemptos exercere quàm amorem: Quinimo testatur ipse, omnium se vitam et salutem velle: *Vivo ego dicit Dominus... Convertimini et vivite, et quare moriemini, domus Israel?*

CXLIV. Qui tamen stant pro rigore, opponunt Salvationis difficultatem, ac paucitatem salvandorum qui aut comparantur octo animabus, quæ salvæ factæ sunt in Arca; aut spicis quæ post messem relinquuntur; aut racemis in palmite residuis post vindemiam Isajæ 29. Sed et Christus ait Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, et Cap. VII. *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam! Et* 1. *Pet.* 4. *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi pare-*

bunt? Quibus 1. respondendum est, animadvertendo; quod in Scripturis medicinam Deus omnibus præparaverit, terrificas nempe et amaras sententias quibus obstinati deterriti resipiscant: simulque alias suavissimas, quibus ad spem salutis omnes erigerentur, ne quis de salute desperet; ut enim *Joelis* 2. habetur: *Benignus et misericors est, et præstabilis super malitia.* Scripturæ itaque alibi Dei rigorem notant, alibi summum ejus amorem. Quid vetat pro amore nos stare potius, quàm pro rigore; potissimum cum minas intentet ut à damnatione absterreat, et innumeræ sint Deo viæ, ut homines salvet? 2. Allati textus ad literam accepti nimis probarent, cum electorum numerus adeo magnus sit ut numerari non possit. Illis itaque dicendi modis Christi desiderium significatur, pro singulorum salute, qui nollet, ut ne unus quidem periret: a peccatores frænantur indomiti. 3. instruimur omnes, ut cum timore salutem operemur. Quod dicitur itaque, *multi sunt vocati, pauci electi*; ad literam de Judæorum paucitate intelligendum est, respectu gentilium qui Christum receperunt; nam de illis ea parabola de Operariis dicta est. In eundem sensum recidunt Christi verba, *Quam angusta porta est, quæ ducit ad vitam!* quæ *Lucæ XIII.* ad judæos referuntur, ubi subditur: *Tunc incipietis dicere: manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti: et dicet vobis: Nescio unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Quæ de judæis profecto dicta sunt. Quod ait Petrus: *si justus vix salvabitur etc.* Non de salute æterna dictum est, ut patet; et vero de terrenis cala-

mitatibus, quibus justus etiam subjicitur, ut inde comparatio fiat ad futuras pœnas quæ scelestos manent. Dum etiam Patres et doctores electorum aliquando prædicant paucitatem, ad peccatores deterrendos id faciunt; nec semper præ oculis habent, quæ de misericordia Dei laudantur. Sed ajunt: ex hac sententia sequeretur, reproborum numerum esse minimum; atque hinc ansa peccatoribus daretur. Verum 1. maximum esse numerum electorum jam vidimus; tum *Psalmo* 138. legitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus .... dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur:* At reprobi sub tanto numero nullibi repræsentantur, quorum tamen minimum non esse numerum, patet ex multorum vita deperdita. Sed nulla ratione scelesti juvantur, ut malam ducant vitam, quibus justa Dei judicia semper sunt pertimescenda: opposita verò sententia in desperationem homines facile impellit; quare si adversariorum sententia conatur per timorem revocare ad pœnitentiam, id nostra nititur per amorem. Quod si plures in culpis vitam ducunt, Deus tamen, *cui proprium est misereri semper et parcere, ipse cognovit figmentum nostrum, Psal.* 102. Sed et major fidelium pars Sacramentis muniti cum prædestinationis spe decedunt: et licet de salute æterna nemini sit præsumendum, in mortis tamen articulo omnes etiam improbi salutem a Dei bonitate firmiter sperare tenentur. Neque dicatur, Gratias, quas diximus, infidelibus et hæreticis dari, fictitias esse aut admodum raras; nam illustrationes illæ tot habent patronos, quot propugnant, sufficientia salutis auxilia omnibus

tribui; quas non esse raras ex duobus exemplis liquet in Scriptura signatis. 1. Ex verbis quibus Deus Eliam solabatur putantem se solum superfuisse ex apostatis Israelitis, qui gentium numina colebant: cui Deus respondit: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal, Reg.* 3. Exemplum alterum suppeditat *Jonas Cap.* 3. qui cum doleret, quod Ninive non fuisset eversa, ut ipse prædicaverat, ipsi respondit: *Putas ne, bene irasceris tu? . . . Ego non parcam Ninive, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram et sinistram suam?* Erant ergo hi omnes in ea gentium urbe innoxii et a nequitia immunes. Quæ ad rem nostram satis dicta sunto.

DE REBUS DIVINIS

SECTIO II.

DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO.

CXLV. Ad maximum assurgimus Divinitatis Mysterium contemplandum, quodque præcipuum est SS. Religionis nostræ fundamentum et caput, et ex quo humanæ Redemptionis œconomia, quantum creatæ menti fas est, intelligitur et declaratur. Danda igitur est opera ut accuratam de eo notionem juxta divina Oracula, per quæ nobis revelatum est, ac juxta Patrum doctrinas quæ illud declararunt, comparare nobis studeamus. In eo autem positum est Mysterium istud, ut unum Deum esse confiteamur, sed in una illa individua divinitatis essentia tres esse proprietates, quas *Personas* nominamus, ab essentia quidem minimè distinctas, at realiter distinctas inter se, Patrem nempe, Filium, et Spiritum Sanctum: *Hæc est enim fides Catholica*, ut in symbolo Athanasiano habetur, *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.* Sedulo itaque cavendum est, ne cum de Personis divinis loquimur, personæ notionem ex rebus nostris æstimemus, id est pro individuo rationali, cujus natura distincta sit et sejuncta, ut homines sunt singuli ab invicem distincti. Ob hanc enim falsam notionem Sabelliani olim, et hodie Sociniani mysterium hoc malè intelligentes, quasi contradictionem involveret, illud inficiati sunt. Verum in Divinis distinctio non

fit in natura, sed tantummodo *fit per relationes originis*, ut inquit S. Thomas 1. p. q. 29. A. 4. Hæ autem relationes non sunt accidentia, sed ipsamet sunt divina essentia, sive tres sunt proprietates et perfectiones ejusdem indivisibilis essentiæ Divinæ. Quare in Divinis Persona *Relationem significat in Divina Natura subsistentem*. Juxta mentem itaque D. Thomæ, tres Divinæ Personæ sunt unius indivisibilis Essentiæ Divinæ Tres Relationes subsistentes. Relationes autem hujusmodi vocantur *Paternitas*, *Filiatio*, et *Spiratio*, per quas constituuntur tres illæ Personæ, quæ in Deo appellantur *Pater*, et *Filius*, et *Spiritus Sanctus*. *Relatio enim est Ordo unius Personæ ad aliam*, atque per hunc ordinem sive relationem una Persona ab alia distinguitur, ita ut una, quatenus persona est, alia non sit, licet in essentia sive natura atque in aliis omnibus attributis totæ tres Personæ sint unum et idem juxta Theologicum axioma, quod *Omnia in divinis sunt unum, ubi relationis non obviat oppositio*.

CXLVI. Harum itaque Personarum prima, quæ Pater dicitur a nullo alio fonte procedit, sed ipsa est cæterarum Personarum fons et origo. Filius a Patre est, non per creationem, ut blasphemabant Ariani, sed per æternam, ineffabilem atque internam generationem. Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, non ut a duobus principiis, sed ut ab uno eodemque principio propter unitatem essentiæ et virtutis spirativæ, quæ simul est in Patre et Filio: Quæ in Athanasiano symbolo explicata habentur. Quanquam vero divinæ hujus altissimæ proprietatis ac perfectionis

nulla in Creaturis adæquata imago haberi queat, sed umbræ tantum et similitudines quædam; tamen ut id hoc mysterio intelligere aliquid possimus, Patres nobis exemplum præbent humanæ Mentis, in cujus simplici essentia tres insunt potentiæ, Intellectus nempe, Memoria, et Voluntas, quæ simul Mentem ipsam constituunt, et quæ etiamsi ratione aliqua ab invicem distinguantur, non tamen a Mentis essentia secernuntur, sed illius sunt intrinsecæ proprietates; et in qua sicut ab intellectu memoriam progigni intelligimus, et ab intellectu ac memoria simul Voluntatem sive Amorem: ita si parva licet componere magnis, in Divinis Patrem generare Filium intelligamus, et a Patre et Filio simul procedere Spiritum Sanctum. Hoc exemplum amplificat S. Ambrosius *De dignitate Cond. hum.* c. 1. scribens: *Anima quandam Sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, vivit, et sapit: ita anima secundum suum modum est, vivit, et sapit. Est quòque et alia trinitas in ea... Licèt unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, et memoriam. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita ex intellectu generatur Voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus.... Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas: ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ*

in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. Atque in his tribus Dei imaginem mirabiliter gerit etc. Hæc verò satis fuissent ad hoc dogma Catholicum significandum, nisi singulis ætatibus impii homines ac temerarii extitissent, qui arcanum hoc divinum pro ingeniolo suo scrutari præsumentes alienas a recta Fide opinationes venditarunt, ut inde Ecclesiæ Patres coacti fuerint certas loquendi formas determinare, quibus et errores refutarent et revelatam hujus mysterii fidem defenderent ac præmunirent. *Hæc vocabula*, ait Augustinus *Lib. VII. de Trin. c. 4. loquendi necessitate parta sunt, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores hæreticorum.*

CXLVII. Sed cum de his vocibus infra sit fusius agendum, potiores, ac magis necessarias hîc attingemus. Et 1. veniunt, *Essentia*, *Natura*, et *Substantia*, quæ licet apud philosophos nonnihil differant, hîc, ut fieri solet, pro eodem sumuntur. Græcè dicitur *ουσια*, *essentia*, vel *substantia*, aut *φυσις*, *natura*; et denotant id, per quod res est id, quod est. Cum ergo de Deo dicuntur, id significant, per quod Deus est Deus; idque propterea est in Deo absolutum, et tribus personis commune. *Naturæ* ac *substantiæ* nomina aliquando antiquitus pro *persona* usurpata sunt sed ut plurimum pro *essentia*, ut modo fit. 2. *Persona*, *hypostasis*, et *suppositum* idem significant, et in eo tantum discriminantur, quod *suppositum* latius pateat, dicaturque etiam de substantiis ratione carentibus; cum persona solis ratione præditis tribuatur. Hinc *persona* a Boetio definitur: *Rationalis naturæ*

individua substantia, sive subsistentia. Sed persona in divinis clarius definiri potest: ***Ratio formalis ultimo complens divinam naturam cum ea constituens suppositum alteri supposito incommunicabile***. Quare Natura divina per se non est persona, quæ licet sit substantia singularis et completa, tamen cum tribus suis personis communicatur. Olim controversia viguit, an ὑπόστασις, *suppositum*, pro persona usurpari posset; ac tandem re accuratè expensa nomen illud ad personam designandam ubique obtinuit. 3. ***Subsistentia*** generatim complementum denotat substantialis naturæ, per quod ita est sui juris et incommunicata alteri, ut quidquid operatur ac patitur suo nomine operetur ac patiatur, diciturque a *subsistendo*, quasi sistat in se, nec progrediatur ulterius: quæ si in natura inveniatur rationali, dicitur *personalitas*. Subsistentia igitur est forma personæ constitutiva, nempe id, quo natura in ratione personæ constituta est. Quare in divinis *subsistentia* est modus seu forma naturæ Divinæ inhærens, per quam fit, ut natura illa, prout talis est ac singularis, et prout est affecta exempli gratia ***Paternitate***, nequeat alteri communicari. Cum ergo tres in Deo personæ sint, tres quoque esse in Deo *subsistentiæ* intelliguntur. 4. De ***Relatione*** sive ***proprietate relativa***, jam dictum est. Sed relationes aliæ sunt originis, aliæ non sunt. Priores in Deo sunt propriæ singularum personarum et per eas distinguuntur, uti ***Paternitas***: Aliæ sunt singulis divinis personis communes, ut *æqualitas*, *coæternitas* etc. 5. ***Proprietas personalis*** est, quæ unam personam ab alia distinctam constituit, quæ sunt

Paternitas, Filiatio, Processio. 6. *Notio*, seu prædicatum notionale illud est, quo Personæ cognoscuntur a se mutuo distingui; idque tribus personis non debet esse commune; aliàs non noscerentur ab invicem: Notiones sunt, exempli causa, *Innascibilitas* Patris, *Spiratio activa* Patris simul et Filii, *Spiratio passiva* Spiritus Sancti. 7. *Processio* unius personæ ab alia est vera et naturalis illius origo. *Generatio activa* est ipsum *generare*, quod convenit Patri: *Generatio passiva* est ipsum *generari*, quod proprium est Filii: *Spiratio activa* est ipsum *producere spirando*, quod Patri et Filio convenit: *Spiratio passiva* ipsum est *produci per spirationem*, et convenit Spiritui Sancto. 8. *Actus essentialis* est, qui provenit ab attributo essentiali, ut *creatio*, et est tribus personis communis ac terminatur *ad extra*: *Actus notionalis* et *personalis* ab attributo provenit notionali, vel a personali proprietate, et non est communis tribus personis, ut *generatio activa*, et *activa Spiratio*, ac terminantur *ad intra*. 9. Ὅμοιον denotat *simile*: *ανομοιον*, *dissimile*: Ὁμοουσιον, *consubstantiale*, ac identitatem naturæ significat; Ὁμοιουσιον, *similis* naturæ, et naturæ non significet identitatem, sed tantùm similitudinem, Modo ad hæc dogmata demonstranda, ac ad errores refellendos progrediendum est; quod singulis Capitibus expediemus.

CAPUT I.

UNDENAM SS. TRINITATIS MYSTERIUM COGNOSCI DEBEAT.

CXLVIII. Antequam expositam SS. Trinitatis, sive hujus *Triunitatis* doctrinam argumentis propriis demonstremus, et undenam illius cognitio nobis comparanda sit; perbrevis historia est præmittenda de erroribus, qui circa Mysterium hoc ineffabile inter homines invaluere. Nulla enim antiquitus uti etiam recenter celebrior extitit controversia, quàm de Sacrosancto hoc Mysterio. Primi Trinitatis hostes fuere Apostolis coævi, cui non Judæi modo sed et ex semichristianis plures adversati sunt. Cerinthus unum agnoscebat Deum Patrem, et Christum hominem purum esse docebat, cui Ebion secundo Ecclesæ sæculo consensisse videtur. At sæculo tertio controversiæ increbuere; nam Paulus Samosatenus Antiochiæ episcopus docere incepit solum Patrem Deum esse, at Filium seu Christum purum hominem prædicabat, et Spiritum Sanctum Gratiam dicebat super Apostolos effusam. Tunc Sabellius, anno scilicet CCLVII. Samosatenum secutus unam hypostasim dicebat esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unamque personam tribus nominibus insignitam, Hos secutus est Marcellus Ancyranus, qui extensionem quandam Dei Patris in Christum venisse autumabat, quam Verbum appellavit; peracta verò Incarnationis œconomia reversam esse in Deum ex qua extensa fuerit. Spiritum

Sanctum autem extensionem extensionis dicebat Apostolis datam, rursumque attractam. Photinus illius discipulus, ac Episcopus Sirmiensis Ebionis hæresim instauravit. At nullus graviores in Ecclesia rumores excitavit quàm Arius presbyter Alexandrinus, qui anno cccxvii. prædicare cœpit, Verbum non æternum, sed primogenitam creaturarum Dei Patris; cujus hæresis magnam Orientis partem mox occupavit. Eam damnaverat anno cccxxv. Nicæna Synodus I. sub Constantino Augusto; at sub Constantio filio hæc hæresis late grassata est, cui etiam Valens ac Justina Imperatrix, nec non reges Vandalorum et Wisigothorum favorem præbuere. Verum multis habitis Conciliis tandem divina ope hoc monstrum hæreseos Sæculo V. et VI. penitus extinctum est. Sed illas turbas jamdiu sopitas recentiores hæretici Sæculo XVI. Michael Servetus ab ipso Calvino igne combustus, Lælius Socinus et Faustus Nepos, a quibus Socinianorum secta, e cineribus iterum excitarunt; quibus Arminiani adhæsere, pluresque ex protestantium grege suffragati sunt; atque postremo incredulorum turba universa cum his omnibus constrepere pergit: contra quos omnes nobis est cominus decertandum.

CXLIX. Dum alii tamen altissimum Mysterium hoc a Christiana Religione ablegare nituntur, aut ex proprio conantur dimetiri ingenio: alii ex adverso posse illud, sicut a fide edocetur, naturalibus argumentis ostendi sibi persuasere; quod non sine divinæ Revelationis dedecore et jactura factum est. Inter quos errores oppositos stat Catholica Veritas, quæ mysterium hoc non nisi e cælo traditum et manife-

statum docet. Fuit sane V. Sæculo Claudianus Mamertus Viennæ in Galliis presbyter, qui naturæ lumine illud cognosci posse, imo fuisse revera Platoni cognitum, scripto relinquere non est veritus. Id Bernardo teste, docuit, postea Sæculo XII. Petrus Abaelardus, et etiam Raimundus Lullus Sæc. XIII. Inter recentiores Pet. Poiretus hoc Mysterium methodo mathematica ostendere aggressus est: quod dum molitur in plures errores lapsus deprehenditur. His accensendus Mutius Pansa, et alii platonicæ philosophiæ admiratores, ut Steuchus Eugubinus, qui nimio studio abrepti hujus mysterii defendendi, decepti sunt; quibus nuperrime accessit Marcus Mastrofinius in sua *Metaphysica sublimiori de Deo uno et Trino*, qui Poiretum imitatus, sed aliam viam ingressus argumentis metaphysicis, et *a priori*, ut ajunt, deductis, impervium hoc divinitatis arcanum naturaliter sibi visus est demonstrasse. Non tamen prospero eventu, nec sine gravi periculo errandi; cum hæc demonstratio a priori nobis sit impossibilis, et posita ab eo principia facile in errores ducant. (Vid. Alex. Dilii *Propositiones aliquot M. Mastrofini*. Romæ Bourlie 1822. in 4.°). Qui inter protestantes hoc dogma a Platone et a Gentilibus ad Patres descendisse fabulantur, dolo id malo facere, ut huic doctrinæ derogarent: quibus reponi posset, quod olim Origenes Celso id objicienti respondebat Lib. VI. nempe: *Res est plane a vero abhorrens, Paulum qui tentoriorum erat artifex, Petrum piscatorem, et Joannem, qui in eodem artificio versabatur, Platonis novisse Epistolas, indeque sua mutuatos, quæ de Deo dissere-*

bant; qui propterea ab eruditis merito castigati sunt, ut a Joanne Lamio Opere ad hoc evulgato.

CL. Adversus quos omnes demonstratur, non nisi ex Divina Revelatione arcanum Trinitatis dogma hominibus innotescere potuisse. Id enim apertè Sacræ Literæ affirmant. 1. enim de æterna Verbi generatione Christus ipse testatus est *Matth. XI. 29. Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Et Cap. XVI. 17. ait Petro qui Dei filium ipsum confessus fuerat: *Caro et Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est*. Itaque Joannes Cap. I. de hoc Mysterio loquens ait: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Apostolus autem habet: *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei*. Hinc Sapiens ajebat: *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a Gloria*. Quare Patres omnes communi consensu docuere, per cœlestem revelationem tantummodò arcanum hoc nobis innotescere potuisse, ut Irenæus Lib. IV. c. 24. *Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, id est Filio revelante*. Idipsum testatur Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* dum ait: *Hoc Ecclesia intelligit: hoc synagoga non credit: Hoc philosophia non sapit*. Et Ambrosius *L. 1. de Fide c. 5. Impossibile est generationis Verbi scire secretum, mens deficit, vox silet*. S. vero Justinus Martyr, qui ab hæreticis accusatur hanc doctrinam a Platone hausisse, dilucide affirmat *in Dial. cum Tryph.* eam non ex lutulentis philosophorum fontibus sed a Prophetis accepisse et a Verbis Domini. Id vero demonstrat S.

Thomas 1. *P. q.* 32. *a.* 1. eo quod impossibile sit per naturalem rationem ad Trinitatis divinarum Personarum cognitionem pertingere, ad quam homo nisi ex creaturis pervenire non potest. *Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in Causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati; unde pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum.* Quare qui niteretur id probare naturali ratione, ait S. Doctor, Fidei dupliciter derogaret. 1. quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de rebus invisibilibus, et rationem humanam excedentibus. 2. quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem ... *rationes enim, quæ non sunt urgentes, cedunt in irrisionem infidelium: credunt enim quod his rationibus innitamur, et propter eas credamus.* Rationis igitur partes sunt, ostendere, nullam hoc mysterium contradictionem involvere, et eam tantum esse apparentem, nec debet ulterius progredi. Hinc Gregorius XI. hanc Lulli propositionem damnavit: *Omnes articuli fidei possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas et evidentes.* Et sub Paulo V. hæc alia proscripta est: *Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes evidentes.* (Conf. Nat. Alexand. H. E. Sæc. XVI. c. 3. a. 20. et Albitius *de Inconst. in Fide* c. 4.)

CLI. Hoc itaque Mysterium dumtaxat ex divina revelatione descendit; et ineptus esset qui tam sublime arcanum philosophorum auctoritate fidelibus per-

suadere niteretur, uti desipiunt quotquot ex platonicorum placitis illud derivare laborant. Falluntur quoque adversarii cum ex Scripturis probare satagunt naturæ lumine id cognosci posse, ut cum ait Deus apud Isajam Cap. LXVI. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* Aut cum de eo dicit Apostolus *Ephes.* 3. *Ex quo omnis paternitas in Cælis et in terra nominatur*. Unde Ricardus a S. Victore ajebat: Ad *omnia quæ credere oportet, non deest ratio, non solus probabilis, sed necessaria*. Sed hæc debilia sunt. Nam Isajas literali sensu est accipiendus de generatione spirituali filiorum Dei per adoptionem; et quoties in sensu mystico intelligatur, hæc Dei proprietas non nisi per Revelationem nobis innotuit. Est utique perfectio in Deo illa æterna generatio; sed non ut reperitur in Creaturis, qualis Deo esset prorsus indigna; at illa Dei proprietas ineffabilis est omnino, omnemque humanam intelligentiam fugit. Quare illa *Paternitas* ab Apostolo sumitur ampliori sensu; quatenus Deus nempe rerum omnium principium est. Nec repugnamus, mysteriorum adesse rationem, at ea soli Deo nota est, et iis, quibus eam revelare dignatur in Cælis. Quæ præterea dici solent, de infinita Dei intelligentia, quæ in se infecunda esse nequeat, aut de summa illius bonitate quæ se infinitè communicari amet; hæc, inquam, et alia hujusmodi apta quidem haberi possunt ad mysterium hoc exponendum postquam per Revelationem illud nobis innotuit; minime verò ad illud solo rationis lumine aut detegendum aut demonstrandum. Sed nec ternarium personarum numerum, nec rea-

lem ab invicem distinctionem in individua Dei essentia evincere valent. Quinimo quoties curiosi homines hoc mysterium solius rationis ope scrutari voluere, in absurdos errores lapsi sunt. Quæ autem de vestigiis proferunt, ac de imaginibus quibusdam Trinitatis quæ in creaturis observantur; ea valere quidem possunt ad aliquam hujus divini mysterii ideam nobis effigendam postquam per revelationem manifestatum est; dummodo sciamus hos conceptus nostros quam longissimè a veritate distare, ac simul caveamus, ne iis symbolis utamur quæ minus tantam deceant majestatem. Speciosiora sunt quæ de ethnicis philosophis circumferuntur, quos volunt naturali acumine Trinitatis mysterium detexisse, inter quos Mercurius Trismegistus, Zoroaster, Sibylla, Plato, et Platonici plures, quibus Patres nonnulli hanc notitiam tribuerunt. Verum Patres imperfectam tantum hujus dogmatis cognitionem Platoni assignant, eamque non rationis lumine acquisitam, sed vel ex colloquio cum hebræis, vel ex eorum libris haustam. Quæ de Zoroastre, Mercurio, aut sibyllis venditantur spuria, aut certè interpolata a criticis habentur; quorum plura primo aut secundo Ecclesiæ sæculo supposita fuisse facile ostendunt. Tale est illud Trismegisti: *Monas genuit monadem et suum in se reflexit ardorem:* Tale illud est Zoroastri in Oraculis Magicis: *In toto mundo resplendet Trinitas, cujus unitas est principium*. Ipsum quoque ejus opus *Zend-avesta* inscriptum, fuisse magna saltem ex parte confectum a Judæo quodam, aut ex Sacris libris excerptum, aut etiam primo Ecclesiæ Sæculo interpolatum critici

sentiunt. De Platonis verò sententia, obscura certè ac implexa, eruditi adeo sunt inter se discordes, ut inde nihil solidi inferri possit. De Platonicis autem qui post exortum Christianismum floruere nulla est ratio habenda, ut de Plotino, Amelio, Porphyrio, aliisque; quos eas doctrinas a Christianis suffuratas fuisse quasi Platonicis proximas, ostendebat olim Theodoretus; qui si cum Virgilio dicebant „ Numero Deus impare gaudet „ non id mysterium hoc respiciebat, sed quia juxta Pythagoram hic ternarius numerus principium, medium, et finem complectebatur. Quæ de hac re ab Ægyptiis prolata vociferantur apud Plutarchum *in libro de Iside et Osiride* aut apud Jamblicum *De Mysteriis Ægyptiorum*, au etiam hieroglyphicis insculpata, quæque a Kircherio laudantur, valde obscura sunt et emblematibus ambiguis depicta nec non arbitrariis interpretamentis innixa, ut divinando potius, quam interpretando, nonnulla inde eruditi inani prorsus labore inferre conentur. Plutarchus autem et Jamblicus plura ad suas opiniones accommodarunt, et ea prætereа dixere, quæ a Catholica doctrina longè absunt. Proferuntur denique Orphei, Pythagoræ et aliorum dicta; sed quæ modo habemus eorum scripta supposititia communiter censentur, ac doctrinam admodum obscuram tradunt; ut inde nihil inferri possit; si verò Patres iis aliquando adversus Gentiles usi sunt, optimo id consilio fecere: ut eos nempe redarguerent ex libris ab ipsis in pretio habitis; et ex quibus Christianorum dogmata modo aliquo suaderi poterant. Videndus de his Petavius *De Trin.* T. 1. Morhofius *in Polyst.* aliique eruditi viri, ut Berti, Gazzaniga etc.

CAPUT II.

SS. TRINITATIS DOGMA EX SACRIS LITERIS DEMONSTRATUR.

CLII. Modo altissimum Trinitatis Mysterium ex suis fontibus ostendendum est, ex divina scilicet Revelatione, per quam solam hæc divinæ naturæ arcana nobis innotescere potuissent (N. CL.) Quanquam verò Mysterium hoc clarius et apertius in novo Testamento revelatum sit, et omnibus ad credendum propositum (quod necessarium fuerat, ut Messiæ divinitas agnosceretur, ipsique adorationes, ut par erat, debitique honores tribuerentur); tamen veteribus quoque Patriarchis et Prophetis fuisse manifestatum, ut Abrahamo, Moysi, Davidi, Isajæ cæterisque primoribus, validis argumentis evincitur; licet fides illius explicita non omnibus præcepta esset, ut Apostolus ad Galatas innuit C. III. 23. scribens: *Custodiebamur inclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Sed et inter Rabbinorum Traditiones non pauca inveniuntur, quæ ostendunt Trinitatis Mysterium veteri synagogæ planè incognitum non fuisse, etsi post Messiæ adventum judæorum vulgus præfractè illud repudiaverit. At missis judæorum traditionibus, ad ipsos veteris Testamenti Codices paulisper accedamus, ubi non obscura reperire licebit, quæ Catholicam de hac re doctrinam aut supponunt aut tradunt. Nam 1. non paucis in locis Deus de seipso in plurali numero loquitur, ut in Genesi: *Faciamus ho-*

minem ad imaginem nostram: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est: Venite, descendamus etc. in quibus loquendi formulis ipsi hebræorum magistri arcanum latere fassi sunt. 2. Psalmorum liber plura suppeditat, quæ sine Trinitatis doctrina intelligi nunquam possent, ut Psal. II. et XLIV. Illud Psal. XXXIII. *Verbo Domini Cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: Hieronymus de Trinitate intelligebat: *Videte*, inquiens, *mysterium Trinitatis unico versiculo comprehensum*: quod adnotavit de alio versu Psalmi LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*. 3. sed missis aliis locis, unus præteriri non debet a Christo ipso prolatus, ut suam probaret divinitatem: nam cum judæos interrogasset, quid ipsis videretur de Christo, respondissentque, Davidis filium futurum, ait: *Quid ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens; Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? .... Si ergo David vocat eum Dominum: quomodo filius ejus est?* Hic certe Christus ut Deus distinguitur a Deo Patre ad cujus dexteram sedere jubetur. Qui talia loquitur, non ambigitur Deus esse; ea enim pollicetur, quæ Deus solus præstare poterat. Quare Apostolus eundem locum referens ad *Hebr. C.* 1. 13, habet: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando Deus: sede a dextris meis?* 4. Nec omittendus Isajas, qui præclara hac de re habet, ut Cap. VI. Trisagium illud ab alternis Seraphim decantatum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ubi Ambrosius cum aliis Patribus mysterium Trinitatis agnoscit *L. 2. de Fide: Quid sibi*

vult sub uno nomine Sanctitatis trina repetitio .... nisi quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Quod ex verbis eruitur quæ Deus subjungit: *Quem mittam, et quis ibit nobis?* Quare Rab. Jonadan de personarum pluralitate id explicabat cum Rabbinis veteribus aliis, ut ostendit Franciscus Ferretti (Verità della Fede c. 1.) sed pulcherrimum est oraculum Cap. XLVIII. ubi Isajas Messiam inducit Israëlem ita alloquentem: *Audi me Jacob et Israel, quem ego voco: Ego ipse: ego primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cælos ... Accedite ad me, et audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam fieret, ibi eram: et nunc Dominus meus misit me, et Spiritus ejus.* En hic æternum Dei Verbum a Deo Patre missum et a suo Spiritu in redemptionem omnium, ubi tres divinæ Personæ distinctis muneribus designantur. Idem dicit Deus filius *apud Zach. C. 2. v. 7. et 11. Et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Atque ita alia plura ex Veteri Testamento colligi possent, nisi ad clariora festinaret oratio.

CLIII. In Novo itaque Testamento non modo sine ambage, sed luce meridiana clarius Mysterium hoc edocetur. Nam præter hujus mysterii manifestationem factam secus Jordanem Matth. III. quando Jesu baptizato et orante aperti sunt Cæli, Spiritus Sanctus in Columbæ specie visus est, Paterna vox audita est: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Ubi trium personarum mentio, et actio habetur; præter, inquam, hæc; insigne Trinitatis testimonium profert

Christus ipse *Joan*. XIV. 16. dum discipulos morti proximus his verbis solatur: *Non turbetur cor vestrum . . . quia ego vado ad Patrem . . . et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis . . . Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* etc. Hic audimus filium euntem ad Patrem, Patremque rogaturum, et Spiritum Sanctum habemus a Patre filii intercessione mittendum. Unde Augustinus *Tract.* LXXVIII. *in Joan. Quoniam Deus Trinitas est, oportebat ejus singulas insinuare Personas, easque nos distinctè audire*. 2. Invictum habemus argumentum aliud ex forma Baptismi Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Quibus verbis et una Dei natura dilucide significatur, et in eadem divina essentia tres distinctæ personæ ac subsistentes edocentur, ut quemadmodum in baptismate Christi factum est, ita singulis trium Personarum nomine et auctoritate baptisma conferatur. Porro tria hæc nomina non unam eamdemque rem prorsus significant; quis enim dixerit ea Christi verba ineptam involvere battologiam? Distinctas ergo personas in eadem divina essentia manifestant. Virtus autem Baptismi, quo filii Dei nominamur et sumus et hæredes fimus Regni cælestis, divinam præsefert potestatem tribus personis communem ac propriam. Deploranda est igitur Socinianorum pervicacia, dum ajunt, hinc quidem colligi duas personas Patris et Filii, at non ejusdem potestatis; ac nomen Spiritus notam esse cujusdam virtutis, non personæ; eo quod in Scripturis

creaturæ non rarò cum Deo connumerentur; ut Exodi XIV. de Israelitis dicitur: *Crediderunt Domino et Moysi servo ejus*. Quæ sunt prorsus flocci facienda. Nam in locis similibus infinita noscitur inter Deum et creaturas intercapedo. An ne periculum erat, ut Israelitæ Deum cum Moyse confunderent, cum eum Dominum, hunc servum nominari audirent? Verum de filii æqualitate cum Patre, deque Spiritus Sancti persona et non tantum Dei Virtute, infra sermo redibit. 3. Tres in Deo subsistentes personas agnoscit Petrus *Epist.* 1. c. 1. Et Paulus Apost. 2. Cor. c. 13. 13. qui ita fidelibus salutem dicit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et Charitas Dei et Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*. Hæc distinctio et operationes ad tres divinas personas necessariò sunt referendæ, alioquin præter ordinem positæ essent; nam filius seu Christus laudaretur ante Deum Patrem, qui a socinianis solus Deus habetur.

CLIV. Denique prætereundum non est egregium testimonium, quod S. Joannes Evangelista affert Epistola I. Cap. V. ita exaratum: *Οτι τρεις εισιν ʿοι μαρτυρουντες εν τῳ ουρανῳ, ʿο Πατηρ, ʿο Λογος, και το ʿαγιον Πνευμα: και ʿουτοι ʿοι τρεις ʿεν εισι: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*. Hæc Joannes scribebat contra primos hæreticos sui temporis Ebionitas, Cerinthianos aliosque, quorum alii Christi Domini divinitatem, alii assumptam humanitatem negabant, aut etiam utrumque. Ait itaque illius divinitatem tria de cælo testimonia

confirmasse: Patrem nempe voce e cælo delapsa: *Hic est Filius meus dilectus:* Filium ipsum miraculis ac cælesti doctrina: et Spiritum Sanctum in columbæ specie super eundem descendentem. Jam verò, pergit Joannes, ipsius quoque humanitatem tria testimonia in terra confirmant: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, et aqua, et Sanguis, et hi tres unum sunt*: vel ut græcus habet: *in unum sunt*. Hi testes fuere, Spiritus quem moriens emisit, aqua, et Sanguis, quæ ex percusso ejus latere effluxerunt. Hoc autem Joannis ratiocinium et antithesis pondus non haberent, si Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus unum licet sint in essentia, in personis non distinguerentur. Sensere hujus argumenti vim Sociniani; quare occasione capta, ex quo primus ille versiculus in nonnullis codicibus non reperiretur, nec aliqui Patres contra Sabellianos et Arianos illum protulerint, viribus omnibus ejus authentiam impugnare cœperunt. Sed eorum sophismata dissiparunt Critici innumeri, ex ipsis heterodoxis Georgius Bullus, Pet. Martinius, aliique: ex nostratibus Bernardus de Rubeis, Scipio Maffejus, Mayranus etc. ejusque genuinitatem ostenderunt non extrinsecis tantum, sed et intrinsecis argumentis ex Epistolæ contextu desumptis. Nam si versus ille, ut in Vulgata legitur, et legendus est juxta Decretum Concilii Tridentini, expungeretur, contextus mancus redderetur et abruptus, oratio nihil conficeret, evanesceret antithesis, et sermonis contructio contra grammaticæ leges peccaret. Accedit, nonum versiculum supponere, jam prolatum fuisse

testimonium utrumque, qui ita se habet: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*. At quomodo ad testimonium Dei appellasset, nisi Joannes antea illud protulisset? Præterea non desunt Patres non pauci, qui eo usi sunt, ut Tertullianus *adversus Praxeam* C. 25. Cyprianus cum *de Unitate Ecclesiæ* C. 4. tum Epist. ad Jubajanum: Fulgentius autem *Lib. cont. Arianos* postquam Joannis Testimonium recitavit, addit illud ipsum adduxisse S. Cyprianum: *Quod etiam*, inquit, *Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ confitetur*.... atque illius verba subdit. Antea verò eadem Joannis verba protulerat S. Phæbadius Sæculo IV. *Lib. contra Arianos*: Auctor etiam vetustus *Disputationis cum Arianis* tempore Concilii Nicæni I. quæ græcè et latinè extat inter Athanasii Opera, eadem verba urgebat adversus hostes divinitatis Filii Dei. Quid plura? Prolatum est luculentissimum hoc testimonium in Concilio Carthagine congregato anno CCCCLXXXIV. jussu Hunnerici Vandalorum Regis, quò Episcopi quadringenti convenerant. Eugenius enim Carthaginensis Episcopus in Libello Regi oblato, ac omnium Episcoporum manu signato, inter alia hæc habet: *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ Testimonio comprobatur: ait namque: Tres sunt qui testimonium perhibent in Cælo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*. Elucet hîc hujus textus genuinitas quadringentorum Episcoporum auctoritate confirmata, idque coram Arianis permultis, qui Re-

gis jussu cum Catholicis disputabant, quin eorum nemo contra hujus textus authentiam dubium moverit; quod certè non contigisset, si universim genuinus non fuisset habitus. (Videatur Victor Vitensis de Persecutione Vandalica Lib. III.) Demum, ne alios Patres recenseamus, id ostendit Cassiodori auctoritas Viri Græcè et Latinè eruditissimi, quique sacros Codices accitis antiquis et emendatis exemplaribus græcis ac latinis diligenter recensuit. Hic ergo textum illum in suo *Complexionum libro* Florentiæ edito a. 1721. distinctè refert, inquiens: *Cui rei .... testificantur in terra tria mysteria .... in Cœlo autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et hi tres unus est Deus*: Ita perioches sensum declarans.

CLV. Nulla igitur ambiguitas de hujus loci sinceritate superesse potest; potissimum cum græci nunquam eam inficiati sint, imo in eorum antiquissimis Liturgiis locus integer occurrat, et etiam in Concilio Lateranensi IV. an. 1215. cui duo Græci Patriarchæ cum Episcopis pluribus interfuere, nemine penitus discrepante, integer prolatus fuerit. Infirma sunt igitur, quæ a recentioribus unitariis objiciuntur; quod nempe in multis codicibus græcis et latinis desit, et quod plures Patres antiquitus contra Arianos eo usi non sint. Non enim difficile est hujus omissionis rationem reddere. 1. enim plures sunt codices in quibus legitur, aut in quibus postpositus reperitur, quàm ii in quibus desideratur; ac præcipuè in codice legitur celebratissimo græco Britannico, qui omnium antiquissimus fertur, et cujus auctoritate motus versiculum Erasmus in altera Bibliorum editione resti-

tuit. Plura verò exempla similium omissionum recensentur, præcipue cum eadem verba recurrunt; ut hic etiam facile contigisse quisque intelligat. Quod si Patres non frequenter hac Joannis auctoritate usi sunt adversus Arianos, nullum inde illi detrimentum affert: est enim argumentum negativum, quod positiva infirmare non valet. Certè plures retulere, et inter Athanasii opera invenitur textus ille exscriptus. Nonnulli ex Patribus codices fortasse mancos habuere: Alii ab eo adducendo forsan abstinebant, ne in alias tricas cum Arianis inciderent, cum quibus quæstio erat de Filii divinitate comprobanda, pro qua textus luculentissimi eis præsto erant, nec de Spiritus Sancti divinitate adhuc disputabatur. Tandem non a verò abhorret, Arianos hunc versum a Joannis Epistola expunxisse, quam fraudem in aliis exprobrabat S. Ambrosius *Lib. III. de Sp. Sancto*; ut propterea Patres ab eo urgendo sibi temperarent.

CAPUT III.

SS. TRINITATIS DOGMA EX TRADITIONE OSTENDITUR, ET ADVERSARIORUM OBJECTIS RESPONDETUR.

CLVI. Postquam augustissimum Trinitatis Mysterium divinarum Scripturarum auctoritate ostensum est, oportet modo, ut ex perpetua Ecclesiæ Dei traditione ac doctrina confirmetur; sunt enim hi duo fontes unde veritas catholica elucescit, et qui sibi mutuo lumen præbent. Scripturæ enim Dei Verbum complectuntur; at vero Traditio illarum sensum ac

intelligentiam aperit et a profanis interpretamentis tuetur. Atque hinc adversariorum calumniæ retunduntur, dum mendacissime jactitant, doctrinam hanc non a Christo Domino, non ab Apostolis, sed ab aliquibus Patribus platonica philosophia imbutis in Ecclesiam irrepsisse. Quinimo Jo. Clericus fabulari non verebatur, ipsum S. Joannem Evangelistam vocem Λογος a platonicis arripuisse, qui certè delirat cum vox isthæc tum apud Isaiam, tum in Psalmis et alibi non raró usurpetur, ut Psal. xxxiii. 6. Τῳ Λογῳ του Κυριου ʽοι ουρανοι εστερεωθησαν, και τῳ Πνευματι του στοματος αυτου πασα ʽη δυναμις αυτων: *Verbo Domini cœli firmati sunt* etc. ubi S. Trinitatis mysterium non obscure innuitur. Apostolus quoque *ad Hebr. C. IV.* 12. in græco textu ea voce usus est. Quod si alicui dicere placeat, Joannem libentius eam vocem adhibuisse, quod præter Scriptores sacros, etiam apud Rabbinos Judæos in usu fuerit, et ipsis sui temporis philosophis cognita cum de rebus loquebantur divinis; non abnuemus: attamen non ut illorum doctrinas arriperet, sed verius ut juxta divinam revelationem eas emendaret. Itaque Ecclesiæ praxis, nec non concors Patrum sententia funditus adversarios revincunt.

CLVII. Nam 1, apud Christifideles antiquissima est hujus fidei professio, quam in baptismate recipiendo emittebant, quod per trinam immersionem adhibebatur, ut hinc elucesceret auctoritate trium divinarum personarum conferri. Præterea expressa a neophytis postulabatur confessio Patris et Filii et Spiritus Sancti: ut ex Cypriano, cæterisque vete-

ribus eruimus; quod demonstrat Nat. Alexander *Dissert. XII. in* 1. *Eccl. Sæc.* 2. Hoc ipsum ostendit adorationis cultus ubique S. Trinitati præstitus, ut Justinus testatur (Sæculo Ecclesiæ II.) in *Apologia secunda* dum ait: *Patrem, et qui ab eo venit Filium et Spiritum Sanctum propheticum colimus et adoramus cum ratione et veritate venerantes*. Hic cultus in Actis pluribus splendet Sanctorum Martyrum: nec non in celebratione Sacrorum Mysteriorum*, in quibus, ut ibi scribit S. Justinus, *preces rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus Sancti offerebantur*. Quod et Basilius confirmat *Lib. de Spiritu Sancto.* Id quoque manifestant Trisagium, et Doxologia, sive *Gloria Patri etc.* in usu apud fideles a primis Ecclesiæ temporibus: nec non trina illa invocatio *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*; ac præterea eadem fides in symbolo Apostolorum expressa. 3. Revera si hæc fides non esset ab Apostolicis ducta temporibus, promant adversarii quo tempore in Ecclesia inceperit. Nunquam id sanè definient. Quinimo Patres tertii sæculi apertè profitentur, a beatis Apostolis hanc accepisse fidem. Id testabatur Tertullianus *adv. Praxeam*, qui hypostaseon distinctionem primus tollere moliebatur: ait quippe *Cap. I. Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romæ. Et C. II. Custodimus œconomiæ sacramentum, quæ Unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum .... id esse verum quodcumque pri-*

mum, id esse adulterum quodcumque posterius. Nil peremptorium magis contra unitarios desiderari posset. Id quoque affirmabat Sæculo III. Dionysius Patriarcha Alexandrinus apud Eusebium *Hist. Eccl. L. XII.* nempe Dogma Sabellii *contra Patrem et Filium et Spiritum Sanctum inauditum esse in Ecclesia.* En Catholicæ doctrinæ perennitas. Accedit Synodus Antiochena Anno CCLXIV. et altera An. CCLXIX. in causa Pauli Samosateni celebratæ, quæ apud eundem Eusebium ajebant: *Decrevimus Fidem scripto edere, et exprimere, quam a principio accepimus et habemus traditam, conservatam in Catholica, et Sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, a beatis Apostolis, qui viderunt ipsi et ministri fuerunt verbi, prædicatam ex Lege et Prophetis ac Novo Testamento*. Quæ cum profiteantur Antiocheni Patres Sæculo tertio mediante, qua fronte Sociniani effutire queunt, hæc de novo ex philosophia in Ecclesiam fuisse invecta? Quomodo de novo, si statim ac hæretici Noëtus, Praxeas, Sabellius, Samosatenus, Arius aliique sive subdolè sive clanculum heterodoxa opinamenta a profana philosophia infeliciter hausta in vulgus disseminare tentarunt, Ecclesiæ Patres ex adverso insurrexerunt omnes, Tertullianus, Hippolytus Martyr, Dionysius Alexandrinus, Dionysius Papa, Firmilianus Cæsariensis, et sive divisim, sive in Conciliis frequentibus congregati sategerunt, ut avitam tutarentur doctrinam?

CLVIII. Et quidem, quomodo non Apostolica et avita ea doctrina censenda est, quæ non modo apertissimè in sacris Literis traditur, sed et ab ipsis Apo-

stolorum discipulis manifestè edocetur? Supersunt usque in diem hanc Clementis I. Romani Pontificis, Ignatii, Polycarpi, Justini, Athenagoræ, Irenæi, Cypriani, cæterorumque usque ad Nicænum Concilium luculentissima testimonia, quæ de Ecclesiæ perenni fide quemcumque vel morosum criticum dubitare non sinunt. Clementis Petri successoris post Linum verba a S. Basilio *de Spiritu Sancto* Cap. XXIX. ita proferuntur: *Sed et antiquior Clemens, vivit, inquit Deus, et Dominus noster Jesu Christus, et Spiritus Sanctus*. In Epistola vero ad Corinthios emendatissimè a Cotelerio edita græcè et latinè, hæc scribit Clemens: *An non unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum Sanctum gratiæ effusum in nos?* Athenagoras verò in *Legatione prò Christianis* oblata Impp. M. Antonino et L. Aur. Commodo an. CLXXVII. N. 20. dispungens atheismi calumniam scribit: *Quis itaque non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum in unione potentiam, ac in ordine distinctionem demonstrant:* De Justino et aliis jam nonnulla dicta sunt; quominus enim singulos percenseamus, impediunt harum paginarum angustiæ. Verum Augustinus jure Patrum omnium in hoc dogmate consensum animadvertebat *Lib. I. de Trin.* c. 4 scribens: *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quæ Deus est, divinorum librorum veterum ac novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili*

æqualitate divinam insinuant unitatem, ideoque non sunt tres dii sed unus Deus. De perpetua itaque in hac doctrina Ecclesiæ traditione non relinquitur ambigendi locus.

CLIX. Videbatur quidem contra Veritatem adeo solidè confirmatam et ab omnibus Christiani nominis universim agnitam, ac post omnes dispulsos errores per mille et amplius annos in pacifica possessione constitutam, neminem rursus insurrecturum fore: at quid non mortalia pectora cogit impia dogmatizandi lubido! Cum nuper a novatoribus invecta esset quidquid audendi ac opinandi licentia, non pauci ex pseudochristianis, qui Sociniani, vel etiam unitarii vel anti-trinitarii audiunt, quos incredulos rectius dixeris, non modo veterum sophismata recoquere, sed et nova hîc arma infeliciter impugnare tentarunt. Nam Sacris etiam Literis abutuntur, quas ad fucum faciendum, ut diabolus olim Christo Domino, ita Christifidelibus et ipsi proponere perversè audent. Ajunt itaque, unicum et solitarium Deum ibi affirmari, ut Deuter. VI. *Audi Israel, Dominus, Deus noster, Dominus unus est*: Et Cap. XXIII. *Videte, quod ego sim solus*, ait Dominus, *et non sit alius Deus præter me*. Atque ita passim. Sed ludunt hîc miseri sycophantæ. Quis non intelligat, hæc dicta esse de unitate essentiæ ac naturæ Divinæ, quæ in tribus personis unica et eadem est: unumque solum Deum appellari ad rejectionem mendacium deorum, quos sibi ethnicorum turba fingebat? Hinc ea ratione Patres omnes ea loca interpretati sunt, ut ex ipsomet scopo et contextu elucet. Quid? quod ipsimet Rab-

bini veteres in trina illa Divini nominis repetitione mysterium latere docuerunt, ut R. Simeon Ben-Joahi, e R. Ibba, qui ex eo loco inferunt, Ipsam summam veritatem ternarium numerum cum unitate conjunctum habere? Mittimus Philonem Judæum minimè a Divina Trinitate abhorruisse, quam etiam eleganter describit.: et Maimonidem ac Aben-Hezram, qui tradunt, distingui in Deo, id quod cognoscit, quod cognoscitur, et cognitionem; præter Cabalistas, qui Deum in tria diversa lumina distinguebant, quæ nominibus Patris, Filii et Spiritus Sancti designabant: qua de re videndi Raimundus Martinus, Pet. Galatinus, Grotius *de Verit. Rel. C. Lib. V. c.* 21. *in Notis*, Ferretti, P. Berti Lib. VII. Gazzaniga T. 3. etc. Videant ergo Sociniani qui cum Judæis aciem struunt, quàm male in hanc doctrinam impetum facere moliantur. Regerunt tamen: nominum tantum, non personarum pluralitatem ac distinctionem in divinis admittendam, docet Christus *Jo. X.* cum ait: *Ego et Pater unum sumus:* et rursus C. XVI. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Cap. verò XIV. *Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* At hæc facile retunduntur. Nam cum ait Christus *Unum sumus*, manifeste id refert ad essentiam et potestatem, non verò ad personam; alioquin, quomodo esset ipse Filius, et ille Pater? Hinc præclare Augustinus Serm. XVI. de Verb. Domini: *Quod ait* Unum, *audiant Ariani: quod ait* sumus, *audiant Sabelliani, et nec illi æqualem, nec illi* alterum *negando sint vani*. Filius autem habet *omnia, quæcumque habet Pater*, omnem nempe divinam naturam, omnia

que attributa absoluta, quæ divinam essentiam constituunt: non verò habet relativa attributa, non habet nempe Paternitatem, sicut nec Pater Filiationem habet; nam paternitas nequit esse filiatio et vicissim. Denique non dicit Christus; se esse Patrem, sed in se Patrem quoque esse, ac in se videri; quod verum non esset, si a Patre neutiquam distingueretur. Hinc verba illa: *Ego in Patre et Pater in me est*, personarum indicant *circuminsessionem*, ut ajunt, quæ non tantum essentiæ significant unitatem, sed et personarum ad invicem inhabitationem, qua altera in altera est, omni confusione sublata; quæ mirificè catholicum dogma confirmant.

CLX. Instant præterea, Deum in Scripturis *unum et Patrem omnium* dici; quasi unica in divinis tantùm sit persona Patris. Verum adversarii falluntur et fallunt. Nam duplici significatione in Scripturis accipitur nomen Patris, vel nempe de paternitate illa immanente quæ in Deo est per relationem ad Filium, ut cum ait Christus, *Ego et Pater unum sumus*: vel de paternitate latius sumpta, quæ per creationem et providentiam ad homines se protendit, tribusque divinis personis communis est, ut cum ait Apostolus Ephes IV. *Unus Deus et Pater omnium*. Sed quid, ajunt, de ethnicorum et philosophorum silentio dicemus: quid de Porphyrio, Celso, Juliano, quibus si notum illud dogma fuisset, in suis scriptis adversus Christianam Religionem, illud certè Christifidelibus exprobrassent? Reponimus, mirum non fuisse, si dogma illud in vulgus ethnicorum sparsum non erat: Tunc enim vigebat disciplina arcani, qua

mysteria profanis occultabantur. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus Catech. VI. ajebat: *Non enim gentili cuiquam de Patre, Filio, et Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, nec palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus; sed multa sæpe loquimur occulta, ut fideles qui rem tenent, intelligant; et qui non tenent non lædantur*. Cum tamen opus erat, de his, ut vidimus, palam scribebant et loquebantur. Quanquam falsum est, nunquam ethnicos de hac doctrina non fuisse locutos. Nam Justinus Christianos purgat, quod iis objiceretur, Christum uti Deum adorare: Tertullianus refutat Praxeam, quod nostris opponeret polytheismum. Apud Origenem difficultates apparent a Celso contra Mysterium hoc excitatæ: Plinius junior *Epist. ad Trajan.* Christo uti Deo cultum præstitum non ignorabat. Demum non omittendus Lucianus ethnicus Dialogorum scriptor, sive quisquis est auctor Dialogi *Philopatridis* Hadriani Imp. ætate exarati, inter Luciani opera, in quo plura in hujus mysterii irrisionem impiè scripta occurrunt, et ubi Trypho quidam Christianus catechumenus inducitur exigens ut sibi per Trinitatem juretur: Postulat Crisius: *Per quem igitur tandem tibi vis jurem?* Cui Trypho respondet: *Per magnum regem natum Patris, et inde profectum Spiritum, Tria de uno, atque ex tribus Unum: hunc solum pro Numine habeto*. Quæ et Christianam fidem inter ethnicos divulgatam ostendunt, ac Joannis testimonium: *Et hi tres unum sunt*, ignotum eis non fuisse declarant. Cæterum probabile valde est, Porphyrium, Julianum aliosque non existimavisse, Christianos es-

se de hoc dogmate reprehendendos; quod Philosophi illius ætatis Philo, Amolius, Plotinus, eandem doctrinam, licet depravatam, ex Platone docerent.

CAPUT IV.

SS. TRINITATIS MYSTERIUM HUMANIS RATIOCINIIS IMPUGNARI NON POSSE OSTENDITUR.

CLXI. A Scripturis et a Traditione revicti animum non despondent præfracti hostes, et alio armorum genere pugnare gestiunt, rationibus nempe ab humano intellectu petitis. Incredibile dictu, quantum in his se jactitent argumentis, quæ mera esse sophismata philosophis prorsus indigna viri eruditi centies jam demonstraverant. Humanæ itaque rationis lumini adversari Mysterium hoc, non tantum Sociniani Crellius et Wolzogenius effutire audent, sed et Baylius ac Tolandus iis arrident, homines impuri, et omnis Religionis eversores. Quin Polycarpus Lyserus eo dementiæ processit, ut calculis mathematicis et algebrica methodo Trinitatis dogma evertisse præsumpserit, quem methodo itidem algebrica aliisque supputationibus initis revincere aggressus est Carpovius, qui licet in suis conatibus laudandus, frustraneis tamen laboribus uterque desudavit, cum non ea sit infinita Dei essentia ejusdemque proprietates, quæ calculis subjici, aut quantitatibus continuis et discretis attingi aut commensurari queant. Etiamsi ergo hoc mysterium rationem humanam longe superet, ipsi tamen rectæ rationi minimè repugnare posse

non difficulter ostenditur. Id manifestum fit cuiquam consideranti, rectæ rationis lumen participationem quandam esse supremæ illius rationis, quæ in Deo est, sive ut Angelicus loquitur, *est principiorum naturaliter notorum cognitio divinitus nobis indita*. Cum itaque *negare Deus seipsum non possit*, ut Apostolus habet 2. *ad Tim.* 2., inde consequitur, mysterium nullum a Deo revelatum sanæ rationi adversari posse. Egregiè propterea hanc regulam statuit S. Thomas 1. *Cont. Gentes C. VII. Quæcumque argumenta contra Fidei dogmata ponantur, hæc ex principiis primis naturæ inditis non rectè procedere constat; unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticæ; et sic ad ea solvenda locus relinquitur*. Quare in Concilio Lateran. V. Sess. VIII. statutum est: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus*.

CLXII. Quanto jure eam regulam decreverit OEcumenicum Lateranense V. modo innuere oportet. Nam licet ratio humana sensibus et phantasia perfectior sit, quorum species emendat sæpe ac regit; brevis tamen est ac limitibus circumscripta, ut naturalia omnia sive spiritualia sive corporea intelligere nequeat, imo nec seipsam plenè percipere: non omnia comperta habet substantiarum genera: ignorat intimas earum essentias, proprietates, vires: multoque minus possibilia omnia et compossibilia, vel quæ impossibilia sunt, explorata habet. Quare a Suprema Dei ratione ratio humana emendari et augeri potest, et

plurima eidem communicari, ad quæ hæc non pertingit. Potiori id jure de rebus divinis dicendum est; cum Dei essentiam, Sapientiam, proprietates, internæ actionis vim, potentiam ad externa et alia innumera comprehendere omninò non valeant creatæ mentes (N. LXXV.). Possunt ergo de his infinitæ veritates a Deo nobis communicari, quæ interea neque ratione metiri, nec ullo modo intelligere valeamus. Hæc nemo inficiari posset, nisi qui stultè universorum mensuram mentem suam esse velit. Hinc infertur, illas assertiones esse falsas, quæ positæ in uno gradu cognitionis ideis clarè perceptis adversantur: ut si quis pronunciet non esse corpora, aut non esse solida. Item si quis proferat, idem simul esse et non esse, is falsa profert. Rursus si quis asserat, quod manifestæ auctoritati divinæ est oppositum, id falsum sit, necesse est. Nam sicut claræ sensuum perceptiones in sensibilibus, et rationes claræ in intelligibilibus; ita et claræ Dei auctoritates in his quæ intellectum nostrum excedunt, veri criteria sunt. Inde quoque infertur, assertiones quæ de inferiori gradu cognitionis fiunt contra claras testificationes gradus superioris, esse falsas: ratio enim dictat minori rationi præstantiorem esse præferendam. Hinc ratio et mathematica evidentia plura sensuum et phantasiæ errata corrigit: Ac divina auctoritas corrigit, si quæ rationi repugnare videntur. Ut igitur geometra puerum deridet theoremata negantem quæ non assequitur: et metaphysicus rusticum supra sensus erigere se non valentem; ita ridiculus quoque est, qui ratione humana divinæ rationis Theoremata oppugnat. Non quod putemus,

veræ evidentiæ divinam auctoritatem unquam esse contrariam posse; sed ut percipiamus, putandam non esse veram humanæ rationis evidentiam, cujus hypothesibus Ratio divina refragetur: ut cum ex ideis corporum, aut quantitatum, quæ de his rebus naturalibus loquendo veræ sunt, ratiocinationem de divinis proprietatibus instituere conamur, ac Trinitatis dogma aut exponere aut impugnare. Nam ea Trinitas, quam ratio humana oppugnat, non est Catholicæ Ecclesiæ Trinitas: illam enim humana ratione metimur, eamque ex ideis corporeis et geometricis nobis confingimus; hæc vero humanis mentibus inaccessibilis est, ut comprehendi nequeat.

CLXIII. Sed hic nos aggrediuntur adversarii, ajuntque si ratio naturalis ea non possit attingere, nec solvere poterit, quæ contra illud mysterium opponuntur. Verum non descendit illatio; etsi enim Mysteria fidei rationis lumen excedant, non illud exsuperant objecta, quæ ex apparentibus, fallacibusque ratiunculis deducuntur. Inquiunt: rationem naturalem nullam sibi ideam hujus mysterii efformare posse; ut nullum propterea principium habeat, quo objecta dissolvat. Reponimus: quamvis claram distinctamque Trinitatis ideam efformare nobis non valeamus, tantam nihilominus cognitionem nobis suppeditat divina Revelatio, qua possimus difficultates ab impiis oppositas expedire. Nec instet Baylius: perspicuas esse difficultates utpote a ratione deductas: obscuras autem responsiones ab obscuris principiis petitas. Id enim falsò ab hoc sophista profertur; Non enim ex manifesta ratione, sed ex ratiociniis

fallacibus, aut ex falsa, quam sibi fingunt, Trinitatis notione objecta procedunt. Quid? Quod adversarii nonnullis axiomatibus abutuntur, quasi universalissima sint, nec unquam exceptionem patiantur; quæ talia tamen non sunt, nec in omnibus veritatum generibus locum habent; ut ostendunt Maupertuisius, et Riccatus de illo ex. g. axiomate: *Omne totum est sua parte majus*, quod sæpius locum non obtinet in illa specie magnitudinum, quæ cum sint maximæ aut minimæ, incomparabiles relatè evadunt: Item axioma, *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, non sustinetur, cum ab infinito ad finitum regressus fit. Non ergo adeo fidenter de sua evidentia adversarii præsumant, præsertim cum ab uno veritatum genere ad aliud genus transitum faciunt. Inde tamen inferri nequit, posse absurdum quodlibet suaderi. Certa enim adest regula, qua absurdum a possibili secernatur; et hæc est contradictio manifesta, quæ tam ad finita, quàm ad infinita protenditur: cum nempe affirmatur simul et negatur unum et idem de eadem re sub eadem ratione eodemque respectu considerata; juxta principium illud: *Non potest idem simul esse et non esse*; Quod et in Mysterio SS. Trinitatis plenè locum obtinet. Nam quod ajunt: Mysterium hoc illi principio adversari, quia Divinitas esset simul una et multiplex: ingenita in Patre, genita in filio: communicabilis secundum naturam, incommunicabilis secundum personam, et alia hujusmodi: hæc, inquam, facillimè diluuntur; quia de una quidem ac simplicissima re prædicantur; at verò secundum rationes

diversas; cum ea quæ de essentia et divinitate dicuntur, non enuncientur de personis, et vicissim. Contradictio autem est affirmatio et negatio unius de eodem secundum eandem rationem: Quæ hîc non occurrunt. Corruit etiam quod Lyserius argutabatur: sit, ajebat, tota divina substantia *mille;* si hæc sit tota in Patre, erit et ipse *mille;* et *mille* quoque in Filio, et in Spiritu Sancto: tunc autem *pars esset toti æqualis*, quod est absurdum. Quæ argutatio peccat duplici ex capite. 1. Ob falsam quam assumit analogiam inter creatam finitam quantitatem et essentiam Dei infinitam, inter quas dari nequit. Præterea jam diximus, mathematicos docuisse, axioma illud: *totum est sua parte majus;* deficere in illa magnitudinum specie, quæ cum sint maximæ aut minimæ relativè fiunt incomparabiles: potiori itaque jure nulla poterit analogia institui inter finitum, et infinitum absolutè. 2. Quia Trinitatem supponit veluti totum ex tribus partibus conflatum; atque ex falsa hypothesi illationem falsam ducit. Infinita enim Dei natura tota perfecta est, et una eademque ratione suæ plenitudinis in tribus Personis subsistit. Millenarius tamen numerus vestigium aliquod divinæ Trinitatis exhibere potest, quin ipse numerus multiplicetur, aut dividatur; nam complectitur principium, medium, et finem sive terminum, qui ab unitate procedendo generatur: medium intra principium et finem comprehensum ab utroque procedit; ita ut hæc trina relatio singulatim numerum universum pervadat, quin illum multiplicet, atque simul una ab alia distincta sit.

CLXIV. Et quidem hoc jam nobis revelato mysterio, non modo rectè dissolvi queunt objecta argumenta, sed pluribus etiam rationibus suaderi; ut etiamsi mentem creatam excedat, non desint tamen in creatis rebus exempla quibus quodammodo comprobetur. Quare S. Thomas inquirens 1. *P. q.* 45. *Art.* 7. Utrum in creaturis sit necesse inveniri Trinitatis vestigium, ut aliquo modo suam repræsentent causam, affirmat, in creaturis rationalibus eam repræsentationem inveniri per modum imaginis, in quantum est in eis verbum conceptum, et amor procedens in similitudinem processionum divinarum, quæ attenduntur secundum actus intellectus et voluntatis (N. CXLVI.) Addit in creaturis cæteris eam inveniri per modum vestigii, in quantum non repræsentant Trinitatis formam, sed *solam causalitatem caussæ*; nam quælibet creatura in suo esse subsistit, habet formam, et ordinem, juxta quod dicitur *Sapientiæ XI. Omnia fecisti in numero, pondere, et mensura*. Idem affirmat S. Augustinus *Lib. VI. de Trin. c. ult.* inquiens, in omni creatura vestigium extare Trinitatis secundum esse, speciem, et ordinem. Sed innumeræ sunt similitudines, quæ nobis ob oculos versantur, ut *ibid.* L. XIV. Augustinus: *Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hæc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Et Serm. I. c.* 3, scribit: *In sole tria sunt, et sicut videmus, separari non possunt, motus, splendor, et calor*. Quibus addenda perfectio ternarii numeri, cujus extat ordo in spirituum potentiis, in partibus temporis, in corporum

trina dimensione, in unaquaque re, quæ refertur ad principium, ad medium, et finem: et in qua inest trina perfectio, Unitas, Veritas, Bonitas. Ita figura omnium simplicissima triangulo æquilatero comprehenditur, et cubus triplici dimensione prorsus æquali exornatur, quæ relative inter se opponuntur. Demum non repugnat trium personarum eadem operatio, cum duorum quoque oculorum sit unus intuitus, duarum aurium unus auditus.

CLXV. Sed audienda sunt reliqua adversariorum sophismata. Ajunt 1. ex unitate naturæ Trinitatem aut tolli, aut confundi: Nam Pater est summus ille Deus, ut est etiam Filius, et Spiritus S. Erit ergo Spiritus S. Pater, et Pater filius: Non ergo personarum distinctio. Respondetur: hoc argumentum ex particularibus non concludere, ut Dialectici norunt; Nam medius terminus saltem una vice universaliter sumi debet. Ut ergo conficeret, ita foret disponendum: Pater est id omne, quod est Deus: Sed Filius est Deus: Ergo Pater est Filius. Sed major propositio falsa est; nam id omne quod est Deus absolutè et adæquatè sunt tres personæ divinæ in unitate essentiæ: Pater autem, quatenus Pater directè non est tota Trinitas; licet indirectè et implicitè dici possit, quod Pater sit ille Deus, qui in tribus personis subsistit. 2. Opponunt: Ubi tres personæ sint distinctæ, quarum quælibet Deus sit, ibi necessum foret, tres esse deos; quod impium est dicere. Reponitur: Id necessum foret, si divisa et multiplex in personis esset essentia: minimè verò quoties in tribus personis una et eadem sit individua et numerica divina Essentia.

In eo enim hujus mysterii ratio sita est, ut in tribus hypostasibus eadem insit essentia, ita ut Pater gignendo Filium non aliam et a se decisam divinitatem, sed suam propriam ac indivisam naturam divinam Filio communicet, eandemque Pater ac Filius Spiritui S. quæ proinde multiplicatis personis, non multiplicatur. Sed 3. instat Lyserius : In Patre est tota essentia divina, eademque tota in Filio, et in Spiritu S. Sed Pater non est Filius etc: Dantur ergo tres essentiæ divinæ. Resp. Darentur utique, si in iis eadem et singularis non inesset divina essentia. Quanquam ergo Pater non sit Filius, aut Spiritus S. non sunt tamen tres esseutiæ; cum Pater quantum ad essentiam sit idem numericè cum Filio et Sancto Spiritu, licet quantum ad personam idem non sint. Superest ergo, ut demonstretur, infinitam Dei essentiam in tribus personis subsistere non posse; quod non demonstrabitur unquam. 4. Subjungit Crellius: Non posse unius substantiæ plures esse personas; sicut nec plures formas; cum per formam res id sit. quod est, eaque detracta res non remaneat eadem: At si ejusdem rei duæ possent esse formæ et subsistentiæ, una detracta res tamen eadem remaneret, ex. g. detracta subsistentia Filii, eadem divina essentia superesset; quod repugnat. Nequeunt ergo in divinis tres esse personæ. Cui reponimus, ejusdem rei esse quidem non posse plures formas *adæquatas et absolutas*, id est ejusdem rationis, muneris, aut officii, quarum nempe una præstet idem quod alia, ut essent in homine duæ *rationalitates*: At minimè pugnat, plures esse formas *inadæquatas et relativas*, diversi nempe mune-

ris atque ordinis, ut tres sunt subsistentiæ divinæ, quarum nec una ratio, nec unum munus est. Licet enim in una veluti universa subsistentiæ ratione conveniant, tamen inter se se distinguuntur, cum aliud aliudve sit uniuscujusque munus, nam subsistentia Patris Patrem constituit, et a Filio distinguit, sic vicissim. Hypothesis autem illa de subsistentia Filii a Trinitate distracta, monstrum quoddam est; cum nulla subsistentia ab alia divulsa confingi possit. Sunt enim *relativæ proprietates*, quarum una sine altera nec esse, neque concipi queunt (V. N. CXLVII.)

CLXVI. Pergunt adversarii alias jactare fallacias, ut ex communi axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; subjungant: sed divinæ personæ idem sunt cum essentia divina; sunt igitur idem inter se, ut ab invicem distingui nequeant. Quo argumento triumphum canunt, licet merum sit sophisma jamdudum a S. Thoma solutum *P. P. q.* 28. *a* 3. *ad* 1. Distinguitur ergo axiomatis sensus: Quæ sunt eadem uni tertio secundum omnem rationem, ea inter se sunt idem, concedimus: Quæ sunt eadem uni tertio secundum certam quandam rationem, et tantum inadæquate, differunt autem secundum rationem aliquam, ea sunt eadem omninò inter se, est id quod negamus. Exemplo res declaratur: *tunica*, et *indumentum* sunt idem secundum omnem rationem, cum rem omnino eandem significent: ita *Lucius*, *Annæus*, *Seneca* tria sunt nomina quæ ad eandem prorsus personam referuntur; sed Actio et Passio non sunt idem secundum omnem rationem, quia licet idem sint cum motu, hujusmodi motus differunt ta-

men secundum diversos respectus. Ita licet *Paternitas* sit idem secundum se cum Divina Essentia, atque ita *Filiatio*, tamen hæc duo in suis propriis rationibus oppositos respectus habent, ut distinguantur oporteat. Ut autem clarius intelligatur objectum, alio ulterius modo distinguitur: Quæ sunt idem cum uno tertio, idem sunt inter se in iis, in quibus conveniunt cum illo tertio, ex. g. in longitudine; id quidem admittitur: in iis autem in quibus non conveniunt, ut si non conveniant in latitudine, in pondere etc. rejicitur; et jure quidem, cum assertio non esset de eadem re sub eadem ratione considerata. Itaque cum Personæ divinæ cum divina essentia conveniant, sunt quidem cum eadem divina essentia unum et idem: sed cum non conveniant ratione *personalitatis*, dici nequit, divinas personas in ea identificari, sive idem esse: Pater enim divinam quidem habet naturam, sed non absolutè sive adæquatè sumptam ac secundum totam suam amplitudinem sive secundum omnes internas relationes; sed eam habet tantum sub aliquo respectu, scilicet quatenus affecta est *Paternitate*; atque ita de Filio, ac Spiritu Sancto dicendum. Hinc solvitur paralogismus quo Sabelliani olim abutebantur: ajebant enim: Pater est Deus, Filius est Deus; ergo Pater est Filius. In eo enim ambiguitas latet, quod cum dicerent, *Pater est Deus*, vocem *Deus* sumebant adæquatè et secundum respectus omnes, nempe quatenus Deus est *Pater, Filius, et Spiritus S.* cum sumenda sit inadæquatè et relativè, prout nempe est singularis persona divina Patris, quæ a Filio distinguitur. Peccat ergo argumentum

contra syllogismorum regulas, juxta quas medius terminus nequit latius sumi in conclusione ac sumptus in præmissis fuerit. Ut ergo concluderet, ita deberet institui „ Pater est id omne quod est in Deo, sive est Pater simul et Filius et Spiritus S. Ergo Pater est etiam Filius „ sed falsum est antecedens, ut nemo non videt. 2. Instant Sociniani : Misericordia et Justitia Dei licet ratione differant, cum tamen idem sint cum divina essentia, etiam inter se sunt unum; atque ita divinæ Personæ. Sed discrimen est, quod hæe et alia divina attributa ratione nostra, aut relatè ad effectus externos differunt inter se; at in Deo sibi invicem non opponuntur, (N. L.) ut Personæ divinæ, quarum relativa opposito realem requirit distinctionem, cum nihil ad seipsum referri possit. Nec dicant, responsum hoc esse petitionem principii; non enim Mysterium hoc ope rationis demonstramus, sed certum habemus per divinam revelationem; ac tantum ostendimus, nihil ex recta ratione produci, quod illi adversetur.

CLXVII. 3. Ajunt rursus: Personæ divinæ deberent esse infinitè perfectæ; essent ergo tres infinitæ divinæ naturæ; quod est absurdum. Dicimus, divinas Personas *reduplicative* sumptas, sive uti personæ sunt, esse infinitas in genere *relativo*, non in genere *absoluto*. Ita Pater, ut Pater est, omnes habet possibiles perfectiones, quæ paternitati conveniunt, ut esse non possit, nisi unus Deus Pater: non autem perfectiones habet quæ competunt Filio ejus, ut Filius est; alioquin Pater esset etiam Filius, quod repugnat. Quare præter personam Patris debet esse alia distincta

Filii persona. Divina autem natura cum infinita sit in genere absoluto, omnem debet possibilem perfectionem complecti; unde repugnat, ut plures sint divinæ naturæ. 4. Subdunt adversarii: Si ita esset, una persona careret perfectione alterius, ut non esset infinitè perfecta. Cui difficultati duplici via occurritur. 1. Quod una persona *reduplicative*, ut persona, alterius perfectione *immediatè* careret: non autem *mediate*, et ratione naturæ, qua Deus est. Pater quidem ut Pater est, filiationem non habet, nec vicissim Filius Paternitatem; at quia uterque eandem habet divinam essentiam, quæ realiter ab ipsis non distinguitur; hinc Pater mediante natura divina etiam Filii et Spiritus S. perfectiones habet. Licet ergo falsa hæc propositio sit: *Pater est Filius*: hæ tamen veræ sunt: *Pater est ille Deus, qui Filius est*: *Filius est idem Deus, qui Pater*: ajebat enim Christus *Joann. XIV.* 10. *Ego in Patre, et Pater in me est*. Id verò propter mutuam *circuminsessionem*, qua unaquæque persona est in duabus aliis; ut mox dicturi sumus. 2. respondent alii, *relationes* illas non in se perfectiones esse; quæ licet personas distinguant, non eis tamen peculiares tribuunt perfectiones: alii demum has relativas perfectiones æquivalentes ponunt, ut Paternitas, Filiatio etc. ejusdem sint perfectionis, atque æquales. 5. Regerunt ulterius: Persona *est naturæ rationalis individua substantia*; multiplicatis ergo personis, multiplicantur substantiæ. Sed et persona reddit substantiam alteri incommunicabilem. Cui respondetur; vocem substantiæ hîc esse accipiendam pro *subsistentia* sive persona, ut patet. Per-

sona verò, ut persona est, ac in sua linea, est incommunicabilis; unde *relatio paternitatis* non communicatur filio. Natura tamen, ut natura est, tribus personis communicatur. Itaque filius eandem accipit Patris naturam, non vero paternitatem. Nec quisquam hìc abuti debet creaturarum exemplis, quæ cum finitæ sint, earum natura pluribus communicari nequit; At Dei natura est absolutè infinita, quæ licet pluribus formis et subsistentiis absolutis et adæquatis terminari nequeat, potest tamen affici pluribus relativis et inadæquatis, ut dictum est. Nec refert, quod natura Dei sit singularis; talis enim est, ut nequeat multiplicari, non ut communicari non possit. Nec demum tres personæ cum divina essentia constituunt quaternitatem; cum essentia divina a personis realiter non distinguatur, ut hinc neqneat constituere quaternitatem. Hæc autem ex iis quæ dicenda sunt, clariora fient. Interim patet, quam frustra ac temere nec non impiè in hoc Mysterio impugnando adlaboraverint Crellius, Lyserius, Wolzogenius et increduli reliqui.

CAPUT V.

AD HUJUS MYSTERII INTELLIGENTIAM DE DIVINIS PROCESSIONIBUS ET RELATIONIBUS AGITUR.

[illegible]LXVIII. Altissimum hoc Trinitatis Mysterium [illegible] Christifidelibus venerandum magis, quam cu[illegible]expendendum fuerat, plures antiquitus et recenter hostes invenit, qui plus æquo ingenio suo indul-

gentes novos semper contra catholicam veritatem errores peperere. Ut his ex adverso starent doctores Catholici plura dicere coacti sunt, ut et revincerent hæreses, et certum determinarent loquendi modum ad errores præcavendos, et ad ipsam Mysterii veritatem, prout ea in sacris Literis edocetur, declarandam. Sed et hanc ipsam loquendi rationem nonnullorum morositatem excitasse novimus, inter quos Petrus Fayditius et Placidus Sturmer recensentur, qui editis opusculis Scholasticos et ipsum Scholasticorum Principem D. Thomam indignis exagitant modis, quasi Mysterium hoc novis vocibus deturparint. Verum licet scholastici quidam a certis phrasibus temperare potuerint, quas tamen adhibet S. Thomas, eæ adeo sunt aptæ et ad rem explicandam accommodatæ, ut sine detrimento Theologicæ scientiæ rejici nec possint, nec debeant. Nam quamquam in Sacris Literis quantum ad verborum sonum non occurrant, adsunt tamen quantum ad rem ipsam ut fastidiosi critici non intellexerint, multa fuisse diligentius postea et subtilius inquisita, quæ ad hæreticorum fraudes et artes dissolvendas novas voces, novaque nomina postulabant. Sed, quod mireris, Fayditius dum indecorè scholasticos exagitat, et rem alia via aggredi conatur, in absurdum tritheistarum errorem labitur, quod non raro aliis contingit, qui receptam phraseologiam sequi fastidiunt. De Processionibus divinis itaque 1. acturi advertimus, *processionis* nomine hîc significari, *Originem unius ab alio*; quæ duplex co[illegible]tur, alia *ad extra*, quæ *transiens* dicitur, [illegible] nempe effectus sive terminus extra suam causam posi-

tus est: ita creaturæ a Deo procedunt: ita in humanis filius exit a patre. Alia est *processio ad intra*, qua aliquid oritur ab alio intra ipsum manens, uti sunt personarum divinarum processiones, quarum exemplum S. Thomas contemplatur in intellectu creato, cujus actio, nempe intelligere, manet in intelligente; ex quo enim intelligit, procedit aliquid intra ipsum; quod est conceptio rei intellectæ, et dicitur *verbum cordis*, quod significatur *verbo* vocis. Processiones itaque divinæ sunt veræ et propriè dictæ actiones immanentes et vitales, cum producant personas subsistentes, quæ per veram actionem produci debent. Hoc autem nomen de utriusque personæ productione modo accipitur, quamvis de Spiritus Sancti persona dici consueverit. Errores verò Sabellii et Arii inde orti sunt, quod uterque, explosa omni processione *ad intra*, processiones dumtaxat *ad extra* agnoscere voluerint.

CLXIX. At confitendas esse processiones *ad intra* fidei dogma est, quod Scripturæ apertè testantur. Nam *Joan. VII.* 29. ait Christus: *Ego scio Patrem, quia ab ipso sum*. Et c. VIII. 42. *Ego ex Patre processi*. De Spiritu S. habetur *Joan. XV.* 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Quæ et alia semper Ecclesia de processionibus ad intra et immanentibus intellexit, et contra hæreticos definivit. Atque ita quidem sit necesse est. Cum enim Revelatio doceat in Deo esse Filium et Spiritum Sanctum, has personas necesse est verè a Patre uti ab uno Principio oriri: Nam si essent ex seipsis, vel

nulla adesset inter eas distinctio, cum ablata esset inter eas relativa oppositio, qua sola invicem distinguuntur: vel discernerentur ex perfectionibus absolutis, et tunc plures essent dii; quod absurdum esse nemo non novit. Hanc personarum processionem, quam Græci Patres προβολην appellabant, licet eam in sensu Valentinianorum rejicerent (N.LXII.), juxta catholicam doctrinam omnes admisisse constat. Recensentur autem plures harum processionum proprietates; et 1. quod sint immanentes, id est illarum termini intra sua principia maneant. 2. subsistentes. 3. æternæ. 4. necessariæ, 5. metaphysicæ, sive mutabilitatis, dependentiæ et imperfectionis expertes, ut processio nil importet aliud, quam originem unius personæ ab alia. Inanem igitur operam ludunt adversarii cum ajunt, quod, admissis processionibus, personæ incepissent esse cum antea non fuissent, et quod in his conciperetur prius et posterius; quæ earum æternitati adversantur. Nam hi defectus sunt eorum quæ procedunt in tempore, non eorum quæ procedunt ab æterno per actiones immanentes et necessarias. Quare si concipiamus solem fuisse ab æterno, intelligemus quoque radium effluere a sole ab æterno, ut habeat quidem a sole originem, non verò temporis initium. Hinc neque necesse est, ut una persona sit prior altera, quod non tempore, sed *origine* tantum et *ordine* id fieri, a nobis concipiendum est. Quod si dicant: inde sequi, has processiones, cum nullum initium agnoscant, nullum etiam modò finem habere, ut nondum personæ divinæ productæ sint. Respondendum: Semper quidem personas procedere

sed actione immanente, quæ nunquam transeat; personas tamen ab æterno esse productas. Cui doctrinæ et Scripturæ et Patres assentiuntur; ut cum *Psalmo* 2. de filii generatione dicitur a Patre: *Filius meus es tu: ego hodie genui te:* ubi *hodie* præsens tempus, *genui* jamdiu elapsum designat: Ita Augustinus et *Filium Dei esse natum*, et *nasci sine fine*, pronuntiat. Instant rursus: Si id esset, personæ procedentes dependerent ab alio, nec essent a seipsis, ut essent imperfectæ. Non tamen id omninò consequitur: Nam personæ sunt dependentes quæ procedunt per distinctam essentiam ab alio, non verò quæ ab alio procedunt sibi coessentiali. Communicatur igitur essentia in divinis, at non propterea essentia Filii procedit a Patre; quia essentia tunc procederet a seipsa, quod esse nequit. Personæ itaque procedunt eandem recipiendo numerò essentiam, quæ est independens. Quocirca personæ procedentes, licet ratione personæ non sint a se, sunt tamen a se ratione naturæ, quæ in singulis eadem est. Nec Pater Filium generans *causa* illius dicendus est, sed *principium*; nam causa non suum, sed *esse* diversum impertitur effectui; quare si causæ nomen aliquando adhibitum est, non nisi lato sensu usurpatum accipi debet. Hinc persona communicans non fit altera prior natura aut tempore, sed ordine dumtaxat atque origine; natura enim est eadem in omnibus personis numerò, atque æterna; ita ut nec ulla major perfectio in una reluceat quam in alia, cum illa naturæ communicatio libera non sit, sed fiat per necessariam naturæ emanationem; unde etiam fit, quod Filius a Patre sine ulla dependentia

et subjectione procedat, atque ita ab utroque Spiritus Sanctus.

CLXX. Inde juxta doctrinam Catholicam consequitur, duas esse tantummodo divinas Processiones, Filii nempe a Patre, et Spiritus S. a Patre et Filio. Revera ex ea doctrina constat, tres tantùm divinas esse Personas, pro quibus duæ processiones requiruntur. Ut enim advertit S. Thomas 1. *p. q.* 27. *a* 3. tot in Deo debent esse processiones quot sunt actiones ad *intra*. Duæ autem in Deo actiones sunt, intelligendi nempe et volendi; duplex ergo debet etiam esse processio altera per intellectum, altera per voluntatem. Nec refert, quod in Deo hæ duæ facultates *realiter* non distinguantur; nam sufficit distingui *virtualiter*, in quantum actus, qui inde procedunt, se habent secundum quendam ordinem: non enim est processio Amoris nisi in ordinem ad processionem Verbi; cum nil possit voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum. Et hoc satis est, ut habeantur duo termini subsistentes a se invicem et a Patre distincti propter mutuam relationem eorundem. Hæ autem relationes non solo numero differunt, etiamsi ratio differentiæ explorata omninò non sit. Quod itaque opponi solet, unica nempe processione totam divinam naturam communicari, ut alia processione nihil supersit communicandum; resolvitur respondendo, unica processione communicari quidem totam, sed in uno tantùm ordine nempe per intellectum, ut alio ordine communicetur per voluntatem. Hinc licet una processio sit infinita, divinam non exhaurit fœcunditatem nisi in suo genere, non verò in alio genere; quapro-

pter licet esse nequeat, nisi una generatio; præter generationem Filii superest tamen alia processio, spiratio nempe Spiritus Sancti: quæ processiones sive earum termini, nempe personæ, sunt quidem infinitæ in omni genere, non tamen vi processionis, sed ratione essentiæ, quæ est absolutè infinita. Ajunt alii: Positis duabus in Deo processionibus, aliæ quoque poni deberent: nam Filius et Spiritus S. cum polleant intellectu et voluntate, alios terminos producent; atque ita in infinitum. Verum Divina revelatio duas tantum processiones docet. Qua de re aliqua reddi ratio potest: nam cum una essentia sit in tribus personis, ita unus est intellectus et una voluntas: sicut itaque intellectus divini infinita virtus tota exeritur, ut ita dicamus, in Verbi generatione; ita divinæ voluntatis fœcunditas in Spiritus S productione exhauritur. Nec propterea, si hæ duæ personæ *reduplicativè* sumptæ ea carent virtute, sunt ea destitutæ absolutè, ac participando naturam ob quam una persona aliarum possidet proprietates, si non *formaliter*, quod esse nequit, saltem *eminenter*, quatenus identificatur cum essentia divina, per quam continet aliarum perfectiones omni modo possibili. Quod ergo esse nequeant aliæ personæ h oc ad earumdem perfectionem pertinet, qua unicæ sunt ac infinitæ. Hinc ratio patet, cur divina attributa totidem non constituant processiones; ea enim ad essentiam pertinent absolutè sumptam, communicanturque cum singulis personis, ut inter se realiter non distinguantur. In processionibus divinis dignoscendum est principium *Quod*, et est persona quæ actionem exerit,

cum *actiones sint suppositorum*, ut ajunt: et principium *Quo*, et hoc est virtus qua persona operatur. Hic demum quæri solet: Cur Verbi divini processio, non autem Spiritus Sancti, generatio dicenda sit? Et respondendum; difficile admodum esse hujus discriminis rationem dare; sed fide catholica tenendum, processionem filii veram esse generationem, de qua dicit Deus Pater: *Ante Luciferum genui te*, et alio in loco: *Ego hodie genui te*. Itaque Joannes C, I. ait: *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris*. De Spiritu Sancto autem id nullibi dicitur: sed, *Spiritus, qui a Patre Filioque procedit*. Censet S. Thomas 1. p. q. 27. a 3. totum discrimen esse in modo. Modus enim processionis Filii per intellectum est *assimilativus*; nam res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; cum verò omne generans generet sibi simile, hæc processio dicitur *filius*. At modus processionis Spiritus S. est per voluntatem, cujus terminus sit unio, seu motio in aliud, non naturæ similitudo.

CLXXI. De Relationibus divinis modo quædam declaranda sunt. Præmonendum autem est, perdifficilia hic a Theologis attingi, quæque cujusvis ingenii aciem fugiunt, ut hinc hæretici occasionem arripiant Catholicos insimulandi, quod temerè ea explicare nitantur, quæ S. Patres, utpote ineffabilia, adoranda potius, quam exponenda esse censuerant. Chrysostomus ex. g. *Orat. 1. de incomp. Dei natura* habet: *Scio ipsum genuisse Filium, quomodo autem ignoro: Novi Spiritum ex ipso esse, quomodo autem ex ipso sit nescio . . . Quæ quotidie videmus, ignoramus tamen, et Dei substantiam curiosè scrutamur?* Ambro-

sius verò *Lib.* 1. *de Fide C. X.* ajebat: *Mihi impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet*. Verum Patres prudenter cum hæreticis decertando multa prætereunda esse censebant, quæ non pertinerent ad fidei dogmata, ut est modus et differentia processionum. Nam subdoli hæretici curiosas proponendo quæstiones conabantur Patres a proposito scopo dimovere, quorum argutis ac temerariis quæsitis unicam dabant responsionem, retundendam nempe esse omnem curiositatem et Scripturis fidendum, quæ luculenter tradunt, tres in Deo esse divinas personas, quarum prima ingenita sit, altera a prima genita, tertia ab utraque procedens. At cum exponere doctrinam catholicam opus erat, id naviter exequebantur. Recentiores autem hæretici nollent hæc a Theologis, quantum fas est, declarari, quo in hoc mysterium possint grassari impunè. Itaque Patrum vestigiis inhærentes de Relationibus scitu necessaria percurremus, præter ea, quæ supra dicta sunt (N. CXLV.) Relatio ergo generatim est *Ordo, seu habitudo unius ad aliud;* ad quam tria requiruntur, *subjectum, terminus,* et *fundamentum*. Subjectum est res quæ ad aliam refertur: terminus est res ad quam refertur subjectum relationis: fundamentum est ratio ob quam subjectum refertur ad terminum. Ita in divinis Pater est subjectum: Filius est terminus: generatio est fundamentum relationis propter quod Pater ordinem habet ad Filium.

CLXXII. Quatuor interim agnoscendæ sunt in Deo *Relationes originis*, quæ tales dicuntur quia fundantur in origine seu processione unius personæ ab

alia: quarum tres *Paternitatem* nempe, *Filiationem*, et *Spirationem passivam* realiter a se invicem distingui est fidei dogma adversus Sabellianos: *Spiratio* enim *activa* realiter a Paternitate ac Filiatione non distinguitur, ut infra patebit, (Conf. N. CXLV. CXLVI.). Iam verò has Relationes originis *realiter* esse in personis Divinis ita ostendit S. Thomas 1. p. q. 28. a. 1: Pater non dicitur nisi a Paternitate, et Filius a Filiatione; si paternitas igitur et filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantùm, quod est hæresis Sabellii = Revera cum personæ divinæ distingui nequeant per aliquod prædicatum absolutum, sed per proprietates tantùm relativas (attributa enim absoluta, ut sapientia, potentia, bonitas etc. personis singulis communia sunt); talis erit distinctio personarum, quales sunt relationes: realis erit nempe distinctio, si relationes reales sunt; et virtualis sive rationis, si relationes fuerint solùm a mente nostra confictæ. Hoc autem postremum dici nequit. Hinc in Florentino Concilio *Sess. XVIII.* agnitum est, quod *secundum Doctores cum Græcos tum Latinos sola relatio est, quæ personas multiplicat. Nam in Divinis omnia sunt unum ubi relationis non obviat oppositio.* Sapienter igitur a Boetio dictum fuit *De Trin. in fine: Substantia in divinis continet unitatem: Relatio multiplicat Trinitatem.* In quo Patres concordant universi, ut apud Patavium videre est *De Trin.* l. 4. c. 9. Quare S. Anselmus *De process. Sp. S.* c. XI. ait: *Relationis oppositio prohibet, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum de*

se invicem dici. Et Basilius: *Commune est Deitas, proprium est paternitas*. Augustinus etiam *De Trin. L.* v. Arianis objicientibus = Quidquid de Deo dicitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur: diversum est autem, ingenitum esse, et genitum; est ergo diversa substantia patris et filii = Cui cavillationi respondet *Cap. v. In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur ... nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur; dicitur enim aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem ... quæ non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen non est accidens, cum mutabile non sit*. Oportet ergo ut hæc relata confiteamur, sine quibus hoc Mysterium defendi non posset. Hæ relationes itaque nil sunt aliud, quam ipsa divina substantia relativè accepta, et prout varios respectus habet.

CLXXIII. Quædam supersunt resolvenda: inquiunt enim, quod possit Deus esse pater, quin realiter ad Filium referatur, sicuti est creator et dominus, quin ad creaturas realem habeat relationem: ut hinc personæ esse possint absque eo quod ad invicem referantur. Hoc tamen falsum evincitur, si distinctio fiat cum S. Thoma *ib. q. XIII. a.* 7. inter relationes, quæ sunt inter duo extrema ejusdem ordinis, et illas diversi ordinis; quarum primæ sunt reales ex utraque parte, non item aliæ, qualis esset relatio dexteræ hominis erga columnam, quæ in homine realis esset, non in columna. *Cum itaque Deus sit extra totum ordinem creaturæ, et omnes creaturæ ordinentur ad ipsum, non e converso; manifestum est, quod*

creaturæ realiter referuntur ad ipsum Deum ; sed in Deo non est aliqua realis relatio ejus ad creaturas, sed secundum rationem tantùm , in quantum creaturæ referuntur ad ipsum. Non itaque eadem est relatio inter divinas personas, atque Dei ad creaturas: prior mutua est, cum extrema sint ejusdem ordinis: altera non item cum extrema sint ordinis diversi. Nec inde sequitur, Deum non realiter esse Dominum, cum ad hoc sufficiat, quod creaturæ ei realiter referantur, eidemque subjectæ sint. Ita cum Verbum divinum sit ordinis altioris quàm Virgo Maria, non potuit relatione reali ad ipsam referri; aliàs in sua Incarnatione aliquid de novo acquisivisset, quod repugnat. Tunc ergo sicut tota mutatio in natura humana in consortium divinitatis assumpta, facta est; ita relatio tota realis est in Maria, quæ verè facta est Dei mater; et in divina persona relatio rationis, non autem mutua, est agnoscenda. Quod autem ajunt, relationes non constituere personas, sed illis jam existentibus advenire; verum id est in creaturis, in quibus relatio accidens est, non verò in divinis personis in quibus relatio idem est cum essentia divina. Falleremur certè si relationes conciperemus veluti formas divinæ essentiæ advenientes, cum non nisi per mentem nostram ab ea distinguantur, sint verò inter se realiter distinctæ. Nec inde ulla oritur dependentia, ut in humanis effectus pendet a causa. Est enim hæc relatio *originis* et *principii*, quæ mutuam et necessariam terminorum exigit coexistentiam. Non sequitur præterea, personam esse aliud quippiam ab alio, ut damnatum est in Concilio Lateran. IV. Nam relatio

in divinis est ordo unius ad aliam, et *non unius ad aliud*, quæ est definitio generica relationis, non autem specialis divinarum relationum. Neutrum enim genus essentiam significat: masculinum aut fœmininum personam denotat determinatam, sive suppositum. Cur verò quatuor tantùm relationes in Deo sint, ratio jam data est, quod in eo duæ tantum sint processiones, una per intellectum, altera per voluntatem, quæ mutuos respectus habent: at non inde sequitur quatuor constituere personas, quia *Spiratio activa*, qua Spiritus S. a Patre Filioque procedit, ab his duabus personis realiter non distinguitur, sed virtualiter dumtaxat, ut propterea personam ab eis distinctam non constituat. Adsunt etiam in Deo relationes *æqualitatis, identitatis*, et aliæ, quæ cum sint tribus personis communes, nec sibi opponantur, nullam quoque distinctionem inducunt. Consideratur quoque relatio in conceptu *in*, et in conceptu *ad*, quæ duplicem respectum significat. Prior respicit subjectum *in quo est*, ut est *paternitas* in Patre: altera respicit terminum sibi correlatum; ut nempe Pater refertur *ad Filium*. In priori conceptu proculdubio reales sunt, cum idem sint cum divina essentia a qua non distinguuntur; sed etiam reales habentur sub conceptu *ad*, cum realem efficiant personarum distinctionem. Inde sequitur, has personarum relationes esse perfectiones in Deo *simpliciter simplices*, cum idem sint cum divina essentia; et in personis, in quibus insunt, adorandæ sunt, ut constat Ecclesiæ auctoritate in Præfatione valde antiqua de SS. Trinitate, in qua canitur: *Ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas*.

CAPUT VI.

DE PERSONIS DIVINIS, EARUMDEMQUE SIGNIFICATIONE.

CLXXIV. Personæ vocabulum, quod non rarò ad rationale individuum significandum a Latinis adhibitum est, atque etiam ad conditionem, munus, dignitatem ac auctoritatem alicujus indicandam, græcè προσωπον dicitur, atque speciem exprimit, sive id, quod ante oculos obversatur. Videatur hujus etymon apud Vossium in *Etymol*. Tullius quendam se pacificè gerentem *pacificam personam* vocavit, ac dixit, *tueri personam principis*, pro defendere principis dignitatem. Apostolus 2. *Cor*. 2. hac voce usus est pro designanda Christi auctoritate, ubi ait: *Et si ego quid donavi, propter vos, in persona Christi*. Rectè adnotat ergo S. Thomas 1. *p*. *q*. 29. *a* 3. nomen personæ dignitatem significare: persona, inquit, signifi. cat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet in rationali natura subsistens. Unde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen *persona* de Deo dicatur: non tamen eo modo quo dicitur de creaturis, sed excellentiori modo, sicut et alia nomina, quæ creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur = Etsi ergo ad Patrem Filium et Spiritum S. denotandum ea vox in Sacris Literis non adhibeatur, tamen cum ea significentur nobiliores creaturæ intelligentia et ratio-

ne donatæ, convenienter de Deo Ente intelligentissimo dicitur, maximè cum a Scripturarum usu non sit aliena. Itaque Augustinus *L. VII. de Trin. c. 4.* ajebat: *Licuit loquendi ac disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Vox ergo isthæc a primis usque temporibus ab Ecclesia adhibita et consecrata nequit in hæreticorum reprehensionem incurrere. Conferatur divinæ Personæ definitio supra tradita (N. CXLVII.) Quamvis igitur hoc nomen *persona*, ait S. Thomas *ibid. non conveniat Deo* quantum ad id, a quo impositum est nomen; tamen quantum ad id, ad quod significandum imponitur, maximè Deo convenit.... Nam persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Et quia magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona. Sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem; et secundum hoc maximè competit Deo nomen Personæ. =

CLXXV. Vocabulum *subsistentiæ* propriè significat peculiarem exsistendi modum, quò constituitur persona prorsus individua, nec alteri *communicabilis* (Conf. N. CXLVII.). Olim hæc vox in *concreto* fuit adhibita pro ipsa divina essentia relationibus affecta. At modo in *abstracto* accipitur, pro ipsa scilicet *personalitate*, sive pro forma, qua res subsistens dicitur; Quare in Deo tres subsistentiæ sunt, ut S. Cyrillus *l. 3 de Trin.* ajebat: *Deitatis natura in tribus subsistentiis propriè subsistit*. Subsistentiæ itaque et hypostaseos nomine proprietatem personalem, non Dei naturam significari consentiunt omnes; nam hypostasis

est proprius existendi modus, quo persona redditur plenè individua, nec Naturæ divinæ aliud addit præter ordinem relationis. Sed has subsistentias sive personalitates consistere in aliquo *positivo* seu reali, nemo inficiari posset; alioquin Christi humanitas fuisset unita meræ negationi, cum Verbi personæ conjuncta est. *Constitutivum materiale*, ut ajunt, personalitatum esse ipsam divinam naturam, ut ea quæ est de se indifferens ad unam vel aliam personam constituendam, datur ab omnibus. Circa verò *constitutivum formale* earundem, illud non esse *in rationibus absolutis* considerandum, sed *in relativis*, communis est cum S. Thoma sententia. Nam S. Augustinus *Tract.* 39. *in Joan.* loquens de personis divinis ait: *Hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt.* Cum ergo per Augustinum relatio constituat numericam personarum distinctionem, jam relatio erit formale constitutivum earundem. Idem S. Doctor *Epist.* 170: *Quis non videat*, inquit, *hæc vocabula* (Patris et Filii) *non in se ipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum significare personas?* Quod et ratione ostenditur: Nam persona divina *formaliter*, sive in se ipsa, constitui nequit per id quod est tribus personis commune, id est non per absolutum aliquod: At in divinis nihil est aliud nisi absolutum et relativum; si non itaque per absolutum, constituitur ergo per relativum. Illorum igitur opinio repudianda est, qui hoc nomen *persona* absolutum ac divinam essentiam significare putabant, uti vox *Deus*; alioquin dicere non liceret, tres esse divinas personas, nec cum Ecclesia canere: *Alia est persona Patris*,

alia Filii, *alia Spiritus Sancti*, quin tres divinæ essentiæ ponerentur; quod est absurdum. Certum itaque ratumque est eo *personæ* vocabulo, tum divinam essentiam tum relationem significari; cum sit nomen concretum sive ex duobus compositum, quorum unum subjecti vices gerit, alterum formæ, divina essentia instar subjecti concipitur, proprietas relativa concipitur quasi forma, ut intelligamus personam Patris ex divina essentia ac paternitate constitui; etiamsi nulla in Deo ponenda sit compositio (N. LII.), sed per mentem nostram concipi tantùm possit. Definitum enim est in Concilio Senonensi contra Petrum Abaëlardum, *Personas divinas nullo modo esse compositas*. *Ut ergo Deitas est Deus*, ait S. Thomas, *ita paternitas divina est Deus Pater*. Hinc S. Doctor *ib. q.* 40. *a.* 1. quærens, *utrum Relatio sit idem, quod persona?* affirmative respondet; *quia in divinis non differunt quod est, et quo est*, ut ait *Boetius*: *sed pater paternitate est pater; ergo pater idem est, quod paternitas: et eadem ratione aliæ proprietates idem sunt cum personis .... Quidam dixerunt, relationes esse assistentes .... Sed quia relatio, secundum quod est quædam res in divinis, est ipsa essentia, essentia autem idem est, quod persona, ut dictum est; oportet, quod tunc relatio sit idem quod persona, ... Unde etiam oportet dicere has relationes sive proprietates esse in personis, et eas tamen esse personas, ut invicem identificentur: sicut essentiam esse in Deo dicimus, quæ tamen est Deus*. Itaque Theologi monent; vocabulis originis, relationis, personæ, subsistentiæ, formæ hypostaticæ,

quorum in hoc argumento frequens usus est, rem unam eandemque significari, easque differre tantùm modo significandi juxta nostrum intelligendi morem. Conceptus ergo illi, quibus ex parte divinam personam spectamus, sunt abstracti, ac dumtaxat in mente nostra distincti, quibus, ob nostram in divinis intelligendis infirmitatem, personam sub una forma spectamus, altera non spectata, nec tamen negata; ut conceptu implicito semper illas omnes proprietates se mutuo ratione essentiæ includere intelligamus.

CLXXVI. Sed nonnulla osservanda supersunt. Et 1. Licet nomen *personæ* in divinis involvat relationem, dum quatuor relationes positæ sunt, non propterea quatuor habentur personæ; eo quod *Relatio spirationis activæ* non separetur a persona Patris et Filii, sed conveniat utrique, ut, licet relatio sit, *proprietas* non dicatur, nec *relatio personalis;* cum non uni tantùm personæ conveniat; sed tres relationes, *paternitas, filiatio, processio* proprietates dicantur personales, quasi personas constituentes Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. 2. Quamvis persona in Angelis et hominibus non relationem sed aliquid absolutum significet, non sequitur, relationem non significare in Deo; cum alia sit ratio in ipso et in creaturis. Nec inde inferri posset, nomen personæ *æquivocè* dici de utrisque, cum Deus et creaturæ non cadant sub eodem genere, quod requiritur, ut *æquivoca* cum diverso prædicato enuncientur: multoque minus *univocè* persona de Deo et creaturis dici potest, cum non modo in specie sed neque in genere simul conveniant: S. Thomas *p. p. q.* 29. *a* 4. An præter tres subsisten-

tias, quibus tres personæ constituuntur, quarta quædam subsistentia admitti possit solius divinæ naturæ propria prout abstrahendo a divinis personis concipitur, unde absolutum nomen *Deus* resultet, gravissimi Theologi disputarunt. Hæc tamen controversia facile componi potest. Nam si *subsistentiæ* nomen in sensu proprio sumatur (N. CLXXV.), cum divina natura communicetur, subsistentiæ nomen ei tribui nequit: Vel nomen hoc sumitur minus propriè, ac latè, pro forma nempe tribuente Deo perfectissimam existentiam per se, independenter ab alio quocumque, ac tunc in Deo subsistentia absoluta agnoscenda est. Hic enim subsistendi modus singulis personis convenit cum Divina essentia, ut Patres non raró illam considerarunt. At quid de voce *Hypostasis* dicendum, qua græci utuntur, ac instar synonimi cum persona habetur? (N. CXLVII. 2.). Acerrima Hieronymi tempore controversia exarsit Antiochiæ, utrum ea vox personam potius quam essentiam significaret. Occidentales Paulinum secuti eam pro essentia, Orientales secuti Meletium pro persona sumebant. Hieronymus expostulatus quid ea de re sentiret, nihil definire ausus est. At illa occasione insigne monumentum reliquit subjectionis quam fideles servare erga Pontificem Romanum tenentur; Qui Damaso literas misit, rogans eum ut controversiam dirimeret: *Obtestor Beatitudinem tuam*, scribens .... *ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas*. Dissidium hoc inter Meletianos et Paulinianos Athanasius feliciter composuerat anno 362. atque *unam essentiam et tres*

hypostases dici posse declaratum fuerat in Concilio Alexandriæ collecto; qua formula Catholici a Sabellianismo simul et ab Arianismo recedebant. At cum postea eandem phrasim Ariani, ut suum insinuarent errorem, usurpare tentassent, non pauci cum Hieronymo, ne dolus in ea lateret, metuebant. Tandem utrumque nomen *hypostasis* ac *personæ* sensim ac tutò invaluit, ut illud pro relativa subsistentia seu persona significanda non semel ipsamet Concilia adhibuerint.

CAPUT VII.

DE NOTIONIBUS DIVINIS EARUMDEMQUE MISSIONIBUS ET CIRCUMINSESSIONE.

CLXXVII. Prætereunda non est divinarum Notionum cognitio, quas docet Angelicus Doctor, *esse proprias rationes divinas personas dignoscendi*; ut cum Petavio Notio definiri possit: *Character, vel nota insignis aut nomen, quo una divina persona ab alia distinguitur cum dignitate*. Ad Notionem itaque tria requiruntur. 1. Ut exprimat dignitatem aliquam; nomen enim dignitatis persona est, ut vidimus. 2. Ut aliquid distinctum significet; nam quod singulis personis ex æquo convenit, unam ab alia distinctè denotare nequit. 3. Debet ad originem pertinere, cum solis relationibus per originem personæ divinæ invicem distinguantur. Hujusmodi autem notiones esse admittendas fide catholica constat adversus nonnullos scholasticos veteres. Nam Jo. Damasce-

nus l. 3. de fide Orth. c. 5. *Differentiam hypostaseon in tribus proprietatibus, id est paternali, filiali, et processionali recognoscamus*. Quare Basilius Ep. 38. ad Greg. fratrem has notiones vocat ἰδιάζοντα σημεῖα *proprias notiones*. Ipse Gregorius Nyssenus *L.* 1. *Cont. Eun.* eas appellat γνωριστικὰς ἰδιότητας, *cognoscibiles proprietates*. Harum verò notionum ratio est; quod cum Trinitatis mysterium sit incomprehensibile, ac ab hæreticis sæpius fuerit oppugnatum, doctores catholici peculiaria vocabula determinare coacti sunt, non ut jam illud explicarent; cum inexplicabile sit, sed ut absque erroris periculo proferrent, quid credendum esset. Communi autem consensu quinque notiones divinæ enumerantur, nempe, *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Communis spiratio*, *et Processio*. Priores duæ denotant personam Patris, qui a nullo procedit, diciturque pater, quod Verbum generet. *Filiatio* est notio Verbi, quod *genitum* et *Filius* in Scripturis nominatur. *Spiratio activa*, seu *communis*, notio est ad Patrem et Filium pertinens, ex quorum mutuo amore Spiritus S. procedit. *Spiratio* autem *passiva* notio est Spiritus Sancti, quæ et *processio* appellatur. Ut enim advertit S. Thomas 1. *p.* *q.* 32. *a.* 2. cum confiteamur esse unum Deum et tres Personas, quærentibus *quo sunt Unus Deus*, et *quo sunt tres*; sicut respondetur quod sunt *essentia* vel *deitate unum*, ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi posset, personas distingui: et hujusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, ut Paternitas, et Filiatio; et ideo essentia significatur in

divinis ut *quid*, persona verò ut *quis*, proprietas autem ut *quo*. = Ex eo autem quod tres personæ sint, non sequitur, tres tantùm Notiones esse admittendas, aut quatuor, quot sunt relationes. Non est enim eadem ratio personarum, relationum, et notionum. Ex duabus enim processionibus tres consequuntur personæ: ex tribus personis quatuor relationes exurgunt: at hæ non sufficiunt, ut cognoscantur personæ, atque juxta plurimos *innascibilitas* addenda est, ut cognoscamus, Patrem, qui generat, esse ingenitum, atque personam esse omni principio carentem, et aliarum personarum principium, fontem, originem. Hæc autem notio licet aliquid negativum significet, hîc pro aliquo positivo sumitur, personam nempe divinam designat, quæ a nulla alia procedit. Nec inde confici posset, alias personas absolutè ea perfectione destitui, quæ si ea non gaudent ut personæ sunt, cum proprietas sit solius Patris; ea tamen fruuntur ratione essentiæ, quæ in tribus personis est eadem. Denique fundamentum divinarum Notionum in Evangelio habemus, dicente Christo Domino *Joan.* XIV. 8. *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis*.

CLXXVIII. Ad Missiones divinas quod attinet, de iis quoque sæpe fit mentio in Sacris Literis; ut cum ait Christus *Joan.* 6. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem*. Et C. VIII. 42. *Ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit*. De Spiritu S. etiam habet C. XIV. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Hæ verò missio-

nes non sunt per imperium nec per consilium, sed per originem considerandæ sunt. Missio hæc definitur: *Processio unius personæ ab alia et destinatio ad aliquem effectum in tempore erga homines operandum in ordine ad gratiam*. Missio hæc duos igitur respectus habet. 1. respicit processionem et originem, et æterna est ac invisibilis. 2. terminum seu effectum, et tunc temporalis est et aliquando visibilis, ut cum in terris Christus visus est, aut cum Spiritus S. super Apostolos descendit in forma ignis: invisibilis verò cum venit per gratiam, juxta illud Apostoli *ad Gal. c. IV. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*. Id autem fit, non quod persona missa alias deserat, sed ita, ut incipiat aliquem effectum edere extra se, quem antea non producebat, idque virtute a persona mittente communicata ab æterno. Hinc Filius, dum inter homines versabatur, de se uti Deo ajebat *Jo.* 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo*. Hinc eruitur. 1. Patrem æternum, cum a nullo procedat, nullatenus mitti, ut Scripturæ nunquam eum missum dicant. Quare Augustinus L. 4. de Trin. c. 20. ait: *Pater non dicitur missus, non enim habet a quo sit, aut a quo procedat*. Dicitur quidem nonnunquam venire, quod a seipso fieri potest, et quod est aliud ac mitti. 2. Missionem hanc denotare quidem dignitatem aliquam in mittente; at nullam afferre inferiorem conditionem in persona, quæ mittitur, aut imperfectionem, at solam originis processionem (N. CLXIX.). Essentia enim in tribus personis una eademque est: personæ verò sibi sunt coæternæ, ac per-

fectè æquales. Discrimen ergo; quod aliquando innuunt Patres inter mittentem ac missum, respicit missionem Christi, ut homo erat ac Patre minor. Verum præter illam visibilem Verbi missionem, Patres sæpissime invisibilem aliam atque æternum memorarunt, qua generatione procedit. Præterea cum aliquando Missio non ad personam, sed ad effectum *ad extra* elicitum referatur, tunc toti Trinitati communis est; atque ideo Missio ad illum spectans effectum non servat ordinem personarum aut processionum, sed vel de una, vel de alia persona dicitur, vel de omnibus etiam simul sumptis. Hinc Filius ut homo etiam a Spiritu S. missus dictus est *Isajæ* 48. *Et nunc Dominus meus misit Me, et Spiritus ejus.* Et c. 61. *Spiritus Domini super me.* Quæ de externa Missione ad opus Incarnationis explendum intelligenda sunt. Patres itaque de externa missione hac frequentius locuti sunt, cum crebrius eam memorent Sacræ Literæ. Sed temporalis hæc missio aliam æternam supponit; ut proinde patres ex his divinis Missionibus invictum deprompserint argumentum contra Sabellianos pro divinarum personarum distinctione firmanda, *nemo enim a seipso mittitur*, ajebat Basilius *l. v. Cont. Eun.* Quare hujusmodi declarationes necessariæ habendæ sunt, tum ut theologica locutio accurata ac orthodoxa reddatur, tum ut errores declinentur et hæreticorum sophismata resolvantur.

CLXXIX. Videndum modo de illa div. personarum proprietate, quæ latinè *Circuminsessio*, græcè περιχώρησις dicitur, ac definiri solet: *Mutua divi-*

narum personarum coexistentia in se invicem ; qua Pater sit in Filio, hic vicissim in Patre, uterque in Spiritu Sancto, ac Spiritus Sanctus in utroque : eaque juxta S. Thomam *ib. q.* 42. *a.* 5. est secundum essentiam et relationem et originem ; et cujus in creatis rebus nulla perfecta superest similitudo. S. Hieronymus *in c.* 3. *Ezech.* per localem præsentiam eam declarat: *Filius*, inquit, *est locus Patris*, et *Pater est locus Filii;* quæ ad rudiorum captum dicta, accipi debent. Hæc *perichoresis* nonnisi impropriè duabus Christi naturis tribui posset. Sed ex mutua illa *circuminsessione* validum argumentum sumitur ad Sabellianorum non minus quàm ad Arianorum hæreses profligandas ; illorum enim impietas revincitur, si una divina persona demonstretur in alia existere: nam *in seipso existere* rectè minimè diceretur; horum verò blasphemia repellitur, cum nulla ratione alia queant personæ intimè in seipsis inhabitare quam per naturæ unitatem. Mirum autem hunc inexistendi modum luculenter Sacræ Scripturæ declarant, ajente Christo Jo. X. 38. *Ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Et C. XIV. hoc ipsum mysterium iterare pergit : *Non creditis quia ego in Patre et Pater in Me est ? . . . Pater autem in me manens ipse facit opera.* Hæc autem nonnisi de exposita *circuminsessione* intelligi possunt: Nam dixerat Christus: *Ego et Pater unum sumus :* Et Joan. C. I. *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*: et alia plura habentur, quæ hanc *circuminsessionem* ostendunt, quæ in eo fundatur, quod tres personæ unam eandemque habeant divinam naturam a qua nequeunt avelli. A

patrum testimoniis, iisque plurimis afferendis supersedemus, quæ apud Petavium L. IV. c. 16. consuli possunt, quibus dicitur, divinas personas in se invicem inexistere, inhabitare et esse. Audiatur Augustinus L. VI. de Trin. c. 16. *In illa summa Trinitate tantum est una, quantùm tres simul, nec plus aliquid sunt duæ, quàm una . . . Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus et omnia in omnibus, et omnia unum.* Quibus opponi solet illud Michææ dictum de Verbo Divino *Cap. V. Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*: et illud apud Joan. C. XVI. 28. *Exivi a Patre et veni in mundum*. Sed respondebat S. Thomas l. c. *Exitum filii a Patre esse secundum modum processionis interioris*, prout Verbum exit a corde et manet in eo: Unde exitus ille in divinis est secundum solam distinctionem relationis, non secundum essentialem distantiam aliquam =. Verba autem Christi *apud Joan.* significant processionem ejus temporalem, qua in assumpta humanitate opus redemptionis peregit, quin Patrem deseruerit unquam. Nec ex quo inter se personæ opponantur, sequitur in se invicem esse non posse: respondet enim idem S. Doctor; quod eæ personæ opponuntur secundum relationes, aut relatione tantùm originis, non verò secundum essentiam; et ideo istorum relativè oppositorum unum est in altero, dicente Christo: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Revera Pater æternus non esset pater, nisi in sinu suo contineret Filium. Non inde quoque inferri posset: si pater sit in Filio et vicissim; Filium esse patrem: cum pater ille sit, in quo est paternitas: Nam

ille solum est pater, in quo est paternitas *formaliter*, ut ajunt, id est, secundum rem ac formam sibi propriam; non verè in divinis pater dicendus est, in quo *paternitas* est tantùm identicè, idest quatenus sit unum et idem cum natura divina, cui inest illa paternitas. Quæ de hoc mysterio satis dicta videntur.

CLXXX. Opportunum est autem regulas hìc potiores innuere a Theologis traditas, quæ de mysterio SS. Trinitatis loquendo cautè servandæ sunt. Non enim de humanis inventis, at verò de doctrinis divinitus revelatis agitur, quæ ita quaquaversum sunt ab hæreticis oppugnatæ, ut cum tibi videare unum erroris vitasse scopulum, in contrarias syrtes facilè impingas. Divinarum itaque rerum Tractatores veluti quosdam canones condiderunt, ad quorum normam hæ doctrinæ licet altissimæ tutò agitari possint. Ut enim apposite Augustinus *De Civ. D. Lib.* X. *c.* 23. *Liberis verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est ne verborum licentia impiam gignat opinionem.* At his regulis adhibitis pede libero quisquis de reconditis his arcanis pertractabit. Et 1. certum est, *Trinitatis* nomine rectè nos uti posse, quod adhibitum reperimus secundo jam sæculo percurrente a Theophilo Antiochenæ Ecclesiæ Episcopo Lib. 2. ad Autolycum N. 15. forsan ex illis Joannis verbis expressum = *Et hi tres unum sunt*, Censet Isidorus, quod Trinitas dicta sit quasi *triunitas* sive trium unitas. Ecclesia verò hoc nomen jam a priscis temporibus consecravit, ut significaret nu-

merum trium personarum in una divina essentia. Hinc dici nequit, quod Pater sit Trinitas, cum non sit ipse tres personæ. Cum autem dicimus *Trinitatem in unitate*, intelligimus tres personas in unitate naturæ, et cum addimus *Unitatem in Trinitate venerari*, ut in symbolo Athanasiano, naturam in suis personis designamus. Quare non dicimus, *Deum in tribus personis distinctum*, quod essentiam distingueret: at verò fatemur: *Unum Deum in tribus distinctis personis*; cum distinctio penes tantùm personas stet, non penes essentiam. 2. Dicendum non est, *triplicitas personarum*, nec *triplex Deus*, nec *Deitas triplex*, quæ phrases personas, aut deitatem multiplicarent, ac inducerent proportionem inæqualitatis: cum juxta fidem personæ æquales sint. Multoque minus *ternarii*, *ternionis*, *triformis* aut *triformitatis* vocibus utendum est, quæ absonæ sunt, alienæ ab hujus mysterii notione, ac distributionem partium, aut compositionem significarent: forma autem in Deo una est, nempe deitas, sive divinitas. Potiori jure abominanna est hæreticorum impietas, qui venerandum hoc mysterium aut cerbero tricipiti, aut geryoni æquiparare non erubuerunt. 3. Dicitur quidem *Deus est trinus*; non verò, *trinitas est trina*; nam in hac altera propositione ternarius numerus multiplicaretur in seipsum, ut novem conficaret; cum in priori tres divinitatis personæ designentur. 4. Nonnullæ phrases in Ecclesia jamdiu invaluere in exposito catholico sensu intelligenda, uti sunt: *trina deitas*, *virtus trina*, *trina unitas* a S. Anselmo, et in Pontif. Rom. *de* Consecr. Ep. *Trina Majestas*. 5. Si Dei nomine ac-

cipiatur persona Patris, dici poterit, *Deus Deum genuit*, sicut in symbolo confitemur, *Deum de Deo, Lumen de Lumine etc.* At si pro essentia sumeretur, id dici non posset; cum essentia nec generet, nec generetur. Hinc dici nequit, *Deus genuit alium Deum*; quia adjectivum *alius* refertur ad essentiam, eamque multiplicat, quod esset falsum: Verum rectè dicitur de personis: *Deus Pater genuit alterum sibi æqualem*. 6. Cum in rebus fidei ad Ecclesiam spectet sensum verborum determinare, de modo loquendi circa hoc mysterium ea est consulenda; et ubi silet, ad obvium verborum sensum attendendum est, nihilque enunciandum, quod literali sensu vel personarum distinctionem, vel unitatem essentiæ offendat; in quo totum hoc mysterium ferme consistit: *Termini ergo qui juxta obvium ac literalem sensum ad naturam divinam referuntur in singulari numero semper proferantur: semper verò dicantur in plurali, qui ad personas respectum habent*. Est autem literalis sensus, qui se primus menti exhibet; obvius autem, qui vulgò a meliori parte intelligitur.

CLXXXI Alia Theologi inquirunt. Et 1. An dici possit, esse in Deo tres res, tria entia, tres existentias, bonitates, unitates etc. ac resolvitur dici posse, quoties addatur terminus relativus, idest tres res relativas, tria entia relativa, tres relativas unitates, veritates, bonitates etc. Dici tamen non possunt *tria individua*, quia hæc ordinem habent ad unam speciè naturam diversam numerò. Hinc personæ dici nequeunt *differentes, diversæ*, aut *divisæ, alienæ, discrepantes, dispares*, quibus terminis naturæ di-

versitas significatur: at dicendæ sunt *distinctæ*, et *aliæ*: *Alia est persona patris alia filii etc.* non tamen *aliud*, cum neutrum genus ad essentiam referatur. Quare Augustinus docet *Tr.* 36. *in Jo.* *Alius est, rectè dicis; aliud, non recte*. Idcircò non dicitur, quod una persona sit *aliud ab altera*; uti dicitur, quod sit *alius* vel *alia*, quibus non natura, sed persona designatur. Pronuntiamus quoque de personis in neutro, quod sint *unum* et *idem*, denotantes essentiam: et non quod sint *unus* et *idem* qua phrasi personas confunderemus: si tamen addamus aliquod nomen absolutum, tunc dici poterit, quod *tres personæ sunt unus et idem Deus, unus Omnipotens, æternus infinitus, sapiens etc.* Ita ut *Trinitatem in unitate veneremur*, ut habet symbolum, *nec confundentes personas*, ut hæretici Sabelliani, *neque substantiam separantes*, ut Ariani. 2. Animadvertunt præterea, nomina alia esse *absoluta*, alia *relativa*: alia *concreta*, alia *abstracta*, alia *substantiva*, alia *adjectiva*; atque absoluta, concreta, substantiva, quæ Deo conveniunt, uti talia accepta in singulari numero adhiberi oportere, ut *Deus* non *dii*; *Dominus*, non *domini*, si tamen nonnulla ut res, ens, existentia pro relativis sumerentur, pluraliter dici possent, ut supra notatum est. Nomen quoque *Deus* aliquando ad unam significandam personam adhibitum est; ut, *Misit Deus Filium suum*, scilicet Deus Pater. 3. Nomina quædam *absoluta concreta adjectiva*, quæ uti substantiva usurpari solent, singulariter potius quam pluraliter adhibentur, ut *Æternus*, *Omnipotens*, *Immensus*, *Creator*, *Provisor*: hinc dici-

tur, *unus Æternus*, *unus Omnipotens*; multoque minus diceretur, tres personas esse tres æternitates, omnipotentias etc. in abstracto. Sed tamen de tribus personis in concreto dicitur relativè: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales*. 4. At nomina *abstracta absoluta* adhiberi non debent pro *relativis*; ut in Lateranensi IV. illæ damnatæ sint propositiones: *Essentia generat*: *essentia spirat*: nam essentia, nomen abstractum absolutum, non generat, quod convenit personæ Patris. Quod si patres *Sapientiam de Sapientia esse genitam* dixere, intelligere voluerunt, a *patre genitum esse filium*. 5. Nomina *relativa*, si *substantiva* sint, et postea sint concreta vel abstracta de essentialibus prædicari possunt, ut: *essentia est pater*, aut *est paternitas*: *essentia est tres personæ*. Minimè verò si *adjectiva* sint, ut dici nequeat *essentia est generans*, aut *genita*, etc. Nam in priori phrasi, essentia identificatur cum persona patris, quod verum est: at in posteriori, identificaretur essentia non tantùm cum persona sed etiam cum illius actione, quod verum non est. Non enim Deus est generans quatenus est essentia, sed quatenus persona est. 6. Ad evitandum *unitariorum* errorem caute adhibendæ sunt voces: Deus *singularis*, *unicus*, *solitarius*; quæ personarum consortium excludere videntur: at dicitur: *Unus Deus*, unus in essentia, trinus in personis: Hinc etiam cum canitur de Filio Dei: *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus*, additur: *Cum Sancto Spiritu in gloria Dei patris*. Hæc autem non utilia tantùm, sed plane scitu necessaria sunt cum Theologis, tum Oratoribus sacris; ut

nec parvi facienda quasi vanæ subtilitates, nec prætereunda sint, quasi pro arbitrio de his divinis proprietatibus quis loqui valeat, quin facile in errores impingat. Quod si in patrum antiquorum scriptis nonnulla fortasse occurrant, quæ cum his minus congruere videantur, ea benignè et in catholico sensu, quantum fieri possit, juxta pósitas regulas interpretanda sunt.

CAPUT VIII.

DE FILII DEI, SEU VERBI DIVINITATE, QUA EST CUM PATRE CONSUBSTANTIALE.

CLXXXII. Etiamsi divinarum trium personarum unica et indivisa essentia supra jam demonstrata sit (N. CLII.), ex quo earum unamquamque verum esse Deum descendit; hæretici Ariani tamen Filium Dei esse Patri *consubstantialem* præfractè inficiabantur: Macedoniani verò Spiritus Sancti impugnabant divinitatem, eundemque personam esse Patri Filioque *coessentialem* agnoscere detrectabant. Opus est igitur peculiari tractatione hos errores evertere, potissimum cum recentes Sociniani, ac physiothei sive *naturalistæ* cum his veteribus hæreticis, seu potius cum eorum superbia, audacia, et impietate constet societatem inivisse. Ut itaque ordine procedatur, de Patris æterni divinitate disserere non interest, quam nemo hæreticorum in discrimen adduxit: at Filii divinitas, quæ Religionis nostræ caput est ac fundamentum, ab ipso Ecclesiæ ortu hostes pestiferos experta

est. Hi arcana hæc divina, quæ religioso pietatis affectu fuerunt suscipienda, dum ex proprio ingenio dimetiri audebant, atque Ecclesiæ vocem ipsorumque Apostolorum doctrinam aspernabantur, inter quos Cerinthus et Ebion, cælestia dogmata fœdissimè corruperunt. Adversus eos præcipuè Apostolus Joannes scribere compulsus est, et in admirando suo Evangelio Verbi divinitatem ac æternitatem edicere. Qui (ut Irenæus narrat *Lib.* 3. *de hæresib.* quod refert etiam Eusebius) cum Ephesi moraretur, et sociis comitantibus ad balneum ivisset, conspecto ibi fortè Cerintho: *fugam cito arripiamus*, ait, *ne balneum corruat, ubi est Cerinthus hostis veritatis*. Venerandum itaque dogma bello intestino et horrendo a tot hostibus machinamentis omnibus et artibus oppugnatum modo tutandum est, ac ut patiuntur suscepti instituti angustiæ, aliqua in luce ponendum, demonstando scilicet Sacrarum Scripturarum testimoniis, nec non divinæ et Apostolicæ traditionis mementis, Verbum divinum sive dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium verum Deum esse, Patrique æterno consubstantialem, quantum ad divinitatem.

CLXXXIII. Et 1. quidem hostes omnes confodit insignis textus S. Joannis, quo Evangelium suum exorditur, quique a tota antiquitate adversus Arianos cæterasque pestes celebratus est, videlicet: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est .... Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Unde argumentari licet: Verbum caro factum illud est, per quod fa-

cta sunt omnia: Sed per Joannem hoc Verbum est Deus: Verbum ergo caro factum sive Christus Jesus Deus est. Deinde: *Mundus per ipsum factus est*: Erat ergo ante mundum conditum: Per eundem Joannem ibi, Verbum hoc est *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*: est igitur ipsi Patri coæternus et coëssentialis; alioquin nec pater semper fuisset, et de novo aliquid intrinsecus acquisivisset, quæ absona sunt et impossibilia (1). Mirum quot nugas conges-

(1) Harduinus et Berruyerius frustra, ac temere vim hujus textus Joannis labefactare non veriti sunt, contendentes, Verbum de quo sermo est non esse Filium Dei. = *Verbum non Filius*, ait Harduinus, *Quia filius est ipsa per se quidem unita Verbo humanitas = Aliud in Scripturis est Filius Dei, aliud Verbum Dei* = Volunt nempe, Christi humanitatem esse filium Dei, et Deum non fuisse dictum Patrem, nisi post peractum Incarnationis mysterium = *Dicitur Verbum apud Deum*, ait, *non apud Patrem, quia ab æterno nondum Pater*. Nova certè doctrina veteribus prorsus ignota, et Scripturis, ac Fidei adversa; juxta quam profitemur in symbolo = *Credere in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli et terræ... et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula... consubstantialem Patri etc.* Hìc nulla Verbi mentio, cum sit idem ac Filius Dei Unigenitus ex Patre natus ante omnia sæcula: Non ergo post Incarnationem Pater et Filius, sed ab æterno. Hinc de eo dicitur Michææ C. V. *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Et ipse Filius de se ait Jo. VIII. *Ego ex Patre processi*. Et Pater Psal. 109. ait Filio: *ex utero ante luciferum genui te*. Sed et absona plura ex Harduini ejusque discipuli falsa doctrina sequerentur. 1. Verbum non procedere a Patre per æternam generationem, nec Filium dici *Unigenitum, qui sit in sinu Patris*; quod tamen docet Jo. C. I. 2. Si Verbum a Patre non procederet per generationem, ab eo non distingueretur, quæ est hæresis Sa-

serint, quot inepta effuderint adversarii, ut vim argumenti declinarent. Ut cum ajunt, Dei nomen hîc Verbo tributum lato sensu, sicut aliquando Angelis et hominibus: Quasi hoc nomen creaturis unquam tributum sit nisi in plurali numero, aut in singulari nisi cum addito aliquo Dei vices significante. Verum ex contextu facile sensus dignoscitur an absolutè, an verò secundum sensum aliquem quis deus dicatur. Filius autem Jesus Christus non semel aut iterum sed infinities Deus absolute in Scripturis nominatur. 2. Sed Verbum præterea non modo omnium conditor, at verò *unum* cum Patre dicitur, atque omnia habere, quæ Patris sunt: Ita *Joan. X.* ait Christus. *Ego et Pater unum sumus.* Et *Jo. XVI. Omnia*

bellii: vel non traheret originem a Patre; ac tunc essent duo dii, quod est absurdum: vel esset a Deo factum, quæ est hæresis Arii. 3. Si Deus non esset Pater nisi per relationem *ad extra*, scilicet ad Christi humanitatem, sequeretur, tres personas esse tres patres; cum relationes ad extra sint tribus personis communes; at in Symb. Athan. profitemur: *Unus Pater, non tres Patres*. 4. Si Verbum non esset idem ac Filius a Patre genitus, textus Scripturarum quibus ostenditur Filii divinitas, aut nihil probarent, aut probarent novam quandam in Deo personam, aut Verbum non esse Deum, et plura alia sequerentur fidei adversa, ut jure ac merito Athanasius *Contr. hæreses ad Epictetum* scripserit: *Qui quæso christiano nomine censeri debent qui asserunt, aliud esse Filium, aliud Verbum Dei?* Juxta Athanasium igitur Christianus non est, qui Filium alium dicit a Verbo. Certè hîc filius jam homo factus clamat Jo. XVII. 5. Patrem habuisse ante mundum conditum: *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud Te* (Patrem scilicet): Et iterum: *Exivi a Patre et veni in mundum* etc. Videatur Fassinius in Appendice ad Hist. Nat. Alexandri.

quæcumque habet Pater, mea sunt. Et alibi: *Ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Hæc autem inhabitatio non potest, nisi de eadem essentiæ identitate intelligi, ut sæpius declaratum est. Quæ omnia cum initio Evangelii Joannis apprimè concordant: ut oppidò fallantur qui volunt, *In principio*, de initio prædicationis esse intelligendum; et verba, *Omnia per ipsum facta sunt*, esse accipienda de omnium hominum per ipsum *regeneratione;* in quo certè nugantur adversarii, cum has inauditas interpretationes comminiscuntur, ac toti contextui contrarias: Non ne hoc Verbum, hic Dei filius, de seipso dicit *Jo. VIII.* 25? *Ego principium qui et loquor vobis:* Et *Apocal. I.* 8. *Ego sum alpha et omega, principium et finis, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.* 3. S. Hilarius *L. VII. de Trin.* ajebat: *Deum Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione.* Ex quibus characteribus in Scripturis ei tributis, eum verum Deum et Patri consubstantialem agnoscere necesse est. Et a nomine quidem: Nam Thomas Apostolus *Joan. XX.* eum, *Dominum suum et Deum suum* appellat. Ipse Joannes *Ep.* 1. *c.* 3. De Filio Dei pronuntiat: *Hic est verus Deus et vita æterna.* Paulus verò ad *Rom. IX.* De Christo ait: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Idque ex veteri etiam Testamento constat, ubi *Jerem. C. XXIII.* Deus Messiam spondens, de eo inquit: *Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster:* juxta hebraicum textum: *Jehova justitia nostra*, per

nomen nempe Dei proprium. 2. Hoc ipsum ostenditur ex ipsius ortu divino, quo Unigenitus Dei Filius Patri æqualis designatur, ut Psal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es Tu, ego hodie genui Te.* Et Psal. 109. quod et in Evangelio profertur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis... ex utero ante luciferum genui Te.* Quare *Joan. C. I. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* 3. Demonstratur ex natura quam sibi eandem esse cum Patre Filius Dei pluries testatus est. Ita Jo. X. 30. ait: *Ego et Pater unum sumus.* Et C. XIV. *Qui videt me, videt et Patrem.* Et C. XVII. dicebat æterno Patri: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt:* quæ nisi de eadem essentia dici non possent; præsertim cum affirmaverit Cap. XVI. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Si omnia, ergo et dignitatem et essentiam et potestatem. 4. Itaque id ostenditur ex eadem auctoritate ac potestate, quæ ipsi æqualis cum Patre est. Ait enim *Jo. V. Pater meus usque modo operatur, et ego operor... Quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Denique non ne omnes baptizamur eadem auctoritate ac *nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti?* Non ne supra demonstravimus (N. CLII. et seqq.) tres in Deo esse personas in eadem numerica et indivisa essentia? Est ergo Filius Dei Patri consubstantialis.

CLXXXIV. Quæ allata sunt, satis superque sufficerent ad hoc dogma invicte ostendendum, nisi obstipi adversarii in suo sensu magis abundare vellent, quam et auctoritati Scripturarum et Ecclesiæ totius communi consensui assentiri. Nam in Sacris Literis alia

multa leguntur, quæ hanc doctrinam concelebrant, ut viri doctissimi demonstrarunt, et etiam inter protestantes non pauci, ut Georgius Bullius: *Defensio Nicænæ fidei*. Sed inter Catholicos consulendi sunt Petavius, Nourry in *Apparatu*, Mayranus in insigni opere anonymo: *Divinitas D. N. J. C. demonstrata*, aliique Theologi satis pervulgati. Itaque præter ea quæ allata sunt, hic æternus Filius homo factus de seipso affirmat *Joan. V.* 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. At nisi æque Deus esset, quomodo eundem sibi honorem tribueret? Apostolus verò ejus sæpe divinitatem testatur, ut cum ad *Philipp.* 2. scribit de Christo Jesu: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*. At nullatenus æqualis esset nisi ab æterno in sinu Patris fuisset genitus. Hoc ipsum confirmat Apostolus præcipue toto primo Capite Epistolæ *ad Hebræos*, quod apprimè congruit cum priori Capite Evangelii Joannis, ut unum alterum exponat, declaret, roboretque. De hoc eodem Filio *ad Coloss.* C. 1. habet: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ* (id est, æternus); *quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia sive throni, sive dominationes .... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant*. Quæ loca et alia si invicem conferantur, nulla ambiguitas viro prudenti poterit super esse, quin doctrina S. Scripturarum de divinitate Filii eadem sit ac illa sancita in prima œcumenica Nicæna Synodo, quamque uni-

versa Ecclesia Catholica profitetur in Symbolis Nicæno, Athanasiano, in Cantico Gratiarum Actionis *Te Deum laudamus*, in antiquissima Doxologia, sive *Gloria in excelsis*, et in omnibus vetustis Liturgiis, et Ecclesiæ precibus, in quibus consentiunt plures etiam ex veteribus hæreticis, et ex recentibus, Græci schismatici, et protestantes Lutherani, Calvinistæ etc. Socinianis exceptis, qui soli omnium sæculorum Fidei ac tantæ auctoritati, paucissimi licet, obstinatè resistunt. Non enim in hunc censum admittimus, qui a Christi religione apostasiam fecerunt, incredulos, indifferentistas, deistas, aliosque errones ac veritatis perditi hostes; sed eos, qui saltem Scripturas Sacras uti divinitus inspiratas venerantur; quibus, si quæ breviter attulimus, non sufficiunt, quidquid amplius dixeris, inani conatu dicta comperies. Cum tamen vociferentur, antenicænos patres non ita sensisse, nonnulla indigitabimus, quæ illorum eandem fidem testantur. Et 1. S. Ignatius M. *Ep. ad Magnes.* vocat, *Christum Jesum Dei Filium, qui est ipsius Verbum æternum non a silentio progrediens*: Et hic quidem I. Ecclesiæ Sæculo. II. Sæculo autem S. Justinus M. *Apol.* 2. ait, Christianos baptizari in nomine *Patris, et Domini Dei ac Servatoris Jesu C. et Spiritus Sancti*: Id confirmant Athenagoras *Legat. pro Christ.* ac Theophilus l. 2. ubi Trinitatem apertè memorat: Idem affirmat S. Irenæus l. 2. c. 31. inquiens: *Semper est coexistens Filius Patri*. III. Sæculo Clemens Alex. *in Pædag.* ait: *Patrem et Filium unum esse Deum, per quem est æternitas*. Et S. Dionysius Alex. patriarcha *in Apol.* rotundè fatetur: *Confiteor*

ac credo et prædico coæternum Patri Christum Unigenitum et Verbum Patris. Eandem fidem alii omnes fatebantur, ut ostendebat olim Eusebius Cæsariensis, Miltiades, Tatianus, Melito cæterique omnes. Verum quid plura? Non ne Joannes adversus Cerinthianos hoc dogma negantes edidit Evangelium? Elceseitæ et Carpocraziani an non ob id I. et II. Ecclesiæ Sæculo damnati sunt? Theodorus Byzantinus non ne eandem ob causam a Victore I. fuit a communione Ecclesiæ semotus? Paulus Samosatenus Sabellii sectator ac hujus impietatis restitutor, et quam evulgabat, ut tradunt veteres, quo gratificaretur Zenobiæ Palmyrenorum reginæ judæis addictæ, homo arrogans et voluptuarius, nonne in Concilio II. Antiocheno an. 262. damnatus est? Qui propterea ab Antiochena sede remotus, et auctoritate etiam Aureliani Imp. actus est in exilium? Sed quid de Ario, qui blasphemus in Filium Dei statim a S. Petro Patriarcha Alexandrino anathemate perculsus est? Omnia igitur Ecclesiæ monumenta testantur cum Nicænam tum præsentem Ecclesiæ doctrinam de hoc dogmate eandem semper et immotam fuisse.

CLXXXV. Pergamus nunc speciminis causa potiora enucleare, quæ adversarii contra hanc tanti ponderis veritatem obloqui solent. Et 1. in Joannis Evangelium furiosè grassantur, ut cum ajunt, verba illa, *και ὁ Λογος σαρξ εγενετο*: *Et verbum caro factum est*; vertenda esse: *et Verbum caro fuit*; eo quod vocem *εγενετο* in significatione *fuit* usurpaverit paulo ante Joannes: *Εγενετο ανθρωπος απεσταλμενος παρα Θεου*: *Fuit homo missus a Deo*,

Volunt præterea illa phrasi : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre;* non proprium significari Dei filium patri æqualem; quia particula ὡς, *quasi*, imminutionem denotet, conditionemque inferiorem, filium scilicet adoptivum dumtaxat, ac veluti administrum quendam; idque eo magis, quod ab Apostolo ad Coloss. 1. dicatur *primogenitus omnis creaturæ, et primogenitus mortuorum.* Verum frustra desudant adversarii in pervertendo Scripturarum sensu. Joannes quippe Verbi divinitatem apertissimè docet, eamque adeo clarè tutatus est, ut antiqui Ebionitæ hoc Evangelium ob id rejecerint, ut Irenæus refert *L.* 3. *c.* 11. Hoc ipsum audebant hæretici *Alogi*, ita nuncupati, quod *Logon*, seu Verbum, Deum nollent confiteri. Narrat Augustinus *Conf. L. VII. c.* 9. in platonicorum Libris initium Evangelii Joannis reperisse ob assertam Verbi divinitatem; at nullibi legitur sive hæreticos sive platonicos textum Joannis, ut Sociniani aggrediuntur, depravasse. Quinimo scribit Augustinus *De Civ. D. L. X.* Amelium platonicum dicere consuevisse, Hoc Evangelii initium literis aureis debuisse pingi, et in locis eminentioribus, ut legeretur, exponi. Quid plura? Imperator ipse Julianus, ut Cyrillus habet *L. X. Cr. Julianum* ipsum, scripserat, alios Evangelistas, et etiam Paulum, Jesum minimè Deum dixisse, sed bonum illum Joannem primum id prodidisse. Qui licet falsò venditaret, Paulum et Evangelistas cæteros Christi non asseruisse Divinitatem, de Joannis tamen sententia testimonium dicit. Hic igitur apostata sincerior fuit recentibus Socinianis, qui etiamsi

hoc Evangelium venerari profitentur, cum videant inde Christi Divinitatem apertè ostendi, corrumpere illud miserè non verentur.

Ut igitur ad 1. responsum demus: Quanam ratione dici posset, quod Verbum esset caro et creatura, cum *per ipsum omnia facta sint*, et sine ipso factum sit nihil? *Quomodo potest fieri*, ait Augustinus, *ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia?* Nam de creatione omnium rerum hîc sermonem haberi, ex aliis Locis pluribus constat. Nugantur itaque adversarii, cum absurdam interpretationem illam commiscuntur; licet enim verbum *εγενετο* pro fuit aliquando usurpetur, norunt tamen multo frequentius in Sacris Literis et in hoc ipso Evangelii contextu significare, *factum est*; cum sit a verbo *γινομαι*, *fio*, quo in sensu septies in hoc Evangelii initio adhibetur, nempe: *Παντα δι᾽ αυτου εγενετο, και χωρις αυτου εγενετο ουδε ἑν ὁ γεγονεν*: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Et rursus: *και ο κοσμος δι᾽ αυτου εγενετο*, *et mundus per ipsum factus est*; atque ita passim. Quod si semel in alia significatione eam vocem Evangelista adhibuit, id ob indolem contigit hujus vocis, quæ copulata cum participio per *fuit* vertenda est. At in constructione propositionis, *Et Verbum caro factum est*, nulla apparet congruentia allatæ versionis, quæ potius regulis omnibus adversaretur, et contextui contradiceret, ut propterea tota antiquitas obtortam illam versionem ne quidem somniaverit unquam. Alia difficultas desumpta a particula quasi, gr. *ὡς*,

nullius est roboris; non enim est particula diminutiva, sed comparativa, ut est latina *sicut*; imo, ut habet Chrysostomus *Hom. II. in Jo.* est particula definitiva, et *confirmationis ac indubitatæ determinationis*, ut hîc determinet æqualitatem gloriæ Filii cum Patris gloria; quod pluribus exemplis a græca lingua desumptis abunde ostenditur. Quo autem sensu Verbum caro factum sit, non est cur hariolentur Sociniani. Apertè id explicat Evangelista cum subdit: *Et habitavit in nobis:* scilicet in assumpta humanitatè nobiscum conversatus est. Nam *caro* per synecdochen totam humanitatem designat: Non autem Verbum in carnem, nec caro in Verbum converti poterant, quod est impossibile; quare Apostolus ad *Hebr. I.* de Filii immutabilitate ait: *Tu autem idem ipse es*. Idem Apostolus hoc ipsum Incarnationis mysterium dilucide annuntiat *ad Philipp.* 2. inquiens: *Qui cum in forma Dei esset..., semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus*. Quæ duo loca sibi mutuo lucem afferunt, seque mirificè declarant. Erat ergo Verbum antequam caro fieret, erat Unigenitus filius in sinu Patris, et hoc Verbum Deus erat, est, et erit. Sed instant, non ibi Verbum dici, omnia *creasse*, sed tantum *fecisse*, id est, disposuisse quæ jam condita erant: quasi *creare* et *facere* in Scripturis pro synonimis frequenter non usurpentur: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*, *Psal.* 148. Verum Apostolus *ad Coloss.* 1. ait: *In ipso condita sunt universa.* Cavillantur etiam, cum ad Verbi dignitatem deprimendam addunt, a Joanne non dici *ab ipso*, sed *per ipsum*

omnia fuisse facta, quod non principalem causam sed instrumentalem designet; nempe ita durioris minervæ se fingunt, ut non videant, particulam *διὰ*, *per*, accipi frequenter in significatione *ab*, *ex*; ut cum ait Apostolus: *Fidelis Deus, per quem vocati estis* etc. id est, a quo estis vocati. Cæterum cum Evangelista, Verbum esse Deum affirmaverit, et ipse Christus dicat Jo. V. 19. *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit*; per eandem scilicet omnipotentiam; jam manifestum erat, omnia a Verbo creata fuisse. Inde etiam occasionem Verbum deprimendi arripiunt, ex quo nempe *primogenitum* nominetur; sed inde ejus potius dignitas fuerat agnoscenda: Non enim hæc est relatio ordinis ad creaturas, quæ Unigenito Dei convenire nequit; sed nomen est auctoritatis et dignitatis. Nam qui *primogenitus* in Scripturis dicitur, etiam *Unigenitus* sæpe designatur et *unicus Filius*. Deinde primogenitus vocatur, id est *prius genitus*, quia ab æterno in sinu Patris revera genitus est ante conditas quascumque creaturas. Denique primogenitus dicitur speciatim quantum ad assumptam humanam naturam; qua, cum sit filius proprius, naturalis, et unigenitus, ac hæres universorum, promeritus est pluribus adoptionem filiorum Dei, ut ipse ita factus sit *primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apostolus; et etiam *primogenitus mortuorum*; cum primus resurrexerit immortalis, ut nos conresurgere faceret ad vitam æternam.

CLXXXVI. Alia plura congerunt adversarii, quæ ad examen revocata prorsus evanescunt, ut cum

ajunt, *Proverb.* VIII. de Verbo dici juxta Versionem LXX. Interpretum: *Dominus creavit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio*. Verum testibus Eusebio Cæsar. Hieronymo, aliis veteribus, nostra vulgata Lectio, quæ habet: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; magis consona est hebraicæ dictioni, quàm *creavit me.* Possidere autem in Sacris Literis *generare* significat, ut Eva dixit in primo suo partu: *possedi hominem per Deum*, Quare verisimile valde est, mendum in Versionem LXX. irrepsisse, ac primitus fuisse scriptum *εκτησε*, *possedit*, non *εκτισε creavit*, una literula permutata ut modo legitur, Alioquin quomodo starent, quæ sequuntur — *ab æterno ordinata sum — nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram* — vel ut hebr. habet — *Et ego genita sum, ante colles ego parturiebar?* Stat ergo vulgata Lectio, nisi creare ibi lato sensu accipere voluerimus, pro *gignere*, aut *concipere*. Ita et alii adducti textus juxta communem Ecclesiæ sensúm de Filii divinitate sunt intelligendi, ut aliter intelligi non possint, nisi sacro textui vim inferre voluerimus, ut hæretici perpetuò moliuntur. Sed rursus opponunt: Christum Jo. XIV. dixisse: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* 2. Lucæ XVIII. ipsum affirmasse, non se esse Deum; cum enim quidam eum appellasset: *Magister bone*; respondit: *Quid me dicis bonum: nemo bonus nisi solus Deus.* 3. Marci XIII. fatetur se ignorare diem judicii: *de die illo vel hora nemo scit ... neque filius, nisi Pater.* Non ergo Filius Deus est, His respondendum: In his et similibus difficultatibus regulam ser-

vandam esse, quam tradebat olim Chrysostomus: Nempe, *cum humile aliquid de Christo dicitur, qui carne prœditus est, non ad divinitatis objectionem trahendum est quod dicitur, sed convenit Incarnationi*. Itaque ut ad 1. occurramus: cum Christus ait: *Pater major me est*; de propria loquitur humanitate, secundum quam minor est Patre; de qua tunc locutum esse, liquet, cum ibi sermonem faciat de sua in cælum ascensione, quò secundum humanitatem tantùm erat ascensurus. Cum verò de sua loquitur divinitate, tunc dicit: *Omnia quæcumque habet pater mea sunt — Ego in patre et pater in me est — Ego et Pater unum sumus*. Unde Augustinus *L.* 1. *Cr. Maximinum c.* 14. *Quod dixit* Unum, *liberat ab Ario: quod dixit* sumus, *liberat a Sabellio. Si unum; ergo non diversum: si sumus; ergo Pater et Filius duœ sunt personœ divinœ*. Nec unum sunt dumtaxat unitate concordiæ, sed naturæ unitate, sicut sæpe ostensum est. Nec refert, quod pro discipulis Christus oraverit Joan. XVII. 21. *Ut omnes unum sint ... sicut et nos unum sumus*. Postulat enim eam unitatem quantum ad aliqua, non quantum ad omnia: eam nempe concordiam postulat, qua capaces erant; quemadmodum discipulos hortabatur: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*: ubi certè divinam eis perfectionem non præcipit, sed eam cujus per cælestem gratiam compotes esse poterant. Ita de concordia dicendum, ut per se manifestum est. Quod 2. loco objicitur, nullam præsefert difficultatem. Ibi enim Christus ad mentem loquitur illius adolescentis, qui ipsum uti Deum non habebat; quare verba illa: *non est bonus nisi solus*

Deus: hunc sensum exhibent: aut me Deum crede, aut nec bonum appella. Revera Christus alibi se bonum appellare non dubitaverat, ut Joan. C. X. cum ait: *Ego sum pastor bonus*. Tertia difficultas majorem speciem exhibet: at reponendum est; Christum, etiam ut hominem, absolutè loquendo utique minimè ignorasse Judicii diem; sed hanc notitiam tantùm non accepisse a Patre, ut eam discipulis manifestaret, ut ipsis declaravit Actorum I. v. 7. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*. Christus igitur etiam ut homo diem Judicii optimè noverat, *in quo*, ut Apostolus ait ad Coloss. II. *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*; ut propterea omnes illius diei circumstantias discipulis prænuntiaverit, qui eidem dicebant Joan. XII. *Domine, tu omnia nosti*. At ea, quæ ad curiositatem magis, quàm ad Ecclesiæ ædificationem pertinebant, mandatum non acceperat a Patre, ut ea discipulis revelaret, et hinc ajebat: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Nec dicant, eadem ratione asseri posse, etiam Patrem eam diem ignorare; nam ipse nec officio aliquid enuntiandi fungitur, nec legationem exequitur apud homines ullam, ut aliquid ignorare dici possit, ut dicere Legati solent de iis, quæ ipsis commissa non sunt, ut annuntient; sed potius revelare vetitum est.

CLXXXVII. In infinitum oratio abiret, si cavillationes omnes ab adversariis excogitatas dissolvere vellemus. Nonnullas tamen alias adducere præstat, ut majorem inde lucem dogma hoc nanciscatur. Ajunt itaque, Christum ipsum declarasse, solum Patrem

verum Deum esse *Jo. XVII.* 3. his verbis : *Hæc est vita aeterna , ut cognoscant te solum Deum verum , et quem misisti Jesum Christum .* Hæc tamen Christus non affirmat excludendo a divinitate Filium et Spiritum Sanctum ; sed hoc ait ad exclusionem mendacium numinum , quæ impiè a gentibus colebantur: Nam ut Cyrillus , Chrysostomus aliique græci patres, qui optime græcum idioma callebant , advertunt , vocem *solum* non afficere pronomen *Te* , sed conjungendam cum voce *Deum*; ut sensus sit : ut cognoscant te esse illum , qui solus et unus verus Deus est . Et ratio redditur , quia in græco textu inter *Te* et *solum* ponitur articulus *τον* , *illum* , qui datum sensum exhibet . Cæterum Christum verum et ipsum Deum esse ex innumeris Scripturarum Locis constat , qui nulli exceptioni subjecti sunt . Quod si hîc et alibi additur, Filium etiam esse agnoscendum , ideo dictum est ; quia præter Dei unitatem , gentes agnoscere debeant missionem et Incarnationem Filii , ut salvæ fiant . 2. Ratiocinium etiam in subsidium adsciscunt adversarii: ajebat Wolzogenius: Si essentia est communis cum Patre et Filio, etiam intellectus erit idem utrique cum reliquis attributis absolutis . Quare si pater per intellectum generat filium , etiam filius seipsum per eundem intellectum generat; imo et Spiritus S. eodem intellectu generabit filium . Cui argutationi respondetur ; quod etiamsi intellectus sit unus et idem in tribus personis , non sequitur, quod Filius seipsum generet, aut Spiritus S. filium . Nam intellectus filium generans, non est essentia intelligens *absolutè* accepta; sed est intellectus *relativè* acceptus , quatenus nempe

est Pater intelligens. Non repugnat autem eandem rem esse pluribus communem absolute acceptam; quæ unius personæ propria sit sumpta relativè. Operatio ergo, qua Pater Filium generat communis cum Filio non est, quamvis sit communis intellectus, et cætera omnia communia sint excepta paternitate, atque idem de personis singulis dicendum (V. sup. N. CLXV.). Hinc et alia plura solvuntur ænigmata: ut cum ajunt: Deus si Deum genuit, vel seipsum genuit, vel alium Deum: non genuit seipsum, cum nemo seipsum generet: non alium, quia Deus unus est. Ubi major prop.. ita distinguenda est: genuit alium, scilicet aliam personam quæ eandem habeat divinitatem, concedimus: genuit seipsum aut aliam divinitatem a se decisam ac separatam, negamus. Dilemma ergo in eo peccat, quod non omnes possibiles complectatur partes; nam inter generare seipsum, et alium Deum, est persona subsistens in eadem essentia, quæ communem habet divinitatem. Sed inquiunt: Ambæ personæ eandem habent essentiam; Filius igitur ex propria essentia genitus erit, ut sit filius sui ipsius. Resp. Habent quidem eandem numerò essentiam, sed non est essentia absolutè accepta, quæ generet; at verò essentia relativè sumpta, et quatenus paternitate affecta est: Ita Filius, licet essentiam eandem possideat, non est absolutè divina essentia, sed relativè, quatenus est filiatione affecta. Itaque essentia in se spectata nec gignit nec gignitur, sed pater generat filium. Cum tamen pater ab essentia divina realiter non secernatur, dicitur ex sua essentia generare filium, et filium eandem essentiam accipere a patre, quin propterea sit filius sui ipsius.;

3. Volunt denique primos Christianos hanc filii divinitatem non cognovisse; alioquin id novissent gentiles, et argumentum pro deorum pluralitate inde sumpsissent: præterea philosophi, si id rescivissent, contra hæc dogmata non paucas difficultates creassent. Verum licet primi fideles hanc doctrinam confessi essent, ut eam certè confitebantur, non inde ea consecuta fuissent, quæ sibi adversarii suadent. Potuerat enim hoc mysterium gentiles latere. Vigebat tunc certè in Ecclesia disciplina arcani, qua hæ doctrinæ profanis occultabantur. Notum quippe est, eos latuisse symbolum, etiamsi catechumeni omnes illud memoriæ mandarent. Sed et falsum est, gentiles philosophos nihil de his novisse; cum Justinus M. Tertullianus, Origenes difficultates solvant, quas gentiles Praxeas, Celsus, Trypho adversus hæc dogmata congesserant. Plinius in celebri ad Trajanum epistola refert, Christianos sui temporis statis diebus convenisse, et Christo uti Deo carmen canere consuevisse. De Luciano, aliisque, jam dictum est supra, Trinitatis mysterium modo aliquo cognovisse; ut inde potius confirmetur, eandem de hac re fuisse omnium sæculorum fidem. (V. N. CLX.).

CAPUT IX.

NICÆNOS PATRES VOCEM ὉΜΟΟΥΣΙΟΝ RECTE ADHIBUISSE DEMONSTRATUR.

CLXXXVIII. Cogimur sententiam patrum trecentum decem et octo defendere, qui Nicæam Bithy-

niæ ad celebrandum Concilium convenere contra Arium negantem Verbi divinitatem Imp. Constantini Magni tempore anno Salutis CCCXXV. quod est primum œcumenicum Concilium in Catholica Ecclesia collectum; propterea quod nostrorum temporum hæretici illud quoque, eo quo feruntur in Veram Ecclesiam odio, indignis modis divexare sint aggressi; In quo antesignanum suum Arium infeliciter imitati sunt, qui primus cum suis asseclis Ecclesiæ Universalis judicio ac decretis impiè obsistere ausus est; At quantum divina Justitia hunc hæresiarcham tot blasphemiarum buccinatorem, pluriumque auctorem turbarum execrata sit, miser ejus exitus palam fecit. Is enim, postquam pluries anathemate perculsus fuerat et ab Ecclesiæ orthodoxæ communione ejectus, subdola fidei professione se Catholicum simulaverat; Hinc ab exilio, quò fuerat ab Imp. Constantino expulsus, revocatus est; sed ab orthodoxis Episcopis haudquaquam receptus, Constantinopolim se contulerat, ibique quorundam favore fretus summa audacia ad majorem Ecclesiam adire tentabat. At Deus veritatis vindex tantam injuriam non est passus; qui tum Episcopo, tum S. Jacobo Nisibeno ibi fortè tunc commorante, universoque populo fideli orante ac petente ut eam pestem amoliretur, populi confirmare fidem, ac justas preces audire decrevit. Nam factum est, ut Arius ab hæreticis comitatus, cum jam proximus ad Templum accederet, gravi tumore ventris laborare cœperit, qui ad evacuandum divertens unà cum superfluo alvi onere viscera simul effudit, et jacuit extinctus ætatis suæ anno LIV. undecimo post

celebratum Nicænum Concilium anno, ubi solemniter damnatus erat. Hac tamen tristi morte ac exitu infelicissimo Arii fautores non meliores effecti per annos plures Ecclesiam vexare non destiterunt ac tragœdias excitare luctuosissimas, ut refert hujus quarti Sæculi Ecclesiastica Historia. Hi verò in duas potiores sectas se divisere, nempe 1.° in puros arianos qui Photinum secuti volebant, Filium Dei a Patre dissimilem esse ac puram creaturam e nihilo eductam; qui propterea Filium appellabant in essentia et in omnibus a Patre *dissimilem*, id est, ἀνόμοιον, unde *Anomœi* dicti sunt. Hi Eunomiani, Aëtiani, et Eusebiani quoque, ab Eusebio Nicomediense, nominabantur. 2.° in semiarianos, qui in natura et in cæteris Filium Patri similem habebant, et nonnulli Deum quoque esse fatebantur, ut eum ὁμοιούσιον, sive *similis substantiæ* dicerent, non tamen ὁμοούσιον, sive *consubstantialem* haberent. Hic est arianismus dolosus a quo non pauci decepti sunt, et cui ipsum Eusebium Cæsariensem favisse dicitur. Alii demum doctrinam catholicam amplectebantur, et vocem *consubstantialis* tantùm quasi novam respuebant, inter quos Marcellus Ancyranus, Meletius Antiochenus aliique recensentur. At illis veteribus a pluribus sæculis jam cum suis erroribus extinctis resonant nostro hoc ævo Ariani recentes, qui bellum rursùs contra Filii divinitatem instaurarunt. Quin nonnulli eò audaciæ progressi sunt ut propter vocem *consubstantialem*, quam Nicæni patres tesseram esse voluere dogmatis de Verbi divinitate, his sanctissimis patribus *tritheismi* calumniam appingere non sint veriti, contendentes Nicæ-

nos patres non jam *numericam*, sed *specificam* dumtaxat unitatem in divinis definire voluisse, inter quos cervices erigunt Sandius, Curcellejus, et Jo. Clericus, quibus accessit Cudworthus in *Systemate Intellectuali* a quo non dissentit Mossheim in notis ad illud Opus. Horum itaque absurdam ac intemperantem criticam et perfidiæ plenam refellere necessum est.

CLXXXIX. Et quantum ad vim et potestatem hujus vocis *consubstantialis*, eam respondere græcæ dictioni ex duabus compositæ, nempe *ὁμου*, latinè *simul*, et *ουσια*, quæ vertitur *substantia*, compertùm satis est. Latina itaque compacta voce, quod græcì *ὁμοουσιον*, nos *consubstantiale* appellamus. Hoc itaque vocabulo Catholici semper usi sunt uti Fidei nota ad illam ineffabilem designandam essentiæ unitatem in qua SS. Trinitatis personæ simul conveniunt, ac patres potissimum Nicænæ Synodi in Symbolum illud inseruere, quo orthodoxi ab hæreticis secernerentur. At non primum Nicææ hæc vox cusa est, sed jam pridem ab aliis patribus ad hoc dogma significandum fuisse adhibitam monumenta testantur. Ea quippe usus fuerat Dionysius Patriarcha Alexandrinus in celebri sua Epistola ad Dionysium Romanum Pontificem, qua fidem suam circa Verbi divinitatem profitetur, cujus fragmentum refert S. Athanasius ejus in eodem patriarchatu successor, (*Lib. I. de Syn. Nic. decretis*), ubi luculenter declarat, se nunquam negasse, *Christum consubstantialem esse Deo*; quo habito testimonio Romanus Pontifex in Concilio Romæ collecto anno 260, vel 263. Patriarcham ab omni erroris suspicione liberum dixit. Nec alia desunt mo-

numenta hujus vocis adhibitæ a patribus antenicænis, sed pro cunctis testimonium sufficiat Eusebii Cæsariensis Episcopi viri eruditissimi in Epistola ad Cæsarienses scripta et a Socrate relata Hist. L. I. C. VIII. nec non ab Athanasio loco adducto, in qua hæc habet Eusebius: *Cui voci hoc modo explicatæ assentiri nobis rectum visum est, quandoquidem exploratum habemus, veteres quosdam eruditos et illustres Episcopos ac scriptores, cum de Patre et Filio disserent, voce consubstantialis usos fuisse*. Jure igitur Athanasius antiquum ejus vocis usum ubique propugnat, et præcipue *Epistolà ad Africæ Episcopos* eam vocem vindicat scribens: *Primi Episcopi ante annos prope centum triginta cum magnæ Romæ, tum etiam nostræ Urbis scriptis suis eos culpaverunt, qui Filium rem factam, et Patri non consubstantialem dicerent*. Qua fronte igitur adversarii, homines non utique ineruditi, fabulantur, eam vocem in Concilio Nicæno fuisse primitus excogitatam? Hanc autem vocem illis patribus fuisse divinitus inspiratam probavit eventus. Nam cum hæretici in omnibus aliis phrasibus, quas adhibebant ad catholicum dogma declarandum, viam elabendi ac tergiversandi se invenisse putarent, hac audita voce, quæ nullum eis relinquebat effugium, quasi fulmine perculsi obstupuerunt, nullaque adinventa illius vim declinandi arte et fraude pervicaciter eam rejicere decrevere. Cæterum Synodus eidem voci alias addidit significationes quæ omnis ambiguitatis eam expertem facerent. Definivit enim Filium esse *ex Patre unigenitum et ex substantia illius natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lu-*

men de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qua celeberrima definitione omnem fallaciis et amphibologiis aditum praecluserunt, et catholica veritas triumphavit.

CXC. Hæc cum ita sint, quis credidisset unquam, quod ariani illi veteres ne quidem suspicati sunt, id neotericos heterodoxos pervisuros fore; fuisse videlicet Nicænorum patrum sententiam, Filium esse quidem Patri æqualem unamque cum eo possidere naturam, verum non unam numero, sed specie tantùm, qualis inter homines duos est? At contra iniquissimam accusationem hanc facillime ostenditur, Nicænos patres clarè et apertè ac sine ambiguitate ulla ea voce sancire intellexisse, Verbum divinum *eandem numericam et individuam* prorsus cum Patre habere naturam. 1. Enim quis unquam crederet, Episcopos illos, qui alioquin adeò perspicaces et instructos in hac se causa probant, tanta potuisse laborare stupiditate, ut divinam naturam cum humana propriè et exactè comparaverint, unitatem scilicet realem divinæ naturæ cum unitate impropriè dicta naturæ humanæ, quæ non nisi abstractus est mentis nostræ conceptus? Inde enim fateri coacti fuissent, sicut tres personæ humanæ, tres sunt homines, ita personas tres divinas tres esse deos; quæ erat stulta calumnia Sabellianorum ab Ecclesia perpetuò rejecta. 2. Quis sibi persuadeat, illius vocis sensum Arianos non probè de numerica unitate accepisse, sed de specifica intellexisse? Qui alioquin catholicis deorum pluralitatem invehere objecissent, quod tamen ne somniarunt qui-

dem. 3. Si patres existimassent, unitatem specificam tantùm, non vero individuam et numericam definire voluisse, cur semi-ariani tantopere ab ea voce abhorruissent, et perfracto animo a catholicis dissensissent, qui Filium Patri in omnibus similem agnoscebant, et licet non consubstantialem, illum tamen *similis substantiæ* fatebantur, sive ὁμοιούσιον; quæ vox *numericam* excludere poterat, ac certe significabat potius *specificam unitatem*? Ea itaque contenti non fuere patres, ac insufficientem eam judicabant ad orthodoxam definiendam doctrinam; ad quam *consubstantialem* aptissimam vocem esse senserunt. 4. Docebant patres, æternam Filii generationem exemplum nullum, nullamque in humanis comparationem habere, sed esse mysterium omnino ineffabile: simulque affirmabant, naturam divinam in tribus personis esse indivisam, quæ unum solum Deum sint; quod de tribus humanis personis nemo dixerit. Non igitur de specifica unitate agebatur, at verò de numerica divinæ essentiæ, atque indivisa unitate. 5. Demum quis melius sensum hujus vocis internoscere queat? Clericus ne post quindecim Sæcula, an potius qui eidem Synodo interfuere? Ambiget nemo illos præ neotericis esse audiendos. Accedat ergo Athanasius hujus rei testis et auctor, qui loco adducto scribit: *Ubi Episcopi illorum simulationem animadverterunt... quæ antea dixerant, clarioribus verbis ea significare coacti sunt, ac deinde scribere, Filium Patri esse consubstantialem; ut scilicet significarent, Filium non tantùm similem, sed eandem rem similitudine esse cum Patre...* Idque ulterius declarare pergit: *Cum*

Filii a Patre generatio alia planè sit a natura hominum , nec solum similis ille sit substantiæ Patris, sed dividi ab ea non queat : cum item ipse et Pater unum sint , ut idem dixit , semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo, eo modo quo se habet splendor ad lucem , id enim dictio ipsa significat ; idcirco Synodus ea re percepta , eum esse consubstantialem rectè scripsit. Videat hic Jo. Clericus, Athanasium et cum eo Nicænos patres specificam exclusisse unitatem quam optabant semi-ariani, et numericam , juxta catholicum sensum , divinarum personarum essentiam subrogasse, ut eam consubstantialem unam scilicet ac individuam , ostenderent ac tuerentur .

CXCI. Clamat Cudworthus : Cùm patres consubstantialem dixere harum persônarum naturam, nunquam addidisse, *numericè unam et singularem :* quod tantùm dictum sit in IV. Lateranensi Concilio contra Ab. Joachimum anno 1215. Cui reponimus : Cum patres divinam essentiam *unam atque indivisam* dixere, eam planè affirmarunt ac *singularem*: et cum indivisam appellarunt , specificam sanè exclusere unitatem , quæ in pluribus subjectis divisa est . Cæterum cum Filium verum Deum haberent, et Deus per ipsos unus tantùm sit, non potuere Filium verum existimare Deum , quin numericam simul unitatem essentiæ in utroque faterentur . Accedit , quod latino vocabulo *singularis* nullum exactè respondet in græco idiomate ; nam quod nos singulare dicimus , græcè per ἑνικον , aut ἐξαιρετον , *unicum*, aut *indivisum* exprimitur. Præterea ariani Filium Patri simillimum

in natura et in omnibus prædicabant, quod patres, ut sibi a fallaciis præcaverent, sufficere non putarunt, etiamsi specificam significarent naturæ unitatem; per vocem igitur *consubstantialis* plus aliquid explicare voluerunt, numericam scilicet ac singularem substantiam. Ariani denique quamcumque in divinis respuebant generationem, quasi non posset absque ulla partium separatione fieri. Verum patres repondebant, Deum Patrem ex propria sui substantia Filium gignere, idque absque ulla partium divisione aut immutatione. Numericam igitur inter utrumque naturæ unitatem agnoscebant et confitebantur. Nec dicant, alias potuisse usurpare voces, quæ hanc rem melius exprimerent. Illi enim patres inter duos sibi adversos errores incedere debebant, a quibus æque distabat catholica veritas. Cavendum sibi erat a Sabellii hæresi, quæ personarum distinctionem nullam statuebat; et ab Arii impietate, quæ filii personam a deitate nimium discriminabat. Ne igitur alterutri parti faverent, eas voces et phrases eis seligere opus erat, quæ tempori ac circumstantiis magis congruerent, neutri litigiosæ parti ansam darent, ac simul orthodoxam doctrinam in tuto ponerent ac tuerentur; quia indigerent aut Clerico, aut Cudwortho, hominibus contra catholicam veritatem male affectis, qui eis verba ad opus suppeditarent.

CXCII. Regerunt tamen: Novam esse hanc vocem, cujus nullum in Sacris Literis deprehendatur vestigium; ut neque prudenter fuerit adhibita. Sed licet ea vox quantum ad syllabas in Scripturis non legatur, legitur tamen quantum ad rem significatam. Hinc

Nazianzenus ajebat, *Orat. XI. Si ita credendum est, cur non ita profitendum?* Sed et ea voce patres uti coacti sunt quasi eis divinitus inspirata ad omnes adversariorum artes, technas, et sophismata evertenda. Nova dicebatur autem ea vox, non quod nova revera foret, ut vidimus; sed nova dici poterat, quia nondum erat solemni Ecclesiæ auctoritate sancita et consecrata. Egregiè Augustinus: *Nihil est contentiosius, quam ubi de re constet, certare de nomine.* Sed ajunt: Antiochena Synodus an. 269. vocem hanc condemnaverat; non ergo prudenter usurpata est. Huic tamen exceptioni diversimodè ab eruditis responsum est. Et 1. parum id verisimile videtur, cum ante decem annos adhibita fuerit a Dionysio Alexandrino et a Romano Pontifice approbata, ut vidimus. An ne Antiochena Synodus rem hanc ignorasset, aut honori præcipuarum Sedium minus consultum voluisset? Sed nec ulla hujus damnationis mentio ab arianis facta est in Concilio Nicæno; quæ res cum nonnisi ante Annos LV. gesta sit, eos latere non poterat. Potissimum latere non potuerat Eusebium Cæsariensem, qui illius Concilii Synodicam Epistolam viderat, et circa eam vocem anceps diu fuerat. Quod si nonnulli patres illius ævi eam damnationem dabant, ac in pravo Samosateni sensu damnatam eam vocem concedebant; id contigit, quia malis arianorum artibus decepti erant, qui in Ancyrano Concilio an. 358. primitus ejus damnationis meminere. Sanè patres illi eam condemnationem minime viderant, sed illa tantisper admissa, ne in novam controversiam cum arianis descenderent, qui forte supposititiam Epistolam

proferebant, quasi divinando responsum dabant. Sed etiamsi ea vox ante annos fere centum a particulari Concilio improbata fuisset, quod ea abuteretur Samosatenus, ut divinas personas in unam confunderet; non fuerat certè in sensu rejecta, in quo a Nicænis patribus consecrata est. Nihil autem impedit, quominus eadem vox uno in sensu pravo expungatur, et in alio recto sensu adoptetur. Opponebat præterea Jo. Clericus: Filium dictum fuisse a patribus, præcipuè in particulari Concilio Chalcedonensi An. 533, *consubstantialem Patri secundum divinitatem*, quemadmodum *consubstantialis factus est matri ac nobis secundum humanitatem*; Sed nobiscum consubstantialis factus est unitate *specifica*, non *numerica*, patres ergo de illa, non de hac locuti sunt, cum Filium etiam consubstantialem Patri dixere. At considerare debuerat criticus iste intemperantissimus, comparationes hujusmodi ac phrases non in omnimoda significatione sumendas, at verò dictas tantum secundum rationem aliquam. Nam Filii divinitas vera esse non posset, nisi eadem esset numerò cum divinitate Patris: ut autem vera sit assumpta ab eo humanitas, necesse non est, ut eadem sit numericè cum Matris humanitate; sed sufficit quod ex matris substantia conceptus et natus sit, atque ipsius humanitas sit eadem *specie* cum Matris et reliquorum hominum humanitate. Id verò a patribus optimè juxta Scripturas affirmabatur contra hæreticos, qui veram humanitatem assumpsisse negabant, sed aut corpus ei phantasticum tribuebant, aut e cælo illud detulisse comminiscebantur. At Filius Dei, humanam assumendo naturam in

suæ divinæ personæ unitatem, eandem specie assumere illam debuerat. Iniquè igitur vult Clericus, eam vocem Nicænos patres in sensu Platonicorum usurpasse, qui *specificam* substantiæ unitatem, non *numericam* agnoscebant. Quidquid enim platonici senserint, qui adæquatam de hoc mysterio notionem habere non poterant; certum est Nicænos patres, eam vocem ad unitatem individualem et numericam designandam coarctasse; cum repugnet, ut plures sint essentiæ divinæ; nec vera esse queat filii divinitas nisi eadem sit et numerò consubstantialis cum essentia Patris. Cæterum eadem difficultas in aliis vocibus occurrisset; cum hæc numerica et indivisa unitas in substantia nullum exemplum præseferat in creatis rebus. Concludendum ergo cum S. Gregorio Nazianzeno *Orat. XXXI. Colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, tres proprietates, unam divinitatem nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno divisam.*

CAPUT X.

DE SPIRITUS SANCTI DIVINITATE, ET QUOD SIT VERA PERSONA CUM PATRE ET FILIO CONSUBSTANTIALIS.

CXCIII. Vix profligata erat Ariana impietas, cum iterum ejusdem surculus emersit anno circiter 359. hæresis nempe *pneumatomachorum* dicta, a vocibus *πνευμα, Spiritus*, et *μαχομαι, pugno*; quod *Spiritus Sancti* divinitatem bello pestifero adoriri ausa sit.

Qui hanc excitavit hæresim fuit Macedonius a Constantio Imperatore in Constantinopolis sedem vi et armis intrusus, non sine ingenti hominum cæde qui legitimum Antistitem Paulum in exilium ejectum tuebantur. At mox cognita Macedonii audacia, hunc quoque Imperator a pontificali sede semovit; qui ob id iracundia exæstuans arianam hæresim, cui Constantius addictus erat, ejurare cœpit, simulque novam disseminare hæresim, qua Sancti Spiritus oppugnabat divinitatem. Hi ergo et Macedoniani, et semiariani, aliisque nominibus vocati sunt, de quibus Augustinus *de Hæresib.* scribit: *De Patre et Filio rectè sentiunt, quod unius sint ejusdemque substantiæ vel essentiæ; sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes*. Hos impugnarunt plures illius ævi patres, Didymus præsertim Alexandrinus, et Basilius. Quanquam hi hæretici discordes erant inter se, ut refert Nazianzenus: alii *energiam* meram, sive *efficientiam* eum dicebant: alii creaturam jussu Patris a Filio conditam: alii Deum: alii cuinam generi tribuendum esset ignorabant: alii tandem volebant, Spiritum Sanctum unum esse ex Administris Spiritibus, et solo gradu a cæteris Angelis differre. Hi statim damnati fuere in Concilio Alexandrino an. 362. præside S. Athanasio: deinde in Concilio Illyrici an. 367. nec non in Romano sub Damaso Papa, ac tandem in Synodo œcumenica Constantinopoli celebrata an. 381. At Macedonianorum hæresim jamdudum extinctam e cineribus exsuscitarunt et avidè arripuerunt ævi hujus Sociniani, qui Spiritum Sanctum vel donum Dei, vel ipsius efficientiam,

vel etiam meram habent creaturam. Contra igitur hos omnes dogma catholicum demonstrandum est, nempe *Spiritum Sanctum personam esse divinam Patri Filioque consubstantialem*.

CXCIV. Hæc autem veritas iis argumentis omnibus evincitur, quibus supra (N. CLII. et deinceps) demonstrata est Trinitas divinarum personarum in essentiæ unitate; inter quæ eminet Forma Baptismi, qua potissimum usi sunt Athanasius, Basilius, Didymus, et singillatim patres Concilii œcumenici Constantinopoli habiti, ut Macedonii blasphemias exploderent ac damnarent, in quo ex avita Ecclesiæ doctrina professi sunt credere: *Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas*. Quæ verba magna ex parte Symbolo Nicæno addiderunt, et quibus testantur Eum veram personam agnoscere, cui attributa et operationes adscribunt, quæ divinæ personæ propria tantùm esse queunt. Et quidem Christus Jesus nunquam baptizari jussisset in nomine personæ, quæ Deus non esset, 2. id ostenditur ex nomine Dei, quo sæpe in Scripturis Spiritus Sanctus designatur. Nam cum *Actor. V*, S. Petrus Ananiam objurgasset, quod pecuniam abscondens mentitus esset, ita eum affatur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Mox verò subdit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Quem locum frustra Sociniani quidam infirmare nituntur, cum ajunt ex græco verti posse — mentiri te Spiritum Sanctum — nempe simulare eum habere: aut etiam dici posse,

Ananiam mentitum esse Deo, quatenus mentitus sit Apostolis, qui divina virtute repleti erant: Quæ inepta sunt effugia ad vim veritatis declinandam inventa; nam in græco ψεύσασθαι *mentiri*, cum dativo et accusativo casu conjungitur, et in utroque eandem præsefert significationem, juxta grammaticus: hoc autem in loco cum utroque casu construitur, ut ambiguitatem omnem excludat, sicut de hoc naturali sensu nunquam dubitavit antiquitas. Nec minus distorta, et a vero sensu aliena est altera interpretatio, nam Petrus non increpat Ananiam, quod sibi mentitus esset, sed Deo, quem nihil latere potest. At alia plura sunt loca idem testantia, ut cum Apostolus 1. *Cor.* XII. postquam fideles Templum Dei vocaverat: *Nescitis quia Templum Dei estis vos?* Mox subdit: *An nescitis quia membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti?* Idem ergo est, Templum Dei, ac Templum esse Spiritus Sancti; ita ut non nisi persona divina hic haberi possit. Præterea frequenter Spiritus Sanctus dicitur in Sacris Literis per prophetas locutus: Ita Apostolus *Actor.* XXVIII. referens Isajæ locum VI. ait: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isajam .,. Vade ad populum istum et dic ad eos: aure audietis et non intelligetis etc.* Sed apud Isajam, qui hæc mandaverat, erat *Dominus Deus exercituum* in hebræo textu *Jehova*, nomen proprium veri Dei. Lucæ quoque I. in Cantico Zachariæ *de Domino Deo Israel* habetur: *Qui locutus est per os sanctorum ..., prophetarum ejus.* Et Apostolus ad *Hebr. I.* ait: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis*. Sed juxta Apostolum Petrum *Ep.* 2.

c. 1. *v.* 21. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Persona igitur divina hic est. Non nisi ergo cavillandi prurigine abrepti opponebant olim et modo insistunt hæretici, hanc divinam personam nullibi in Scripturis Dei nomine insigniri, aut invocari; cum non raro id in Sacris Literis factum sit. Verum considerandum erat, Dei nomen ibi ut plurimum adhiberi ad trium personarum operationes designandas: aut ad divinam naturam referri in qua tres insunt divinæ personæ; quæ sæpius suis propriis nominibus nuncupantur; quæ tamen iis characteribus distinguuntur. ut eis divinitas denegari non possit: ut cum de Spiritu Sancto dicitur: *Qui a Patre procedit*, aut cum jubetur, ejus nomine baptizari, ubi invocatio elucet, et potestas dimittendi peccata et sanctificandi. Ita Apostolus *ad Hebr.* c. 3. Deum quem tentaverunt patres in deserto juxta Psalmum XCIV. ait: *fuisse Spiritum Sanctum*. Demum quid sibi vult Apostolus, cum 2. *ad Cor.* Epistolam concludit: *Gratia D. N. J. C. et Caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, amen*. An non hæc deprecationem simul et invocationem continent?

CXCV. Sed præterea hujus personæ divinitas elucet ex muniis, operationibus, et divinis proprietatibus, quæ illi tribuuntur in Sacris Literis, cum Spiritus Sanctus dicatur, *descendere de Cœlo, mitti, audire, loqui, docere, revelare futura, scrutari profunda Dei, sanctificare, donis locupletare* etc. Tum cum ipsi immensitas datur, ut *Sap.* I. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum:* Omniscientia, ut *Jo. XVI. Ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*.

Et 1. *Cor.* 2. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei:* Omnipotentia, *ibid. C. XII.* 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Eadem etiam cum Deo Patre essentia. *Jo. XV. Spiritus veritatis qui a Patre procedit.* Atque de tribus his personis ait *Jo.* 1. *Ep. c. V. Et hi tres unum sunt.* Insurgunt hic Sociniani, ajuntque, hæc et alia id genus testimonia debere de Spiritu Sancto intelligi metaphorice, prout nempe est Dei virtus, non quasi distincta persona sit. Sed hæc pro lubito comminiscuntur, eosque refellit Christi promissio Apostolis facta. *Jo. XV. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Nam profecto *procedere a Patre, mitti a Filio, testimonium perhibere,* propriè nonnisi personæ conveniunt; præsertim cum dicat, alium se missurum a seipso distinctum: *Ego rogabo Patrem et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* etc. Qui nisi de persona locutus fuisset ab utrisque distincta, ineptus sermo esset; quod absit vel cogitare. Quid plura? Cum Paulus venisset Ephesum, quosdam interrogavit, num accepissent Spiritum Sanctum? qui responderunt: *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.* At si eo nomine nil aliud nisi *divina Virtus* intelligenda esset, quomodo Ephesii eam ignorassent? Illa ergo ignorantia de tertia persona erat, non de divina Virtute. Sed Crellius argutatur, et ait; Apostolum dicere, *Nobis Deum revelasse per Spiritum suum* et alia hujusmodi, ut hic Spiritus non sit causa princeps, sed

tantum Dei administer. Hic tamen Socinianus jam audiverat, hunc Spiritum a Patre procedere, unde per Spiritum suum revelare idem sit ac per personam a se procedentem, quæ ut vidimus, omnia absoluta attributa cum Deo Patre communia habet, ut etiam revelationem et virtutem creatricem communem possideat; quemadmodum de filio dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*. Has enim proprietates omnes a Patre, a quo procedunt, accipiunt. Rursus Crellius cavillatur, cum ait, nos ita argumentatos esse: Deus locutus est per prophetas: sed qui locutus est per prophetas est Spiritus Sanctus: ergo Spiritus Sanctus est Deus. Quas vult esse propositiones particulares; quæ syllogismum mancum constituant. Pudere tamen debuerat Crellium ea proferre, quibus dialecticæ se ignarum prodit: Nam prima illius syllogismi propositio generalis est, quæ huic æquivalet: *Ille qui per prophetas locutus est, verus est Deus* (ubi vox Deus non pro persona particulari, sed pro divinitate, quæ est eadem in tribus personis, accipitur:) *sed Spiritus Sanctus per prophetas locutus est; ergo ipse est Deus.* Qui syllogismus optimè concludit, et Spiritus Sancti divinitatem evincit.

CXCVI. Sed præterea veram et consubstantialem Spiritus Sancti cum Patre et Filio divinitatem tota vetusta Traditio confessa est; ad quam provocabat olim Basilius Magnus in *Lib. de Spiritu Sancto c.* 29. inquiens: *Arbitror autem, Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere... quarum una est et hæc de qua agimus, nempe vera et consubstantialis Spiritus Sancti divinitas.* Hinc prosequitur

Basilius, et plures affert veterum auctoritates, ut 1. Dionysii patriarchæ Alexandrini qui Epistolam ad Romanum Antistitem missam ita concludit: *Deo autem Patri, et Filio Domino nostro Jesu Christo cum Sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum*. Deinde affert auctoritatem Clementis Romani Pontificis primo Ecclesiæ sæculo: ita scribentis: *Vivit Deus, et Dominus Jesus Christus, et Spiritus Sanctus*. Profert etiam Irenæi et Origenis loca plura; tum Julii Africani historici nobilissimi secundi sæculi, cujus hæc recitat verba: *Nos enim gratias agimus Patri qui nobis præbuit universorum servatorem Jesum Christum, cui gloria et majestas cum Sancto Spiritu in sæcula*. Præter hæc et alia magnus ille Basilius afferebat *doxologiam* seu Glorificationem illam in omnium ore vulgatam et ab ævo Apostolorum frequentatam, nempe: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto;* et alias similes in usu apud fideles veteres; ex quibus aliisque documentis evincitur, Christi Ecclesiam tres personas ejusdem dignitatis, divinitatis atque substantiæ credidisse. Quod si alicubi canebatur *Gloria Patri et Filio in* vel *cum Spiritu Sancto;* id minimè catholicæ doctrinæ adversatur, quin eam potius confirmat: nam particulæ *in, per, cum* sæpe ad trium personarum vinculum, et unitatem essentiæ significandam adhibebantur, ut observarunt et exposuerunt veteres patres; qui potius inde argumenta sumebant ad validius oppugnandos errores. Mentiuntur ergo Sociniani recentes, cum ajunt, patres Spiritum Sanctum nunquam ferme Deum appellavisse. Nam S. Damasus in Synodica Epistola ad Illyricos

relata a Theodoreto L. V. *Ecc. Hist.* c. XI affirmat, Nicænos patres definivisse, tres divinas personas, *unius deitatis, unius virtutis, unius substantiæ* credere oportere, ibique subdit S. Damasus: *si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse verè et propriè, sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit.* Ipse S. Basilius, de quo dicitur, ab eo nomine abstinuisse aliquando, ne hæreticos irritaret, Epistola VIII. apertè pronuntiat, quod *confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, uti eloquia divina docuerunt.*

CXCVII. Audienda alia nonnulla quæ pneumatomachi objicere solent. Ajunt quippe, plura in Sacris Literis Spiritui Sancto tribui, quæ essent ejus divinitati adversa; ut cum *ad Rom. VIII.* dicitur pro nobis orare: *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Deinde *Jo. XVI.* Legati officio fungi dicitur: *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Verum non est, cur sibi plaudant in his argutiis hæretici, qui fingunt ignorare quo sensu hæc sint accipienda. Chrysostomus itaque primum locum intelligit, de dono orationis hominibus dato, quod Sacræ Literæ solent *spiritus* nomine designare, ut Zachariæ VII. *effundam super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum*. Hic itaque gratia et donum per metonymiam pro ipso donante accipitur, quo dono Sancti excitati postulant gemitibus inenarrabilibus. Juxta alios patres Spiritus postulat pro nobis non propriè, sed impropriè atque efficienter, quia nempe nos orare facit, atque ut Augustinus ait, *quatenus nobis interpellandi et gemendi*

inspirat affectum. Id clarè indicat Apostolus ibidem, cum ait: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. Loquitur ergo Apostolus per figuram synecdoches, qua accipitur causa pro effectu; et quo sensu ajebat Christus Matth. X. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; id est, qui vos loqui facit. Licet autem operationes ad extra sint tribus personis communes; quæ tamen propriæ sunt divinæ bonitatis peculiariter et *per appropriationem* uti diximus Spiritui Sancto tribuuntur. Ad alterum respondebat Augustinus, Spiritum Sanctum a semetipso non loqui, eo quod essentiam atque hinc Scientiam a Patre Filioque origine et processione acceptam habeat. Nec refert, dixisse Christum, *ille de meo accipiet*, quasi futurum tempus non æternam originem significaverit: ut enim sapienter Augustinus: *In eo quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur sive præteriti; sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur*. Præsertim cum hic effectum in tempore futuro edendum, atque ad extra respiciat Christus = *et annuntiabit vobis*. = Præterea Sociniani ignorare simulant, cur Spiritus Sanctus dicatur, *omnia scrutari*, quasi non habeat perfectam scientiam? Sed ipse scrutatur non inquisitione sed perfecta scientia, qua omnia novit, ut Deus dicitur, *scrutator cordium*. 2. Quærunt: Cur dicatur *Spiritus Dei* ab Apostolo, quasi non sit persona subsistens. Non repugnat tamen, ut sit Dei Spiritus et simul persona: talis autem dicitur quia in Deo est, et a Patre procedit, nec humana exempla transferri queunt ad divinitatem. 3. Cur dicatur *Spiritus*

prophetarum ab Apostolo, quasi a prophetis pendeat. At cum 1. Cor. XIV. ait: *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt*, non loquitur de persona divina, sed de dono prophetiæ, quod ab Ecclesia probari debet, ut ait Joannes: *probate Spiritus, utrum ex Deo sint*. 4. Cur dictum sit: *Quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei?* Nempe quod ea non noverit ulla creaturarum; non verò, quod non noverint aliæ divinæ personæ, quibus divina scientia una et eadem est. 5. Quomodo Spiritus persona est, si Spiritus non aliud quam Dei essentiam significat? Significat quidem essentiam si *absolute* sumatur, at *relativè* sumptus personam denotat Spiritus Sancti a Patre Filioque procedentem atque distinctam, ut sæpius dictum est. Denique ita argutantur: Vel Spiritus Sanctus est genitus, vel ingenitus: si ingenitus erit Pater, cum hæc sit illius notio: si genitus, erit Filius; atque ita essent vel duo Filii, vel duo Patres. Falluntur tamen; nam Spiritus Sanctus propriè nec genitus dicitur, nec ingenitus, sed *procedens*, uti appellatur in Evangelio, atque uti antiquitus fideles profitebantur. Nazianzenus autem olim Macedonianis importunè quærentibus, quid esset hæc processio? respondebat: *dic tu quid Patris ingenitura sit, et ego Filii generationem et Spiritus processionem explicare aggrediar, ut ambo mentis vesania præcipiter agamur, in Dei mysteria oculos injicientes*. Et rectè, cum quæ Dei sunt nemo noverit nisi ipse; et ea, quæ nobis ob suos altissimos fines revelare dignatus est, reverenter a nobis adoranda sint; non curiosè scrutanda: nam ut ajebat Sapiens: *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a Gloria*.

CAPUT XI.

SPIRITUM SANCTUM A PATRE FILIOQUE SIMUL PROCEDERE OSTENDITUR.

CXCVIII. Spiritum Sanctum personam esse in divinæ essentiæ unitate, jam luculenter demonstrasse confidimus. Superest dirimenda acerrima contentio a græcis contra catholicam fidem a nono usque sæculo excitata, qua rixabantur, divinam hanc personam a Patre quidem procedere, at non etiam simul a Filio veluti ab uno principio eademque spirativa virtute. Ex infanda hujus hæresis historia nemo ignorabit, dissentientes istos prætextum inde aucupatos esse, ut contra fas a Matre Romana Ecclesia scissuram facerent, et, qui inferiores erant, intolerabili fastu abrepti caput attollerent; ut non modo æquales et absque subjectione ulla, sed etiam superiores se constituerint; ex quo factum est, ut sensim in præceps ruerent, ac tandem nullius numeri nulliusque ponderis fierent. Nonnulli enim Constantinopoleos Antistites occasione capta, quod Imperatores ibi sedem fixerant, arbitrati sunt, ejus urbis, Byzantii antea nuncupatæ, Episcopos frui oportere etiam suprema aut saltem æquali in rebus Religionis potestate, quasi Ecclesiæ Primatus Imperatorum sedes sequi debuisset. Hinc jam a tempore Magni Gregorii susi fuerant non sine Orbis admiratione sibi nomen *Episcopi œcumenici* usurpare; atque tandem sæculo undecimo favore freti Orientis Imperatorum schisma teterrimum consummarunt.

Nihil eos moverunt Majorum exempla, qui per tot sæcula primatum Romanorum Pontificum de jure divino super Ecclesiam universam confessi fuerunt; sed ambitione ducti post annos mille et amplius rebellarunt, ac deceptos populos in apertum schisma impulerunt. Prima hujus rebellionis semina jecerat Photius homo vaferrimus (si tamen eum virum dicere oportet eviratus enim erat) et patriarchalis sedis invasor, a qua an. 858. Ignatium legitimum Antistitem expulerat. Quare a Nicolao I. in Synodo Romæ collecta plurium criminum reus an. 863. damnatus est; qui propterea furiis agitatus maledicta infanda in Nicolaum ipsum jaculatus est, et Romanæ Ecclesiæ errores appingere sibi arrogavit, atque hanc ipsam Catholicam de Spiritus Sancti processione a Patre Filioque doctrinam quasi erroneam impiè sugillavit. Verum Basilio Macedone ad Imperium assumpto, Photius ab Episcopali Throno deturbatus est, et Ignatius in sedem suam ingenti omnium lætitia restitutus. Hinc Adrianus II. Synodum Cpoli indixit an 869. quæ VIII. est OEcumenica et postrema earum quæ in Oriente celebratæ sunt, in qua Photii acta rescissa fuere et flammis addicta, atque Oriens totus in concordiam cum Romana Ecclesia revocatus. Verum post Ignatii obitum Photius arte ac hypocrisi iterum in ejus locum invectus rursus tumultuari cœpit, ac denuo a Romana Sede damnatus, tandem a Leone Imperatore, qui *sapiens* dictus est, in quodam Armeniæ monasterio relegatus, ibi misere interiit anno 889. Pax interim cum Oriente servata est per annos fermè ducentos, donec Michaël Cærularius in patriarcham assumptus

homo ambitiosus et audacia tumidus turbas renovavit, Latinosque accusavit, quod symbolo particulam *Filioque* addidissent, anno circiter 1054. Sed et ipse ab Isaacio Comneno e sede dejectus et in Proconnesum deportatus infeliciter extinctus interiit anno 1059. Ut autem schismatis semina sopirentur plura Concilia habita sunt, ut Barense an. 1097. in quo S. Anselmus Cantuariensis Episcopus contra græcos strenuè dimicavit. At potissimum in tribus OEcumenicis Conciliis pax cum græcis inita est et controversiæ compositæ, et I. in Lateranensi IV. sub innocentio III. an. 1215, præsentibus patriarchis Cpolitano et Hierosolymitano. Sed rupto fœdere iterum pax sancita in Lugdunensi II. an, 1274, præsidente Gregorio X, in quo a græcis simul et a Latinis symbolum cum particula *Filioque* decantatum est; atque hujus Concilii Acta in frequenti Synodo Cpoli celebrata an. 1276. solemniter recepta sunt. Sed iterum paucis post annis turbæ commotæ sunt et dissidia nata, quæ in apertum schisma prorupere an. 1281.

CXCIX. Tertia et ultima græcorum pax cum Latinis inita est in Concilio Generali Florentino sub Eugenio IV. cui interfuere græci præsules non pauci cum Josepho Cpolitano patriarcha, Bessarione clarissimo Antistite Nicæno, ac ipso Joanne VII. Palæologo Orientis Imperatore; qui omnes anno 1439. eandem solemniter fidei professionem in utraque lingua emisere, et concorditer subscripsere, uno excepto Marco Episcopo Ephesino vafro et pertinaci homine, qui in Orientem redux plures iterum in schisma pertraxit, in quo hodieque perstant absque

ulla proxima concordiæ spe. Nullo tamem actu publico statuta Concilii Flor. rejecta sunt aut impugnata, ut hic error personalis considerandus sit, non toti græcæ Ecclesiæ, aut nationi communis. Hinc multi cum in Græcia tum in toto Oriente, catholicam fidem et communionem servant ac strenuè tuentur. At verò anno 1453. a Sultano Mahomete II. Urbs Cpolis capta est, ac illa perduellis et schismatica Ecclesia afflicta, depressa, et in abjectam servitutem redacta patrati criminis pœnas luit. Ecclesia infelix! quæ a Vite vera excisa jam fructus ferre desivit, et quæ, si dum in Vite manebat, fuit fœcunda parens virorum sanctitate ac doctrina illustrium; modo sterilis et arefacta sedet in tenebris ac in umbra mortis. Ex eò luctuoso tempore jam spuria effecta nullos veræ Ecclesiæ characteres ostendit: non unitatem, quam amisit non modo cum a trunco discessit et divulsa jacuit, sed præterea cum se in plura capita nulli subjecta divisit: non sanctitatem, quæ sine concordia et charitate stare non potest, et quam neque in sanctis viris, nec in miraculorum gloria demonstrat: non se catholicam probat, quæ universam Christi doctrinam respuit, et in Europæ angulo latet, quæ inconstans etiam in doctrina fuit, ut ea quæ pluries Romanæ Ecclesiæ adhæserit, pluries ab ea recesserit: non denique Apostolicam se manifestat, ut ea quæ sedem Apostolicam non agnoscit nec ei adhæret; aliam se fecit ac eam Apostoli constituerant, et Apostolorum spiritum amisit Evangelium infidelibus prædicandi et per orbem totum diffundendi, ut Dominus jussit Ecclesiæ suæ, quo præcipuo munere usque ad finem sæculorum functura

est. Quare in græcorum schismate non jam Ecclesiam, sed spectrum quoddam Ecclesiæ potius videre licet.

CC. At quantum a catholico dogmate græci aberrent, modo demonstrare aggredimur. Atque 1. ex Sacris Literis fit id manifestum: Nam Christus luculenter id testatur Joannis XVI. 13. inquiens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*. Ratio quam hic affert Christus, quod Spiritus Sanctus de suo accipiet, est quia quæcumque habet Pater sua etiam sint, ut in sua æterna ab ipso generatione, virtutem etiam spirativam acceperit; dum ergo affirmat, *de meo accipiet;* declarat apertè Spiritum Sanctum tum a Patre tum a se quoque procedere. Et quidem ipse accipit a Filio; sed una persona in divinis non aliter accipit, quàm via originis et processionis; igitur Spiritus Sanctus etiam a Filio procedit. Cavillabantur olim græci; quod ea verba, *de meo accipiet*, gr. *ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται*, reddenda sint; *de Patre meo accipiet*. Quod ex jam dictis exsufflatur, cum adversetur directè rationi allatæ a Christo ipso, cur id dixerit; quia nempe omnia quæ habet Pater, excepta relatione paternitatis quæ communicari nequit, sua sint. Ajebat præterea Theophylactus (qui ad sæculum usque XII. cum schisma vigebat, vitam protraxit), illud *de meo*

intelligendum esse *de meo sermone, de mea scientia;* quasi in divinis accipere de scientia, non sit idem ac de essentia accipere. Verum vetustæ omnes Bibliorum versiones eundem catholicum sensum exhibent: imo Syriaca Apostolis coæva apertè habet: *quippe qui de me est.* Quid plura? non ne ipsimet græci patres antiquiores ita ea verba intellexere? Didymus celebris Macedonii impugnator Sæculo IV. *de Spiritu Sancto* L. 2. n. 34. hunc locum uti latini omnes exponit: *Non enim loquetur a semetipso, quia non ex se est, sed ex Patre et ex me est: hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est.* Quid clarius? Epiphanius etiam in *Ancorato* n. 67. habet: *Cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ex ambobus, ut Christus his verbi asserit: qui a Patre procedit: et hic de meo accipiet.* En græcos patres cum latinis omnino concordes. Cyrillus quoque Alexandrinus perfectè consentit Lib. X. in Jo. scribens: *Non enim alienus ab Unigeniti substantia Spiritus Sanctus intelligitur, procedit verò naturaliter ex ipsa.* Et Lib. XI. *Quoniam consubstantialis filio est, proceditque per eum... ideo dicit: de meo accipiet.* Plura ad hunc Evangelii locum illustrandum congere non est opus.

CCI. Plura alia supersunt Scripturarum loca hanc processionem a Filio quoque ostendentia; ut cum ad Galatas IV. 6. ait Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem.* Et Jo. XV. 26. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre:* At si ipse est Spiritus Filii, si eum Filius mittit, profecto ab ipso etiam procedit: Nam Missio

in divinis nec per præceptum neque per consilium, sed per solam originem fieri potest: cum ergo sit Spiritus Filii, cum ab eo mittatur, ab ipso quoque proculdubio procedat necesse est. Quare veteres græci patres, quando se occasio offerebat, eam processione testati sunt. Athanasius *Orat. IV. in Arianos* ajebat: *Quæcumque habet Spiritus, hæc habet a Verbo*: Unde in ejus symbolo legitur: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Chrysostomus verò *Hom.* 1. *in symb. Apost.* luculenter habet: *Hic est Spiritus procedens de Patre et Filio*. S. Epiphanius id non semel affirmat, nam præter ea quæ allata sunt, Hæresi LXXII. ait: *Spiritum Sanctum non alienum esse a Patre et Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio*. S. Cyrillus Alex. *Ep. ad Nestorium* in Conciliis Generalibus Ephesino, Chalcedonensi et Cpolitano approbata apertè testatur, *Spiritum Sanctum a Filio sicut a Patre procedere*. Idem confirmant Basilius, Gregorius Nyssenus, et Nazianzenus, et alii passim, qui præterea eum vocant frequenter *Spiritum Filii*, *Verbum Filii*, et a S. Gregorio Thaumaturgo appellabatur, *Imago Filii*. Demum, ut constat ex Athanasio *Epist. ad Serapionem*, Macedoniani Catholicis objiciebant = Si Spiritus Filii est Spiritus, ergo Deus pater Spiritui Sancto est avus = Quæ frigida objectio nemini certè in mentem venisset, nisi communiter catholici docuissent, a Filio procedere Spiritum Sanctum. Non opus est, ut sententias proferamus patrum latinorum Tertulliani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Fulgentii ac

liorumque in hanc doctrinam mirè consentientium; eos enim contemnunt recentes græculi, quasi in Thracia Apostolorum universa traditio limitata sit. Augustinum tamen nonnulli in patrocinium sui erroris adducunt, quod aliquando affirmet, Spiritum Sanctum non procedere a Filio: id verò ipse docet contra hæreticos, qui eum a Filio instar aliarum creaturarum conditum fuisse blasphemabant. Interim alii Augustinum primum hujus doctrinæ auctorem comminiscebantur. At licet ipse præ cæteris eam illustraverit; ex sacris Literis et ex divina traditione eam tamen doctrinam luculenter deduci, Petavius aliique rerum tractatores manifestè ostendunt, et Concilia plurima, ut innuimus, definivere. Revera his aliisque momentis convicti græci innumeri pietate et eruditione illustres Sæculo XII. et deinceps catholicum dogma receperunt ac tutati sunt, inter quos eminent Nicephorus Blemmidas, Joannes Beccus patriarcha Cpolitanus, Georgius Metochita, Barlaamus, Demetrius Cydonius, Manuel Chrysoloras, Bessarion, Arcudius, Allatius, aliique a Petavio memorati, qui Lib. VII. *de Trin.* C. I. postquam duos priores laudavit, ex illorum exemplo adversarios hortatur — *Ut duorum*, inquit, *exemplo summorum, et in omni eruditionis genere florentissimorum virorum, ut illi ipsi prædicant, græci tandem sapere discant, ac tantæ auctoritati cedere hodiernæ græciæ fæces ac quisquiliæ.*

CCII. Potior difficultas, quam græci contra Ecclesiæ doctrinam jugiter ingeminant, petitur ex iis Christi Verbis Jo. XV. ubi pollicetur discipulis, *se missurum Spiritum Veritatis qui a Patre procedit*, nulla

suiipsius facta mentione. Sed frustra in hac difficultate triumphum canunt, quæ toties a viris doctissimis explosa est. Et 1. falsò ajunt, Filium hîc de seipso mentionem non fecisse, qui apertè dicit: *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum Veritatis*. Si ipse Spiritum mittit a Patre igitur ab utroque mittitur, utriusque Spiritus est, ab utroque procedit. Si mittit *Spiritum veritatis*, cum Filius sit *via veritas, et vita*; ergo eum mittit quoque a se ipso et ab ipso procedit; nisi duas veritates velimus in Deo admittere, quod esset absurdum. Præterea Jo. XX. Christus ait discipulis: *sicut misit me Pater et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insuffiavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis* etc. Ubi insufflando, hac externa actione profecto significavit, ipsum spirare Spiritum cujus dona largiebatur; alioquin dedisset quod non habebat. Hinc præclarè Augustinus *Lib. III. c. Maximin. c.* 14. *Nisi procederet et de ipso non diceret discipulis: accipite Spiritum sanctum, eumque insufflando daret; ut a se quoque procedere apertè ostenderet flando, quod spirando dabat occulte*. Quamvis ergo in loco objecto non dicat Christus *explicite*, ut ajunt, Spiritum a se procedere, id significat satis *implicitè*, cum dicit, eum *mittere, Spiritum esse veritatis*, et cum *insufflando eum donat*; præterea cum ait: *omnia quæcumque habet Pater mea sunt*: Et, *Ego et Pater unum sumus*: nec non cum *Spiritus Filii* sæpius appellatur. Regula itaque in his certissima servanda est, quod ea, quæ de Patre dicuntur, intelligantur dicta etiam de Filio ac de Spiritu Sancto, iis tantum exceptis, quæ mutuam relationem

important. Ita cum Christus Matth. XI. dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius;* non excluditur Spiritus Sanctus, de quo dictum est: *Omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et cum 1. *Cor.* 2. 11. dicitur: *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei;* non hinc excipitur Filius, qui Dei sapientia nominatur. Cum itaque Virtus spirativa Patris non opponatur personæ Filii; cum Spiritus Sanctus dicitur procedere a Patre, hoc ipso et a Filio procedere significatur. quod tamen alibi satis superque declaratum est. Hinc etiamsi in symbolo Cpolitano expressum tantùm fuerit — *Qui a Patre procedit;* non propterea excipiebatur processio et iam a Filio. Mens enim Concilii fuerat, errorem damnare Macedonianorum, qui veram internamque Spiritus Sancti processionem a Patre impugnantes, esse creaturam a Filio conditam impiè asserebant. At cùm hæretici insurrexere, qui hanc ab utroque processiònem inficiabantur, non solum proscripti sunt; sed et addita symbolo est hujus dogmatis declaratio. Cæterum non consueverunt Concilia nisi errores damnare, qui invalescebant; nec attingebant doctrinas, de quibus nulla vigebat controversia. Quod si nonnulli eo tempore hanc a Filio processionem impugnare videbantur, ut Theodoretus, eam in sensu Macedonii, non in catholico sensu rejiciebant. Quod si Photius in VIII. Synodo uti hæreticus damnatus non est; id contigit, quod non apertè errorem disseminaret, nec alius postea usque ad Cærularium id tentare ausus sit.

CCIII. Tandem græci insistebant, patres dixisse passim, Spiritum Sanctum *procedere a Patre per*

Filium, quod idem non sit ac ab utroque procedere. Verum cum ita patres loquebantur, nihil volebant aliud, quàm Filium esse principium, originem, aut etiam causam, si loqui ita fas est, Spiritus Sancti, quatenus vim spirandi, quam habet, a Patre habeat. Nam solus Pater dicitur fons deitatis, cum aliæ personæ ab ipso procedant, ipse verò non procedat ab alia: Hinc Pater principium est sine principio, Filius autem principium de principio est, qui de seipso ait Jo. VIII. *Ego principium, qui et loquor vobis*. Nam et ajebat: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Quare uti animadvertit S. Thomas, cum Filius habeat a Patre quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, dici potest, quod procedat a Patre per Filium; sed hoc ejus processionem immediate ab utroque non excludit; quemadmodum cum dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, non excluditur immediata rerum ab utroque simul creatio. Una itaque eadem numero est virtus spirativa in Patre et Filio, et ideo æqualiter ab utroque procedit. Diximus autem in græco idiomate particulas *per*, *ex*, *de*, eandem vim habere, ut exemplis ostenditur. Notandum etiam est, Patrem et Filium non ob unitatem naturæ virtutem habere spirativam; sed quia simul hanc habent proprietatem, quæ non convenit Spiritui Sancto, qui spiratus est, et propterea a seipso hic non procedit. Nec ex quo sint duo spirantes, sequitur duos spiratores dici posse: nam ad multiplicationem substantivi requiritur multiplicatio formæ, quod non requiritur in adjectivis, ad quæ sufficit suppositi multiplicatio. Quare cum una sit in ambobus spirandi virtus, non dantur duo spi-

tatores, sicut tres non dantur creatores, quamvis tres sint personæ creantes. Non demum ex quo sit Pater principium sufficiens, sequitur ab eo solum procedere Spiritum Sanctum; sed ab utroque procedit, eo quod ea virtus spirativa est indivisa in utroque, ut virtus creatrix in tribus personis indivisa et communis est. Augustinus olim negabat Spiritum Sanctum a Filio uti nepotem Patris procedere; quo immediatam ab utroque affirmabat processionem. Cæterum quorundam pattum dicta nimis urgenda non sunt, cum planè eliquata hæc quæstio tunc non haberetur: at in Conciliis Generalibus hæc doctrina Ecclesiæ manifesta facta est.

CCIV. Græci tandem contendunt, licitum non fuisse, addere symbolo Cpolitano particulam *Filioquè* ad hoc dogma ostendendum, propterea quod in Ephesina synodo severè vetitum fuerit, ne quidquam ei adderetur. Cui respondebat S. Thomas, Ecclesiasticam hanc legem ad privatas personas dumtaxat extendi, non verò ablatam fuisse alteri synodo potestatem aut Romano Pontifici, *cujus auctoritatè Concilia congregantur, et cujus confirmantur sententia*; novam faciendi symboli editionem magis fidem exponentis. Quare Eulogius Alexandrinus Antistes contra Monophysitas, qui conquerebantur, præter Ephesini Concilii decretum appendicem quandam fuisse symbolo adjectam, ajebat: *Decrèto Ephesino prohiberi ne altera fides conscribatur, cujus dogmata synodo Nicænæ adversa sint: iis verò, quæ ab illa definita sunt, puris inviolabilibusque servatis, apponenda esse, quæ rerum et temporum occasio postulavè-*

rit, *sicut ipsamet apposuit*. Et hæc fuit quidem mens patrum Ephesinorum, qui symbolum Cpolitanum receperunt, cui plura post Nicænum addita fuerant. Eo itaque decreto hæreticis aditum præcludere statuerant, qui novas semper fidei formulas proferebant erroribus suis affines. Cautum igitur est, ne privatæ personæ id unquam auderent, non verò ea potestas œcumenicis Conciliis adempta; quod esset absurdum dicere. Quod si Ephesina synodus vocem *Deiparæ* symbolo adjicere detrectavit, id contigit, quia illa additio supervacanea habebatur; cum dogma divinæ maternitatis satis esset expressum. Eadem erat mens cæterorum patrum, ut propterea cum opus esset, plura in fidei professionibus adderentur, ut contra Eutychianos, contra Monothelitas et Iconoclastas factum est, idque græci ipsi non rarò facere consueverunt. Licet ergo ea phrasis: *Qui a Patre procedit*, ab Evangelio sumpta sit; cum tamen ea *implicitè*, ut vidimus, processionem Spiritus Sancti a Filio etiam complectatur, ita ut hæc non modo non sit Evangelio adversa, sed ei maximè consentanea; hinc data occasione oppositi erroris jure ac merito juxta Ecclesiæ consuetudinem, particula *Filioque* symbolo adjecta est. Nec refert, quod Leo III. etiamsi decretum Concilii Aquisgranensis anno 810, latum de processione Spiritus Sancti ab utroque confirmaverit; renuerit tamen particulam illam in symbolum inferre. Tunc enim nulla urgente necessitate inutile id videbatur. At cum opportunitas id imperaret, Romani Pontifices id esse faciendum judicarunt; quod ipsi Græci in Concilio Florentino rectè factum fuisse confessi

sunt, dicentes Sessione XXV. Explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Inique tamen Photius Leonem III. redarguit abnegati dogmatis, eo quod adjectionem illam recusaverit, qui in fidei professione ad Orientales missa clarè profitetur: *Credimus... Spiritum Sanctum a Patre et Filio æqualiter procedentem.* Lamentantur denique adversarii, eam particulam in symbolum insertam fuisse non explorato Orientalis Ecclesiæ consensu, ac ea potius reluctante. At non est, cur questus emittant, postquam in Conciliis œcumenicis rata habita est et multoties ab ipsis græcis admissa et approbata; idque potissimum cum ad eam in symbolo pronuntiandam non adigantur. Cum itaque Romana Ecclesia potestatem græcis faciat eam particulam aut pronuntiandi aut omittendi, dummodo dogmati de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio assensum præbeant, nulla est ratio, cur de hac re tantopere conquerantur. Cæterum apud latinos antiqua est praxis symbolum decantandi cum adjecta voce: *Qui a Patre Filioque procedit*; ut ejus initium facile non sit invenire. In Hispaniis hic usus jam a Sæculo VI. invaluerat ut ex Concilio Toletano III. eruitur anno 589. celebrato. Inde in Galliam permeavit, et in Germaniam ac etiam in Italiam, quando symbolum Cpolitanum publicè in Ecclesiis cantari cœpit jussu Benedicti VIII. an. 1014. At hanc doctrinam latini patres a primis sæculis professi sunt, ut S. Hilarius in Orientali et Occidentali Ecclesia celebratissimus Lib. II. de Trin. C. 4. scripserit: *Spiritus Sanctus de Patre et Filio auctoribus confitendus est.*

SECTIO III.

DE DEO CREATORE.

CCV. Ad splendidum Mundi hujus opificium contemplandum, sive ad rerum creationem sex diebus a Deo peractam, ut a Moyse divinitus edocto narratur, oculos nunc mentemque parumper convertamus oportet; quò tractationem de proprietatibus Dei Optimi Maximi absolvamus. De hoc opere admirando non concessum est nobis pro dignitate disserere, quod et nostris viribus impar esset, et a suscepto nobis instituto distraheret, quibus in animo erat ampla hæc argumenta summatim attingere, et quantum sufficeret tyronibus exhibere. Nam plura cupientibus præstò sunt egregiæ virorum eruditissimorum lucubrationes, quibus hæc fusè pertractant, ut Natalis Alexandri initio *Historiæ Veteris Testamenti*; Petavii *de Opificio sex dierum et de Angelis*, Thomassinii, Tournelyi, Bertii, aliorumque. Sed et physiotheos ac materialistas recentes, qui Mosaicam Cosmogoniam impiè, malignè, aut ineptè sive carpunt, sive rejiciunt, abunde refutarunt innumeri præclari Scriptores cujusvis excultæ nationis, uti Moniglia, Noghera, Antonius Valsecchius cum in *Prælectionibus*, tum in aliis operibus, Eminentiss. Gerdilius, De Luc heterodoxus sed prudentia ornatus, Bergierus, Barruelius, Du Cloius, aliique plures. Atque utinam horum alio-

rumque scripta magis divulgata ab iis, qui instructione egent, legeretur! Non contingeret utique, quod frequenter evenit, ut impietatis et mendaciorum circulatores, qui veniunt non rarò in vestimentis ovium, mentem depravarent imperitorum, qui præoccupati rerum ignoratione, et cupiditatum vi corrupti fabulis stultisque commentis facilius præbent aures, quam veritati. Hinc libri veritatem depravatis mentibus invisam docentes contemnuntur et odio habentur: at ficta et impia deliramenta hominum nequissimorum excipiuntur avidè, et perditè amantur. Qui pessimi homines, a malo quodam genio in perniciam humani generis invecti, contra fulgidissimam veritatis lucem nebulas offundere perpetuò moliuntur, similes locustis, quæ cum fumo inferorum egressuræ erant de puteo abyssi (Apoc. IX.). Quid aliud præter fumum, nebulas, præstigia obtendere hi nebulones possent veritati? quid præter sophismata putidissima conglomerare? An ne argumento aliquo, an aliqua auctoritate suffulti commenta ostentant sua? qui nihil nisi dubia movent, nihil ædificant, destruere tentant omnia. Hæ technæ et artes si nullius ponderis sunt, quò veritatem in prudentum mentibus labefactent; at plurimi valent, quò eam in mentibus infirment improvidorum, quorum numerum in dies excrescere comperimus. In quot perturbationes et ærumnas sit humana societas ruitura his nugivendulis et fallaciarum propolis prædominantibus, ii, quorum munus est, viderint.

CCVI. Unum interim certò scimus, veritatem, quoad usque erunt homines, a mundo nunquam pe-

nitus abituram, quæ intestino licet bello oppugnata post clades et calamitates imminentes, et perniciem minitantes humanis rebus, caput tandem attollet, mendaciorum nubila dissipabit, et fulgidior quàm antea, hominibus ad meliorem sensum revocatis, propitiam lucem circumquaque diffundet: *tantam enim semper*, ut ipse animadvertebat romanus Orator, *potentiam veritas habuit, ut nullis machinis, aut cujusvis hominis ingenio aut arte subverti potuerit*. Sed ea de re divinis oraculis certiores reddimur, quæ Dei verbum in æternum mansurum et inconcussum testantur; quod tot sæculorum experientia vel ipsis incredulis manifestat. Qui ergo veritati indociles adversantur eo quod malesuadis eorum displiceat cupiditatibus; non jam Veritati nocent, sed sibi damnum consciscunt, ac maximè improvidis nocent hominibus, quos faciunt Deo ingratos et rebelles lumini. Verum quicumque mentis sinceritate atque animo cupiditatibus vacuo inquirere optaverit veritatem, eam etiam inter tempestates et ventosos turbines impietatis facile inveniet et hilaris amplectetur, nec se cohibere poterit quin lætus exclamet: *O magna lux veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas hominum insidias facile se per seipsam defendat!* Ita quidem ipse ingenuus Orator. Nunquam verò homines arbitrentur, veritatem sive scientiam rerum divinarum officiorumque erga Deum, cui virtus comes est, possideri sine labore ullo, sine ullo sacrificio posse, aut sine abdicatione nimiæ sui fiduciæ, arrogantiæ, superbiæ, quibus vitiis plus æquo semper homines afficiuntur. Cum enim veritatis huius

possessio sit bonum ingens, quod ad perpetuam ducit felicitatem; æquum profecto est, ut tanta possessio pravarum cupiditatum abdicatione acqiratur; quod qui ob protervum, arrogans ac indocile ingenium facere renuunt, hac veritate sola nobis utile destituti miserè pereunt. Vellent utique veritate potiri, at vellent simul cupidinibus indulgere; quæ cum nequeant consociari, hinc luxuriari potius amant quam cupidinibus nuntium mittere, aut arrogantem, tumidam, vanam, et ambitiosam voluntatem subjicere veritati; qui ne in tanta depravatione soli videantur, alios seducunt improvidos, eosque in vitiis socios habere gloriantur. Non est hæc labes nova aut inaudita: hos enim societatis corruptores graphicè olim describebat S. Judas Apostolus in sua Epistola: *Subintroierunt*, inquit, *quidam homines ... impii ... Dominum nostrum J. C. negantes ... et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant ... Hi quæcumque quidem ignorant blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur ... semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur ... fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum*.

CCVII. Missis itaque his ingratis et veritatis hostibus, cur Supremus Artifex hanc aspectabilem Mundi molem condiderit, eamque aptis et pulcherrimis rerum plurimarum ordinibus locupletaverit, ipse non obscurè hominibus palam fecit. Multiplices quidem hujus stupendi ædificii fuisse fines, quos Deus inten-

derit in illius creatione, nemo prudens dubitaverit, quorum plures nos latere fatendum est. Minimam enim hujus Universi partem videmus: Spirituales creaturas, quæ ad Universi hujus complementum utique pertinent, et quos Angelos nuncupamus, non cognovimus nisi per fidem, cui consensus populorum testimonium reddit. At præcipuum hujus aspectabilis opificii finem fuisse, ut suam Deus gloriam, potentiam, sapientiam, Majestatemque ostenderet; nec non ut bonitatis suæ creaturas ratione ornatas aliquo modo participes redderet, Sacræ Literæ non obscurè declarant, ut Proverb. VIII. innuitur. Sed et Jobi C. XXXVIII. ita Deus Eliu alloquebatur. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ.. cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Quod verò præ cæteris orbibus hanc Tellnrem nostram beneficus Dominus adornaverit, unum ex finibus suis fuisse; ut domicilium creaturis rationalibus ex animo et corpore constantibus pararetur, (quæ Universi hujus aspectabilis nobiliores sunt et præstantiores), ubi felicem agerent ævum, si quæ nos undique circumstant paulisper consideremus, facile dabunt omnes, qui ingrati esse nolint tam munifico largitori: ubi non modo necessaria nobis et opportuna ad vitam transigendam, sed etiam ad vitæ delicias plura suppetunt apta atque accomodata, si prudenter iis uti noverimus. Sed parum fuisset, nt ad eum tantùm finem tam splendidum pararet domicilium, quod nobis cum pecudibus commune esset: alius excellentior finis elucet, ob quem tantam rerum amplitudinem exornare voluerit. Cum enim creaturam conder

e

vellet, quæ ex corpore simul et mente ratione prædita componeretur, animal scilicet mentis capacius altæ, qua auctorem suum agnosceret ac adoraret; ordinatissimam propterea aspectabilium rerum seriem ante illius oculos ad contemplandam expandit, ex quibus uti ab effectibus ad Causam agnoscendam colendamque elevaretur. Atque utinam his altissimis finibus homines respondissent. Proh! scelus. Alii tot donis abutuntur in sui perniciem et infelicitatem: alii ab hujus universi harmonia et ordine ad ejus Dominum agnoscendum et adorandum coacti, mentem ab eo avertunt, hisque sensibilibus tantùm cupiunt delectari: alii sunt adeo vecordes, qui aut splendidum Dei opus contemnere audent, aut illud se melius imaginari posse gloriantur, dum interim ne muscæ quidem structuram perfectè sciunt: alii demum in tantam venere stupiditatem, ut mirandam hanc rerum compagem non a sapientissimo et omnipotenti Deo conditam, sed a seipsa existentem, et a seipsa in ordinatissimam hanc seriem compactam fabulentur. Quid ineptius, quid stultius, quid humana ratione indignius confingi posset? Alii demum cum nequeant in hac ordinatissima rerum compage mentem non agnoscere intelligentem et aptè omnia componentem et coæquantem, in tantam impietatem lapsi sunt, ut hanc mentem supremam et architectricem rerum aut fato cuidam et ineluctabili necessitati subjicerent, aut eam cum hac materia bruta et inerti commixtam confingerent et arcto vinculo copulatam. Hæc absona et impia hominum deliramenta satis jam supra refutata sunt, ubi de Deo ejusque unitate ac perfectionibus

actum est; ex quibus clarum fit, quàm rectè hos perfidos redarguat Apostolus ad Romanos scribens Cap. I. *Quia quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, etc.*

CCVIII. Sed hominem præterea ad alium finem longè nobiliorem et excellentiorem in hoc amplissimo theatro fuisse collocatum, certi sumus: qui vultu ad sidera erecto efformatus, et oculis sursum elevatis ad superiora spectanda instructus, desiderium sentit illas invisendi cælorum sedes, et Auctorem tanti operis contemplandi. Nec ambigi posset, quin beneficus conditor hoc desiderium in pectore præstantis hujus creaturæ accenderit, eique spem donaverit melioris ævi, et supernæ felicitatis. Ipse utique cor hominis inflammavit ad amorem Creatoris sui, ac, ut in actus erumperet dilectionis, ut obsequens filius, erga munificum Patrem, effecit, qui plenam ei spondet beatitatem. At simul justissimus hic Pater et Auctor dum hominem ad sui amorem vocat et ad æternam cum ipso percipiendam felicitatem, jubet, ut ordinem servat, quem sapientissimè statuit custodiendum: et viribus instruit, quibus ad altissimum hunc finem tutò pertingat. Hinc leges et præcepta dedit ne ab ordine deflecteret, ac rectum tramitem sequeretur.

Nec tantùm primus homo conditus a Deo integer et rectus his fuit muneribus exornatus; sed modo etiam homines hanc non obscurè in se experiuntur inclinationem, ii præsertim qui ad gratiam divinam regenerati cælestia dona sunt consecuti. Homines quippe nullius rei contenti ab uno in aliud objectum transvolant, facile quidquid creatum et terrenum est fastidiunt, et ad summi cujusdam boni fruitionem anhelant. Felix homo ille, qui noverit, res creatas non nisi gradus esse quosdam per quos ad creatorem suum conscendat, nec nisi in beata ejus dilectione ac visione se noverit unquam felicitatem consecuturum. At ille infelix, qui in his creatis sistat, et his inferioribus hæreat, posthabito Deo Auctore suo, et suo ultimo fine, in quo nisi conquiescat, perpetuò miser sit, oportet. Atque hæc quidem breviter indicanda erant, ut aliqua ex parte Dei consilia agnoscerentur cum in visibilis hujus mundi constitutione, tum potissimum in creatione humani generis, et Angelorum, quorum primordia modo sumus enarraturi. Postquam igitur de proprietatibus ejus relativis ad intra, sive in essentia divina; de proprietatibus modo relativis ad extra agendum superest, sive de divinis attributis quæ creaturas respiciunt, quæque tribus divinis Personis communia sunt; ut est Creatoris proprietas, quæ Deum constituit Dominum rerum omnium et providentissimum gubernatorem. Cum autem rerum tractandarum ordo posceret, ut de Providentia Dei superius pertractaretur (a N. CX. et deinceps), quæ alia ratione hunc sibi locum postulabat; hinc ea sedulo recolenda sunt, ut illa quæ toto huic argumento et lumen et fundamentum sunt allatura.

CAPUT I.

UNIVERSUM HOC A DEO CONDITUM DEMONSTRATUR.

CCIX. Statim ac ab Apostolis evangelica illa et præcipua veritas hominibus annuntiata est, Supremum nempe *Deum fecisse mundum et omnia quæ in eo sunt* (Act. XVII.); illicò hæc veritas tanta luce omnium mentibus affulsit, ut communi consensu eam homines amplexi sint, et fabulis poëtarum non minus quàm philosophorum commentis nuntium miserint, atque Creatorem universorum agnoverint providum ac sapientissimum. Quamquam vero doctrina hæc omnigenis argumentis innixa sit, profani homines hoc nostro infelici ævo insurrexere, qui nonnullorum potiùs deliria sequi maluere, ut Simonis Magi, Manichæorum, Hermogenis, quàm omnipotentem Deum omnium conditorem fateri; sicut orbis rei veritate convictus universus agnoscit. Nec posset Deus agnosci, uti Sectione prima demonstratus est, quin simul agnoscatur Mundi creator et dominus. Plura itaque argumenta, quæ ibi allata sunt, præsertim Cap. I. II. et XVI. Deum universum hanc rerum compagem sua voluntate ac imperio ex nihilo eduxisse, sive ex nullo præjacente subjecto fecisse ut essent omnia, atque in hunc pulcherrimum ordinem conformasse, manifestè ostendunt. Quædam tamen hìc addenda sunt, quò princeps fidei nostræ articulus, juxta quem credimus *in Unum Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli et terræ* a recentium incredulorum cavillamentis

vindicemus. Non enim nobis res est cum veteribus philosophis, qui rerum primordia ignorantes, aut non valentes ingenii viribus ex nihilo creationem concipere facile in eam venere opinionem, quod aut mundus, ut nunc est, ab æterno extiterit, aut saltem materia, ex qua compactus est, fuerit æterna; ut putaverint, sicut Juvenalis ait:

Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Sanior tamen philosophorum pars, ut Plutarchus scribit, in ea semper sententia fuit, ut Thales, Pythagoras, Plato etc. Mundum a præpotente Deo factum fuisse, etiamsi ab æterno nonnulli conditum fuisse censuerint. Quare mirum sane est, quosdam in tanta scientiarum luce extitisse, qui puerilibus ratiunculis, et sophismatibus putidissimis universalem hanc doctrinam debilitare tentaverint. Ut autem ambages tollantur omnes, quid creationis vocabulo intelligendum sit, statuere oportet. Creare itaque proprie est, sola voluntate entia producere: ut Creationis actus sit, efficere, ut ea, quæ nondum sunt, existant. Hic actus majori cum emphasi exhiberi nequit, quàm cum a Moyse, aut a Psalmista dictum est: *Ipse dixit, et facta sunt*; aut Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu.* Demonstrandum est igitur et ex Sacris Literis et ex ipsa naturali ratione, Mundum ex nihilo per creationem fuisse eductum.

CCX. Mundi hujus creatio vel *mediata* vel *immediata* concipi potest: prior erit si affirmemus, prius Deum materiam informem e nihilo eduxisse, et hine ex ea mundum visibilem adornasse: alteram, si dicamus, mundum, ut nunc est, ita ex nihilo fuisse ex-

tractum. Ad præsentem thesim ostenuendam modo non refert, si horum alterutrum affirmetur. Jam verò nihil in hac rerum natura æternum et improductum Scripturæ Sacræ testantur. Ita Psalmo 148. *Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt*. Et Sap. I. *Creavit Deus, ut essent, omnia*. Et ad Hebræos Cap. 3. *Qui autem creavit omnia, Deus est*. Apoc. autem C. IV. *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Atque ita sæpe, ut Judith C. XVI. 16. *Adonai Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua ... Quia dixisti, et facta sunt, misisti Spiritum tuum, et creata sunt, et non est, qui resistat voci tuæ*. Quæ omnia initium Geneseos declarant, quam Moyses juxta Vulgatam ita exorditur: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Hic loco *creavit*, hebræus legit *barà*, quæ vox communi sensu significat, ejus quod prius non erat productionem. Quod si græcus interpres verterat ἐποίησεν *facit*; annotarunt Patres, et præsertim Nyssenus, idem ac κτίζειν exprimere, quod *creare* significat. Verum animadverterunt eruditi, Septuaginta Interpretes vim hebraicæ vocis non rectè vertisse. Nec est cur Sociniani cavillentur, vocabulum illud *barà* usurpari non raró in Sacris Literis, ut etiam significetur productio ex præjacente materia. Nam. 1. ibi sermonem fieri de productione ex nihilo, ex contextu liquet, cum agatur de materia informi, quæ non nisi ex nihilo educi poterat. 2. Eam vocem in sensu proprio veræ creationis semper intellexere Rabbini veteres. 3. Licet alibi latiori sensu adhibeatur, semper adhibetur de operationibus divinis, quæ agunt infinita virtute. Quamquam si adhi-

betur, ubi de hominis formatione agitur, cum non sit homo ex solo limo formatus, sed et ex anima rationali ex nihilo creata, non impropriè verbum illud usurpatum est. Cæterum cum illud verbum *æquivoce* adhibetur, patet, non propriè sed usurpari in improprio sensu. Sed hic verus et proprius sensus mirificè confirmatur ex Lib. 2. Machabæorum C. VII. ubi mater septem martyrum ita unum ex filiis alloquebatur: *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Quo loco usus est etiam Origenes, ut creationem ex nihilo comprobaret. Et quidem volunt adversarii, gentiles philosophos creationem hanc ex nihilo non cognovisse: undenam ergo eam notionem hæc mulier habuerat, nisi ex perpetua traditione majorum? Tandem Novum Testamentum aperte hanc doctrinam declarat, ut Joannes in Evangelii initio, ubi omnia per Verbum Dei facta esse affirmat, et sine ipso factum esse nihil; *Quoniam per ipsum sunt omnia*, ut ait Apostolus Rom. XI. 36. ut etiam ipsa primigenia materia a Deo creata sit, sive ex nihilo educta.

CCXI. Nec desunt argumenta a ratione petita, ut id demonstretur. 1. Enim quod est æternum, nullam sui causam effectricem agnoscit, a qua limitetur; ut propterea sit perfectissimum et immutabile (Num. XXXII.): At mundus continuis vicissitudinibus subiectus est; non ergo est æternus. 2. Dispositio partium mundi necessaria non est; ut per partes singulas discurrendo facile ostenditur: sed quæ non necessariò existunt, sunt contingentia, ut a se esse nequiverint; mundus ergo non æternus, sed factus haben-

dus est. 3. Ex telluris aspectu ejus novitas patet: ita montes pluviis, eluvionibus, ignibus in infinita sæculorum serie imminuti et consumpti in planitiem redacti essent; qui tamen circumscriptam annorum seriem exhibent. Hinc Lucretius ipse novitatem hanc videbat, et pluribus argumentis demonstrabat, ut cum ait Lib. V.

Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo,
Non altas turres ruere, et putrescere saxa?
Non ruere avulsos silices a montibus altis,
Nec validas ævi vires perferre, patique?

4. Id quoque ex omnium populorum consensione ostenditur, qui a priscis usque temporibus docuerunt, Mundum hunc originem habuisse, nec admodum esse vetustum docent; atque ipsi Ægyptii, Chaldæi, Sinenses licet remotiorem mundi finxerint vetustatem, ejus tamen originem statuunt, et primos memorant suæ gentis conditores. Nec fabulentur adversarii, vel exustionibus, vel terræmotibus generationes humanas decidere, manente mundo. Inepta enim sunt hæc. Sive enim fingamus, omne genus hominum absumi et ex suis cineribus reviviscere; ac tunc intelligi non poterit, quanam vi homines mente ac ratione præditi fuerint ex illis cineribus regenerati: aut unam tantum partem fuisse deletam; et incredibile erit, nullam illorum veterum memoriam ad nos usque permeasse. Hoc argumentum urget Lucretius ibidem.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum et cæli, semperque æterna fuere;
Cur supra bellum Thebanum et funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere poetæ?

Evincitur ergo, quam rectè constet catholicum dogma, et maneat immotum, ut in Concilio Lateranensi IV. definitum sit, nempe = Deum esse unum universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam =.

CCXII. Ut hanc æternam veritatem oppugnent adversarii sacris ipsis Literis abutuntur, ut eo Sapientiæ loco C. XI. 18. ubi dicitur = Deum creasse orbem terrarum ex materia invisa = sive ut græcus habet, ex materia *informi*, *ἀμόρφου*. Verum Sapiens Moysi non adversatur, qui potius ei apprime cohæret. Non enim loquitur de prima rerum creatione, at verò de dispositione et ordine, quem Deus materiæ informi a se jam conditæ indidit, juxta narrationem a Moyse factam. Terra enim *erat inanis et vacua*, id est plantis et animantibus destituta; quæ sex diebus composita et exornata est. Itaque ex chao fuisse mundum a Deo in ordinem digestum magna consensione veteres tradidere; ex quorum sententia Ovidius mundi genesim, ferme ut Moyses enarrat, initio Metamorphoseon ita a Deo peractam describit:

Hanc Deus, et melior litem Natura diremit:
Nam cælo terras, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cælum:
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.

Neque increduli audiendi sunt cum ajunt, hoc dogma creationis ex nullo præjacente subjecto novum esse, nec veteres patres, ut Justinus et Athenagores, illud

agnovisse. Nam doctrinam hanc non minus esse antiquam ac est ipse mundus, ex Scripturis ipsis elucet. Ipsos gentiles vetustiores ex traditione majorum idem sensisse, et præcipue Persas et Indos, ex eorum monumentis facile evincitur. Sed philosophi posteriores hanc veterem sententiam turbarunt, volentes non credere, sed omnia brevi ac imbecilli sua mente intelligere; quod concipere putabant ponendo materiam improductam, quam Deus disposuerit et viribus exornaverit. At hi videre debuerant, non minori potentia fuisse opus, ut illa indigesta moles, bruta, et iners in ordinem redigeretur et viribus instrueretur, ac ut ea materia educeretur ex nihilo. Præterea mentes humanas non semper extitisse, nobis conscii sumus. Cum ergo necesse sit, nisi inepta et absurda dicere voluerimus, harum mentium creationem agnoscere; ita materiæ etiam creationem facilius cogimur confiteri. Sed et græcorum philosophorum non pauci creationem hanc suspicati sunt, nec eam negarunt. Quod ergo ajunt, antiquos patres materiam posuisse æternam, hæc stupida calumnia est, quæ ex illorum testimoniis apertè revincitur; qui si nonnulla obscura dixere, non in deteriorem sensum detorquenda sunt, ut facit Beausobrius, sed benignè sunt interpretanda, et ex clarioribus eorum doctrinis exponenda ut se gerunt saniores Critici.

CCXIII. Ajunt physiothei: Humanam mentem non posse, ut ut se torqueat, creationis ex nihilo ideam sibi effingere; quæ cum illo principio pugnat = ex nihilo nihil fieri potest = Hinc philosophi veteres apud Ciceronem *Lib. 2. de Divinat.* ajebant = Est

ne aliquid, quod ex nihilo oriatur, aut in nihilum occidat? Quis hoc physicus dixit unquam? = Hæc tamen objecta haud sapiunt philosophicam mentem. Nam licet sensibilem creationis ex nihilo ideam nobis efformare nequeamus; at facile intelligimus, primam rerum productionem factam fuisse ex nihilo; cum ratio doceat, non posse in rerum productione dari progressum in infinitum (N. XVI.); ut necesse sit, ad aliquam pertingere rerum productionem quæ ex nihilo facta sit. Illud itaque principium = ex nihilo nihil = est intelligendum sive ex nihilo causæ adæquatæ, sive ex nihilo præjacentis subjecti. Nam falsum esset dictum illud, si intelligeretur tantum de præexistente subjecto aliquo, ex quo quidvis educi aut efformari deberet; quasi Deus omnipotens, et rerum causa princeps efficere nequiret, ut esse inciperent, quæ nondum erant. Circa verò gentilium opinamenta; controversia viget inter eruditos, an illis idea creationis ex nihilo innotuerit. Quæ si eis fuit ignota, laudanda erit divina revelatio, quæ uno verbo absurda dissipavit philosophorum opinamenta, et animos hominum ad veri Dei et omnium Creatoris et Domini cognitionem revocavit. Corrigenda est autem nostra imaginandi vis, quæ sibi creationem effingit, quasi unio sit duorum extremorum, nihili et entis. Nam aliquid ex nihilo fieri, non causam designat materialem, quasi nihil sit aliquid existens; sed ordinem tantùm designat, ut quod non erat, *postea sit*, ut nocti subsequitur dies. Sat ergo est scire, non posse materiam esse æternam; non autem qua ratione creata sit: unicuique enim persuasum esse debet, Deum id

etiam posse, quod nos intelligere nequeamus, cum potentia polleat infinita, qua omnem difficultatem vincit, ut, quæ possibilia sunt, efficiat, ut sint. Quod itaque ait Tullius, id dicit juxta opinionem stoicorum, qui mundum, ut nunc est, sibi æternum fingebant, et quibus plures alii saniores philosophi adversabantur. Quin Maximus Tyrius Platonicus creationem videtur intellexisse, ubi Dissertatione XXV. scribit: *Una cum nutu Jovis terra constitit, et quidquid Mare producit: Aer constitit, et quidquid aer fert: Cælum constitit, et quidquid in cælo movetur. Omnia hæc opera nutus Jovis perfecit.*

CCXIV. Ejusdem indolis est altera puerilis difficultas, qua ajunt: intelligi non posse, quomodo materia queat a Mente ex nihilo procreari, cum mens nihil cum materia commune habeat. Hoc est enim argumentum ex nostra ignorantia deductum: Non enim ex quo ignoretur modus, quo res aliqua facta est, negandum est, factum fuisse. Fatendum est, nos mentis brevitate laborare, et cum Apostolo ad Hebr. XI. 3. mysterium hoc non curiosè investigare sed credere oportere: *Fide intelligimus*, inquit, *aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*. Ubi ad hujus universi exornationem appellat, quæ non minus miranda est ipsa creatione; nam Deus, ut ipse ac Rom. IV. 17. ait, *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*. Demum dilemma est solvendum, quo se implicant adversarii: ajunt enim: Deus si mundum condidit: vel illum ab æterno fecisset, vel non ab æterno: Sed primum non modo falsum, sed et impossibile habetur: Alterum non minus repugnat:

nam decretum de mundo condendo tunc totam præcessisset æternitatem, atque proinde in æternitate esset prius ac posterius, quod fingi nequit. Præterea cum æternitas sit infinita, infinita duratio præcedere debuisset antequam conderetur mundus, ita ut nondum creatus esset. Cui reponendum est: Mundum non fuisse quidem ab æterno conditum, decretum tamen de mundo condendo in divino intellectu fuisse æternum; ut creationem præcesserit non tempore, quod in æternitate nullum est, sed tantùm nostro concipiendi modo: Nihil enim prohibet, quin in simplici æternitate duo nos veluti puncta fingamus: unum quo decrevit Deus mundum condere, alterum quo reipsa creatus est. Quamquam dicendum sit, Deum decrevisse ab æterno ut mundus esset: non tamen ut esset in æternitate ipsa, at verò in tempore seu potius una simul cum tempore. Non est autem cur adversarii his argutiis glorientur, qui gravioribus obruuntur difficultatibus, sive materiam confingant æternam, ex qua postea nulla sufficienti causa agente hæc mundi machina emerserit: sive mundum, ut nunc est, extitisse ab æterno comminiscantur, quod quàm sit absurdum vidimus. At nos licet sophismata solvere non possemus, certam nihilominus ponere deberemus creationem illam, quam non modo ratione, sed potissimum Fide Divina tenemus. Hinc sapienter Augustinus Lib. XII. de Civ. D. *Has argumentationes si ratio refutare non posset, fides irridere deberet.*

CAPUT II.

QUÆSTIONES NONNULLÆ CIRCA MUNDI GENESIM RESOLVUNTUR, EJUSDEMQUE CONSERVATIONEM.

CCXV. Postquam de rerum creatione dictum est, nonnulla primum addenda sunt de earundem conservatione. Ajebat olim S. Augustinus Lib. V. de Genesi ad Lit. *Sunt qui arbitrantur, tantummodo Mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso Mundo sicut ille ordinavit et jussit: Deum autem ipsum nihil operari*. Perennem hanc conservationem Durandus accusatur negasse, contra communem philosophorum ac theologorum sententiam. Hanc tamen conservationem et instaurationem virium agnovit, demonstravitque Newtonus in motibus præsertim cælestium orbium; ex quo eorundem vires finitæ sint, ut inde fieri nequeat, quin lapsu temporis in suis circumlationibus curvilineis et in viribus centripetis ac centrifugis a medio quamvis tenuissimo, in quo revolvuntur, aliquem non patiantur renixum; ut propterea manu restaurante perpetuò indigeant omnipotentis sui conditoris, quò constanter in suis orbitis perseverent. Leibnitius autem arbitratus est, ad hoc sufficientem fuisse primum divinæ voluntatis actum, quo corporibus omnibus vim tantam indiderit, ut absque nova vi continenter in suis motibus conservarentur; idque vult, magnificentius divinam commendare virtutem ac majestatem. Sed considerandum fuerat, hac perpetua conservatione indigere creaturas

non divinæ virtutis defectu, at verò defectu creatæ naturæ, quæ cum a se esse non possit ita nec a se conservari. Verum hi philosophi nobilissimi agnovere, absque Suprema Causa rerum creatrice et conservatrice vires nullas, uti nullas creaturas in Mundo esse posse. Definitur autem conservatio = Vis perennis a Deo indita, qua, ne res pereant, prohibetur = Observat autem S. Thomas 1. p. q. 104. a. 1. Conservationem hanc rerum non esse a Deo per aliquam novam actionem, *sed per continuationem actionis, qua dat esse*. Idque explicat exemplo lucis solis: *Sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aer autem fit luminosus participando lumen a sole; non tamen participando naturam solis: ita solus Deus est ens per essentiam suam, quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens participativè, non quod sua essentia sit suum esse*. Atque tunc facile ostenditur, quod sicut creaturæ non sunt causa propriæ existentiæ, ita nec esse possunt propriæ conservationis, sed ita a Deo dependent, ut nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinæ virtutis conservarentur in esse. Idque Scripturæ confirmant, ut ad Heb. I. de Deo dicitur: *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Et Act. XVII. *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus*. Et Sap. XI. 26. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Non valet autem exemplum artificis, sine quo artefactum perdurat. Disparitas enim est; nam artifex solam exteriorem

formam dat rebus jam præexistentibus: Dei autem conservatio circa ipsam rei essentiam versatur. Nec inde inferri posset, discrimen non esse inter creationem et conservationem; nam datur quidem per utrumque existentis rebus, sed creatio initium dat existendi, conservatio verò continuationem. (Sup. N. CXII.)

CCXVI. Quemadmodum igitur Deus rerum essentias conservat, ita conservat earundem vires; ex quo dicitur concurrere simultaneo concursu ad omnes creaturarum actiones. Concursus iste dicitur immediatus: sed alius est *immediatione virtutis*, *alius immediatione suppositi*: prior est, cum aliquid agit in objectum distans per aliquid in ipsum immissum ut ignis qui agit in distans per calorem: alter est, cum agens est contiguum illi quod recipit actionem, illudque attingit, ut ignis materiæ combustibili applicatus. Priori modo immediatè Deum concurrere ad omnes effectus, qui a causis creatis producuntur, consentiunt omnes: nam eam illis vim contulit, qua operarentur, suosque effectus ederent; eratque Leibnitii sententia. Sed est etiam communis doctrina, quod concurrat etiam secundo modo: alias effectus penderent immediatè et per se a creaturis, et a Deo mediatè tantùm ac per accidens; ita ut magis a creatura, quam a Deo penderent; quod videtur absurdum. Nam creatura nulla sibi sufficit ut existat; sed operari sequitur esse; ergo neque sibi satis est, ut operetur. Nec refert, quod Ecclesiastici XV. dicatur, Deum reliquisse hominem in manu consilii sui: id enim tantùm significat, ita ad illius actiones concurrere, ut electionem reliquerit in plena potestate humani liberi arbitrii. Atque

hinc patet, malas hominis actiones Deo imputari non posse, cum ad actum concurrat, non ad malitiam actus, in qua tantùm actio mala consistit. Hæc autem est ab homine, qui deficit in agendo. Cæterum Deus concurrit ut Auctor naturæ ad naturales creaturarum operationes, quæ in se consideratæ bonæ sunt; in quo autem a rectitudine deflectunt, sunt a creaturis. Ita Deus ad prolis procreationem concurrit, cui adhæret originalis culpa, quæ cum sit ab homine, illi imputari nequit. Quod si Deo tribuuntur bonæ hominis actiones, id fit, quia non tantùm pendent a generali Dei concursu, sed potissimum a speciali, quo sua gratia et præveniente auxilio hominem interius excitat ad operandum. Ex his tamen minimè sequitur, creaturas indigere physica prædeterminatione ut operentur: Hæc a Thomistis inducta, influxus est causæ primæ receptus in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem impertit, et activè interius inclinando movet et ad actum applicat, (Goudin p. 1. Phil. Disp. 2. q. 3.). Hinc posita hac præmotione fieri nequit, ut in ipsis causis liberis actus non sequatur. Hæc tamen in causis necessariis sive naturalibus frustranea est; cum per suam naturam jam ad operandum sint determinatæ: frustra igitur per novam actionem a Deo determinarentur, ut vox significat prædeterminationis sive præmotionis. Præcipuè verò a causis liberis ea est eliminanda. Voluntas quippe humana intimo sensu certa redditur, determinare seipsam. Hinc Tullius Tuscul. qq. Lib. I. c. 23. ajebat: *Sentit animus se moveri: quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri*. Quod si dicant, id quidem

videri, sed ita non esse; præter quam quod id gratis affirmaretur, et adversaretur doctrinis cum naturalibus tum divinis, faveret etiam quam maximè causæ fatalistarum. Sed ea opinio cum libertate indifferentiæ qua homines polleant necesse est, conciliari nequit; nisi forte obscuris vocibus et ambiguis, qoas nemo intellexit unquam, quæque propterea a vera scientia sunt expungendæ. Nec omittendum, eam opinionem divinæ Sanctitati plurimum derogare, si ad malas actiones homo etiam præmoveatur: aliud est enim, quod Deus ut auctor oaturæ et conservator ad eas concurrat, alind quod præmoveat. Hinc quæcumque ad hanc fulciendam opinionem afferuntur argumenta, simultaneum quidem concursum suadent, at minimè valent physicam ostendere præmotionem.

CCXVII. At etiamsi creaturæ fuerint viribus a Deo instructæ et in iis exerendis conserventur; non hinc ad extrema defluendum est, ut cum hæreticis nonnullis veteribus opinemur, creandi etiam vim creaturis oobilioribus tribui potuisse; qui mundum ab Angelis conditum fuisse arbitrabantur, quos Patres Epiphanius, Theodoretus et alii refutarunt. Sed pejus delirarunt Manichæi, qui hanc Mundi fabricam suo malo principio concedebant; qui omnes in Concilio Bracaræ in Hispaniis celebrato an. DLXIII. damnati fuere eo Canone: *Si quis dixerit, creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus et Priscillianus dixerunt, anathema sit*. Et jure quidem: nam ut ex nihilo aliquid producatur, iofioita virtute opus est; cum res noo extrahantur ex potentia aliqua, ut fit in formis

substantialibus et accidentalibus, quæ educuntur ex potentia materiæ in qua continebantur. At creaturæ virtutis infinitæ capaces non sunt; neque ergo vis creatricis: Quare Augustinus Lib. XI. de Civ. D. c. 4. scribit: *Mundus iste ordinatissima ... visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus et factum se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter fieri se potuisse proclamat*. Ablegenda est igitur nonnullorum contraria opinio. Sed potiori ratione rejiciendus est error illorum, qui mundum ab æterno fuisse conditum autumabant. Id volebant olim philosophi ethnici non pauci, ut pythagorici et platonici, a quorum discipulis quæstiones agitabantur, an ova fuerint ante aves, aut e contra: an dies nocti præcesserit, vel nox diei, ac in aliis his similibus ineptiis ii tempus terebant. Origenes videtur opinatus, ante mundum hunc alios innumeros præcessisse (1). Sed Valdenses et Græci non pauci, mundum ab æterno creatum volebant.

CCXVIII. Verum non semper Mundum extitisse, nec ab æternitate conditum, sed cœpisse initio temporis, fidei catholicæ dogma est definitum his verbis in Concilio IV. Lateranensi: Deus *sua omnipotenti virtute ab initio temporis utramque de nihilo condi-*

(1) Judæi quidam sibi fingebant, ante hunc mundum extitisse priorem alium; idque colligere posse putabant ex litera *Beth*. hebraici alphabeti secunda, qua Moyses Genesim exorsus est, scribens *Berescit : in principio*. Fabulabantur præterea, post hunc alios mundos futuros sine fine, minoris tamen semper perfectionis, quibus singulis durationem assignabant septem millium annorum, ut refert Maimonides in *More Nevochim* P. 2. c. 30.

dit creaturam. Quod Scripturæ sæpius affirmant; ut Proverb. VIII. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Ipsemet Christus Joann. XVII. ita orabat: *Clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud Te*. Et Apostolus ad Ephes. I. ait: *Nos electos esse in Christo ante mundi constitutionem*. Quæ omnia et alia apertè testantur, mundum aliquando cœpisse; quæ et de materia ex qua mundus compactus et in ordinem redactus est, sunt accipienda; quod significatur celebri illo Geneseos exordio: *In principio creavit Deus cœlum et terram*. Quibus verbis primigeniam materiæ molem unde planetæ et astra efformata sunt, Patres intellexere, ut etiam Moysis contextus declarat. Revera nulla ratio suppetit, voluisse Deum ab æterno materiem rudem et informem condere, ut inde in tempore pulcherrimum hoc compingeret opificium. Qui materiam sibi confingunt æternam opponere solent, eam a philosophis dici ingenitam et incorruptibilem; ut propterea æterna sit. Sed non est, cur his vocibus abutantur: nam dicitur ingenita, quod facta non sit per generationem, ut mixta generantur; non quasi sit a se, aut non inceperit unquam. Ita dici solet incorruptibilis hæc primigenia materia, eo quod generationis et corruptionis vicissitudinibus non subjaceat. Verum ex abstractis ideis materiæ et formæ malè de re ipsa concluditur. Ita quod mundus esset in potentia ab æterno, non sequitur quod esset materia: non enim erat secundum potentiam passivam, ut de materia dicitur; sed erat secundum potentiam activam Dei, qui poterat

illum ex nihilo educere. Ajunt etiam, quod posita causa sufficiente, ponatur effectus; ut ergo Deus, causa Mundi sufficiens, est æternus, ita et Mundus. Hæc tamen ratio est de causa, quæ necessariò agit; non autem procedit de causa libera, ut est Deus, qui ab æterno quidem mundum creare voluit, voluit tamen ut non ab æterno existeret, sed una cum tempore. Instant rursus, quod si actio qua Deus mundum condidit sit æterna, effectus etiam æternus esse debeat. Sed hoc non sequitur; nam ab agentibus liberis effectus producitur qualis et quo tempore illum agens producere vult. Nec etiam sequitur, Deum in æternitate fuisse otiosum; erat enim intelligens, et nullius indigus, ac in seipso planè beatus. Nec timendum, ne Deus sit mutatus, si mundum ab æterno non condidit. Non enim oportet, Deum nobis fingere instar artificis manum operi imponere morantis; sed actu suæ æternæ voluntatis mundus extitit quando voluit, ut mutatio tota penes mundum sit, qui antea non erat. Ita Deo nihil intrinsecè accessit, sed extrinsecas tantum acquisivit relationes.

CCXIX. Præterea illud dilemma conficiunt: Vel Deus voluit ab æterno mundum condere, et non potuit: vel potuit, et noluit: vel nec voluit, nec potuit: Primum et ultimum dici nequit, cum sit omnipotens: si secundum, fuisset invidus, quod nefas est dicere; Deus ergo mundum ab æterno creare potuit ac voluit. Respondetur; quod etiamsi potuisset ab æterno mundum condere, quæ incerta res est; certè id noluit. Nec propterea invidus dicendus est, cum nullo jure erga creaturas teneatur; hinc eis benefacere potuit,

quando ipsi placuit: creavit autem, quando infinita ejus sapientia id expedire judicavit: Deus, inquit S. Thomas, *de necessitate vult suam bonitatem et omne id sine quo sua bonitas esse non potest: tale autem non est creaturarum productio*. Cur autem prius mundum non fecerit, ad arcana divinæ providentiæ id spectat, quæ venerari, non curiosè investigare fas est. Nam hæc alta nimis et impervia scrutari ac scire velle animi arrogantis esset, non sapientis. Ajunt alii: si mundus non fuit semper, nec tempus fuisset, atque hinc sequeretur, tempus non fuisse aliquando; sed illud *aliquando* ad tempus refertur: fuisset ergo tempus ante tempus; quod est absurdum. Qui non adverterunt, eo adverbio non significari tempus reale, sed imaginarium; ut propriè dicendum sit, tempus ab æterno non extitisse. At etiamsi fide orthodoxa tenendum sit, mundi creationem non fuisse ab æterno, catholici tamen dissentiunt, cum quæritur, an saltem ab æterno creari potuerit. Qua in re communior sententia est, nihil potuisse omnino æternum esse præter Deum; non jam defectu in Deo potentiæ, at vero defectu conditionis creaturarum, quæ cum a seipsis non sint, sed creari indigeant, oportet etiam, ut incipiant esse. Sententiam hanc Patres IV. Sæculi adoptasse videntur, cum pronuntiabant: *Quicumque dicit, Filium esse creaturam, dicit eum cœpisse*.

CCXX. Sed hîc quæri solet: An Mundus hic a Deo conditus sit omnium possibilium optimus? Qua de re nonnulla supra dicta sunt (N. CIX.). Sed cum Moyses Gen. I. hæc habeat: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*; quod et alibi Scripturæ

affirmant, ut Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti:* celebris Leibnitius occasionem inde sumpsit veterum quorundam opinionem renovandi, qui mundum hunc omnium esse volebant perfectissimum, qui a Deo creari potuerit, ut nec in aliam formam redigi queat, nec melior alius condi. Stoici quidem hoc sentiebant, qui apud Tullium L. 2. de Nat. D. ajebant, nihil melius esse mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius; at id affirmabant in hypothesi necessariæ mundi existentiæ: alii philosophi, ut platonici, de perfectione ordinis intelligi commodè possunt. Tamen Leibnitii errorem antea defenderat Petrus Abaëlardus. Wolfius autem et alii eandem Leibnitii opinionem magno studio adornare aggressi sunt, ut non modo in essentialibus, sed et in accidentalibus mundum meliorem fieri non posse contenderint; quasi Deus non potuerit alios mundos condere huic nostro similes, multoque minus perfectiores aut diversos; ut ex omnibus possibilibus hunc præferre debuerit, eo quod ita sit optimus, ut nihil ei addi possit. Quæ proculdubio rejicienda sunt, ut ea quæ divinam lædunt libertatem atque omnipotentiam, eamque in externis operationibus cuidam subjiciant necessitati. Quin non pauca inde sequerentur absurda: Nam cum mundo melius sit esse, quàm non esse, sequeretur debuisse ab æterno creari, aut saltem statim ac creari potuisset: ideoque nec destrui amplius posset: nosque et cætera morali quadam necessitate existere, esseque creaturas omnium possibilium optimas: quæ sunt somniantium deliramenta. Deus enim, ut Psal. CXXXIV. habetur, *omnia quæcumque voluit, fecit in cælo et in terra*. Licet enim

omnia quæ facit, pro sua summa sapientia, ordine, harmonia, et fine optimè faciat; numero tamen et intensitate plura et meliora efficere potest, præter ea quæ facit, cum sit inexhauribilis ejus omnipotentia; eaque in minimis non minus quàm in magnis æque resplendeat. Sapienter S. Thomas Q. 1. de Poten. a. v. *Divina bonitas potest se communicare ordinatè non solo isto modo quo res operatur, sed et multis aliis*. Et infra — Optima ratio, qua Deus omnia facit, est sua bonitas et sua sapientia, quæ manerent etiamsi alio, aut alio modo faceret. Illud, enim quod facit, est optimum per ordinem ad Dei bonitatem; et ideo, quidquid aliud est ordinabile ad ejus bonitatem secundum ordinem suæ sapientiæ, est optimum. Et Q. 3. Art. 16 ad 17. Universum, quod est a Deo productum, est optimum respectu eorum, quæ sunt; non tamen respectu eorum, quæ Deus facere potest —.

CAPUT III.

DE OPIFICIO SEX DIERUM.

CCXXI. Theophilus Antiochenus de Moysis narratione circa Universi originem locuturus Lib. II. ad Antolycum ita exorditur — Sex porro dierum illorum narrationem ac dispositionem omnem nemo pro dignitate potest exponere, nec si infinita quidem ora infinitasque linguas habeat: sed neque si innumerabiles annos hac in vita transigat idoneus erit ad ista, uti par est, explicanda propter eximiam illorum majestatem ac divinæ opes sapientiæ, quæ insunt in illa,

quam dixi, sex dierum descriptione —. Atque hæc quidem de admirando hoc opificio prædicabat Theophilus celebris Auctor secundi sæculi, eaque pleno jure laudabat, ut quisquis laudabit, qui mirandam hanc Mosaicam cosmogoniam non perfunctoriè, non invidis oculis aut malignis, ut se gerunt increduli, contemplabitur. Nam quotquot amore veritatis ducuntur, quamplures etiam inter neotericos physiologos et cosmologos fuere, qui Mosaicam descriptionem summopere sunt admirati, et magnificè commendarunt. Sed hic primo controversia exurgit, Num illa sex dierum distinctio a Moyse notata in Mundi ordinatione sit literali sensu accipienda? At ea de re est Interpretum communis sententia, sex distinctis reipsa diebus sive temporibus Universi hujus perfectam fuisse dispositionem, ut Moyses docet, qui porro addit, *die septima quievisse* Deum *ab universo opere, quod patrarat*. Hinc in Exodo hæc ipsa ratio affertur, ob quam sit Sabatum sanctificandum. Igitur ambigi nequit, quin spatium illud ad literam sit intelligendum. Nam 1. illud ostendit duplex hujus narrationis scopus qui certè fuit, tum ut Judæi et gentes omnes instruerentur omnia fuisse a Deo condita et summa libertate disposita, ac nulla ad id fuisse necessitate adactum; quare supremum rerum Dominum ac provisorem universorum eum confiteri deberent: tum ut populi causam septimæ diei observandæ et sanctificandæ in honorem supremi ejus dominii et providentiæ agnoscerent: qua in re Ecclesia cum Synagoga consentit. At posterior hæc ratio non staret, nisi in sensu proprio clara et aperta Moysis narratio accipiatur.

2 Consentit gentium omnium non obscura traditio non apud græcos tantum servata et Italos, sed et apud Celtas et Indos, a quibus per hebdomadas fuerunt digesta tempora, et diei septimo honor servatus. Hinc Hesiodus De Operib. et dieb. Ἑβδόμον ἱερον ἠμαρ: *Lux septima sancta*. Et Tibullus: *Cultaque Judæo septima sacra viro.* Quæ confirmant vetustissima dierum nomina. Sed consulantur Clemens Alex. Philo, Josephus, Dio Cassius, Justinus M. Philostratus, et quos refert Hugo Grotius *De Veritate R. C.* L. 1. §. 14. Ut mirari nequeamus, extitisse nonnullos qui allegoricè septem illos dies interpretari voluerint.

CCXXII. Qui pro sensu allegorico stabant, difficultates afferebant, quas Mosaica illa narratio, ut opinantur, involvit. Ut ex. g. Quod creatio ex nihilo fiat in instanti; ut si mundus ex nihilo factus sit, in instanti fuerit factus. Sed hæc prima difficultas procedit de rebus et elementis simplicibus quæ per creationem prodeunt, quæque in instanti fiant oportet. At id minimè evincit de conformatione entium compositorum, quæ motibus fiat et legibus mechanicis, atque temporis spatio progredientibus. Horum quippe operum diuturnitas a celeritate motus pendet, et hæc celeritas a libera agentis voluntate. Licet ergo Deus mundi materiam in instanti condiderit; ejus tamen disposito in hunc aspectabilem ordinem non necessario debuit in instanti fieri, sed quadam successione fieri potuit. 2. Ajunt, singula opera Dei voluntate facta esse, ut non opus fuerit integrum diem insumere in operibus singulis. Respondetur: Id quidem necesse non erat, par tamen est credere, voluisse Deum ut ea fierent

secundum leges quasdam, et successivè, ut ex Moysis narratione eruitur. 3. Alii non intelligunt, quinam fuerint tres illi dies priores sine sole, qui die quarta factus est. Cui responderi potest, ante solem creatam fuisse lucem quandam, quæ solis vices gereret: Aut Moysen indicare voluisse spatium dierum, non dies naturales ex diebus et noctibus ut postea decurrere cœperunt. Sed huic difficultati clarius inferius fiet satis. 4. Attamen, inquiunt, Moyses die una facta fuisse omnia declarat; nam Cap. 2. ait: *In die qua fecit Deus cœlum et terram*. Imo in Ecclesiastico habetur: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*. Non ergo spatio sex dierum. Verum manifestum est per illam vocem = in die = Moysen significare tempus voluisse, ut alibi in eo sensu diem usurpet, nempe = in tempore quo fecit etc. = Ecclesiasticus verò Cap. VIII. per vocem = simul = vel mundanæ materiæ creationem designat; vel significat, Deum eodem consilio, et ordine, et continuata operatione cuncta opera fecisse. Nihil enim impedit, quominus ea vox adhibeatur ad aliquod temporis spatium designandum, uti sex dierum, juxta Moysis narrationem; potissimum cum in græco sensum præseferat indeterminatum; nempe: Εκτισε τα παντα κοινῃ: *Creavit omnia communiter*, aut *universaliter*. Hæc itaque argumenta quibus olim nonnulli movebantur, ut Philo et Origenes, parvi utique ponderis sunt, ut ob ea recedere a Moysis narratione debeamus, quod nonnulli etiam inter recentiores frustra contendunt. S. autem Augustinus, qui opinioni illi aliquantisper favisse videtur, et in ea inconstans fuit, et ratione alia rem exponit, ut sex tempora, sive instantia constituat.

CCXXIII. Interim ut ad ipsum contemplandum Mundi Opificium accedamus; quamquam quæstio hæc de perfecta intelligentia Mosaicæ cosmogoniæ non perdifficilis modo, sed propter varias discrepantesque eruditorum sententias fermè desperatæ habeatur inquisitionis; nonnulla tamen innuere in animo est, quæ sin minus certa, verisimilia saltem videbuntur, et a Mosaica narratione nec valde aliena, nec illi adversa. Plura quidem in Geneseos textu contineri, quæ sublimissima sint, et ab intelligentia vulgari semota Patres olim et modo adverterunt viri eruditi. Nec mirum, hebraici textus intelligentiam inveniri tenebris obvolutam: Lingua remotissima paucis vocibus constans, quæ plures recipiunt sensus: temporum longinquitas et vicissitudines: varietas opinionum quæ identidem invaluere, aliaque multa in causa esse potuerunt cur veram amiserimus cosmogoniæ Mosaicæ intelligentiam. Idque absque detrimento ullo divinæ Revelationis. Agitur enim de re non ad religionem, non ad mores spectante. Satis erat nosse, cuncta fuisse a Deo condita, et omnia ejus imperio subesse, cui hanc mundi machinam placuerit distinctis temporibus ordinare. At quæ ad physicam rerum compagem pertinebant, ac ad rationem et modum quo singula digesta sunt, voluit ut in occulto laterent, sive ut arrogantiam nostram compesceret, quæ cupit temere in hæc secreta irrepere: sive ne fidei capita absque necessitate cum nostro periculo multiplicaret (1). Cum

(1) Data hypothesi, quod Moyses Mundi systema juxta Copernicanum a Newtono illustratum exposuisset, illudque ita

verò ex illa obscuritate impii homines ansam arripuerint Scriptorem Sacrum vituperandi, quasi rudia nimis, aut minus apta et concinna retulerit, quæque non cohæreant, ut sibi confingunt, cum physicorum observationibus; hinc juxta nobiliores cosmologos breve commentarium est instituendum super hanc mundi genesim, unde constet, nihil Moysen dixisse, quæ meliori philosophiæ consentanea esse non possint; ut si postremis astronomorum observationibus apertè non faveat, iis certè nec apertè repugnet. Quare si perfectè sacri historici sensum non fuerimus assecuti. (*Nunquid nosti ordinem Cæli? ... Quis enarrabit Cælorum rationem?* Job. c. 38.), ea fortasse dicentur, quæ verisimillima sint, quæque locum non relinquant incredulis Moysis cosmogoniam aut spernendi, aut irridendi.

CCXXIV. Statuatur itaque hypothesis, ad hæc totam mundi genesim referri; nempe Deum principio ingentem massam ex lucida et opaca materia confla-

clarè et apertè ut fide divina credendum esset; quot increduli illud non impugnassent ac testimonio sensuum adversum non traduxissent? Ne occasio ergo absque necessitate daretur fidem Deo detrectandi, hæc et alia naturæ secreta maluit Deus in abdito delitescere. Oportebat quidem, ut mundum a Deo conditum nosceremus; at necesse non erat, ut ordinem et naturæ leges haberemus compertas; quæ si uti sunt, declaratæ essent, eas nec ipsi mathematici fortasse intelligerent, et hinc temerarii nonnulli facile eas repudiarent. Laudanda igitur Moysis œconomia, qui ita mundi genesim temperavit, ut nullis veris observationibus adversetur. Recta imo ratio suadet mundanum systema longè præstantius esse habendum ac physici omnes cognoscere et imaginari queant. Quod nova, quæ deteguntur in dies, ostendunt: sed non nova omnia certa sunt ac indubia.

tam ex nihilo eduxisse: Massam hanc primitus stantem, immobilem, viribusque destitutam motu ac fecunditate potentiam Dei virtutemque donasse, et viribus cohæsionis, elasticitatis, expansionis aliisque adauxisse: natam hinc ob ignis aut lucis adhæsionem cum principio terreo materiam caloris, atque hujus caloris vi ingentem illam ac prope immensam materiæ molem mobilem fluctuantemque evasisse: Tum Deum jussisse, ut maxima lucidæ materiæ pars a vasta illa massa dissociaretur, et splendore micaret; atque ut in ea disjunctione moles illa fluida atque opaca rotationis motum circa proprium axem acquireret: reliqua verò materiæ Lucis portio cum terreo aut cum fluido principio cohæreret, corporumque varietatem progigneret; atque hæc omnia prima die Deum fieri voluisse. Ponamus præterea, die altera Deum cælorum spatium tetendisse ac definivisse, illamque molem magnam et fluidam in partes plures, in planetas et cometas dispescuisse, eosque suis in locis per cæleitia spatia disposuisse et collocasse: Die autem tertia planetam hunc nostrum, et ex analogia cæteros omnes plus minusve juxta uniuscujusque statum et conditionem voluisse Deum ut soliditatem acquirerent ac firmitatem, atque ut plantas herbasque germinarent, imperasse: Quarta verò die, lucem die prima ab opaca massa divisam in solem stellasque collegisse, easque centrum omnium systematum planetariorum constituisse. Atque ita paratis omnibus ad animantium vitam et conservationem, quinta et sexta die providentissimum Dominum animantium speciebus variis mundum locupletasse, ac tandem hominis opificio opus

universum perfecisse. His autem omnibus sin minus veris, saltem verisimilibus, licet Moyses non astipuletur, tamen non contradicit; imo horum potiora apertissimè docet; hinc Cosmologi non pauci cætera, quæ exposita sunt, non incongruè deduci posse autumarunt (1).

CCXXV. Revera Moysen horum plura tradidisse, aliis verò non esse adversum, facile evinci posset. In primis enim patet, non de sola hujus Telluris genesi fuisse locutum, sed universam complexum fuisse rerum naturam, uti vetusti Patres communi consensu docuerunt, docentque recentiores; ita ut Moyses universi totius creationem attigerit, prout illius cognitio utilis nobis erat ac necessaria ad conditoris gloriam agnoscendam et commendandam. Id verò ipse historicus sacer testatus est, cum absoluto rerum opificio ita narrationem claudit Gen 2. 1. *Igitur perfecti sunt Cœli et Terra et omnis ornatus eorum*. Non igitur,

(1) Inter hos eminet Wallerius Suecicus, in Opere *de Origine Mundi*, in quo inter alia demonstrat contra Wisthonum non esse Mosaicam narrationem de sola Tellure nostra accipiendam. Præterea Wisthonus volebat, Tellurem nostram a statu cometæ inflammati et accensi, ad statum tepefacti planetæ transiisse. Wallerius autem docet, et experimentis ostendit, duo tantum esse corporum omnium principia, terram nempe; et lucem primitivam, ex quorum temperatione varia omnia composita exurgant. Hæc a Parmenide calor et frigus appellata sunt, ab Hermete Ignis et Terra, ab Hippocrate Ignis et Aqua, ab Ægyptiis lux et tenebræ; eaque sunt quæ a Moyse Cæli et Terræ nomine designantur initio Geneseos. Tandem alii per Cælum et Terram, hebr. *asciamaim ve eth aaretz* significari docent, *quæ sursum, et quæ deorsum: superiora, et inferiora*.

ut vult Wisthonus, de sola Tellure nostra sermonem habuerat. Suam itaque Moyses ita exorditur cosmogoniam: *In principio creavit Deus Cælum et Terram:* prima nempe rerum omnium elementa, ut Augustinus interpretatur Lib. I. de Genesi contra Manich. C. V. ubi ait: *Prima materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt; quod credo a græcis Chaos appellari* (1). Et C. 7. *Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo Cælum et Terra.* Cap. vero 6. scripserat: *Hæc ergo nomina omnia sive Cælum et Terra, sive Terra invisibilis et incomposita, sive Abyssus cum tenebris, sive Aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ . . . dictum est ergo Cælum et Terra, quia inde futurum erat Cælum et Terra.* His ergo vocibus, ut critici observant, Scriptores sacri rerum universitatem designare consueverunt, qui mos fuit etiam omnium populorum. Revera prima illa Geneseos verba solam tellurem hanc nostram minimè designare, ostenditur, quod Terra illa (vers. 2.) dicatur inanis et vacua, et appelletur abyssus, atque Aquarum vocabulo denotetur. Hæ Aquæ (vv. 6. et 7.) per firmamentum, sive per intermedium spatium dicuntur in partes divi-

(1) Chaos propriè non significat rudem molem atque indigestam, sed vastitatem ac profunditatem quandam, ut etiam significant hebraicæ voces *tohu*, *bohu*. Huic elementari rerum creationi omnes populorum traditiones suffragantur, ut Grotius, et Huetius ostendunt. Dicere verò hæc Moysen a Phœnicibus accepisse, ut increduli hariolantur, et non potius hos aliosque a Moyse, est incredulorum popello nugas vendere.

sæ, idque die secunda; atque tandem die tertia earum una portio arida effecta (v. 10.) Terra appellata est; eaque utique est, quam incolimus. Rursus Cælum, quod modo conspicimus, factum dicitur die secunda (v. 7.) quando spatium seu extensio vel firmamentum protensum est, ubi die quarta (v. 17.) stellæ locatæ sunt. Quod igitur initio appellatur Cælum, nequit illud esse, quod modo speculantur astronomi; sed Cæli ac Terræ vocabulis prima rerum semina Moyses designare intendit, quorum principia duo tantum statuit, lucidam nempe materiam, atque opacam, sive activum principium, ac passivum, quæ eodem instanti condita sint, illamque constituerint molem immensæ propemodum profunditatis, quæ propterea Abyssi nomine designata est, et in quam Dei virtus operabatur: sequitur enim: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas* (v. 2.)

CCXXVI. Jam verò materies illa informis adhuc erat, indigestaque moles, sive omni motu vi et ordine destituta. Hebraicè habetur: *tohu vabohu*: inanis nempe, ac profunda, vasta et vacua. Græcè legitur: *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, sive impræparata: invisibilis dicta est, quod lux nondum effulserat: impræparata verò, quod suis viribus et proprietatibus non adhuc esset instructa. Interim Spiritus Dei (hebr. *Ruach Jehovah*), sive energica vis creatrix et motrix, ut optimè Chrysostomus intelligit, ferebatur super *Maim*, seu super Aquas: quo nomine illa venit primigenia elementorum congeries, quam Græci ὕλην, sive Materiem vocant, quamque Moyses

hîc indicat nomine Abyssi atque Aquarum. Non enim hoc in loco de illa agitur aquarum congregatione, quam telluris nostræ orbem contegisse scribit infra (v. 9), ut quidam volunt; cum prima die hac hujus telluris globus nondum distinctus esset: at sermo est de vasta illa et primigênia materiei massa, de qua dictum est. Et quidem ubi hebræus habet *Theom*, quam vocem Græcus *Abyssum* vertit, notat Dickinsonius, Arabes vocem usurpare, quæ vastam exprimit materiei congeriem. Itaque Abyssi nomen, quod postea metaphoricè ad mare significandum translatum est, hanc immensam denotat materiei profunditatem, ut affirmabat Aretas in Cap. X. Apocalypseos: *Αβυσσον καλουσι τɔ πολυ βαθος του̃ προτου στοιχειου*: *Vocant Abyssum maximam profunditatem primi elementi*. Hoc autem principium a SS. Patribus cognitum, ut vidimus, ponere ac demonstrare opus erat, cum inde, quæ inferius dicentur de formatione cælorum ac planetarum, planè deducantur, ac hujus principii consectaria sint. Dum itaque Spiritus Dei fertur super Aquas, jam divina inducitur virtus, quæ motum et proprietates materiæ impertit. Id sensere Basilius, Ambrosius, Augustinus, et alii. Hinc attractionis et cohæsionis legibus materiæ particulæ subjectæ factæ sunt, quibus terreum principium cum igneo diversimodè copularetur, atque inde caloris materia prodiret; unde contigit, ut hujus caloris vi illa ingens moles antea immobilis motu intestino agitari inceperit, fluctuansque apparuerit, atque hinc Aquarum nomine fuerit insignita; non enim eo nomine distincta fuit, nisi postquam motum et vires a Dei Spiritu accepit.

Spiritus autem nomine non aër aut ventus accipiendus est, qui nondum erant sed ipsamet Dei actio et virtus, quæ materiei motum viresque donavit.

CCXXVII. Sed hæc primigenia moles tenebricosa erat hactenus. Quare jussit Deus, ut lux splendesceret, tenebrasque dispelleret (v. 3.): *Dixitque Deus: Fiat lux; et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona; et divisit lucem a tenebris: appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.* Creata jam erat lux, sed nondum fulgebat. A materia opaca divino jussu disjuncta est ac lucendi vi ditata, atque tunc illuxit. Hanc notionem suppeditat Apostolus 2. ad Cor. c. 4. cum ait: *Deus, qui dixit, de tenebris lucem splendescere*. Moyses verò subdit: *Et divisit lucem a tenebris*. Unde intelligitur, materiam lucis ex opaca mole magna ex parte seclusam fuisse, eidemque micare jussum. Dum autem lux ab illa Aquarum mole dissociabatur, eam molem rotationis motum circa proprium axem acquisivisse, non incongrum videri posset, quo temporis distinctio in dies noctesque explicetur; materia lucida interea separato in loco procul stante. Quamquam verò Moyses id apertè non referat, nihil impedit, quominus putemus, eo tempore illam Aquarum molem motus intestini incrementum nactam fuisse tum a novo rotationis motu, tum a lucis seu ignis portione, quæ in ipsa restiterat, quæque multiplici nexu cum aquosa materia colligabatur. Ex illo enim conversionis motu, aut, si mavis, ex materiæ lucidæ circumductione circa massam fluidam motus vehementior molecularum fortasse ortus est, et illarum cohæsio incepit ad mixta corpora generanda.

CCXXVIII. Hisce prima die peractis, die altera Cælorum spatium Deum tetendisse ac definivisse historicus sacer refert, scribens: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio Aquarum et dividat aquas ab aquis: et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum, et factum est ita: vocavitque Deus firmamentum, Cælum*. Habemus hîc, supremum Mundi Opificem universi ambitum circumscripsisse, totamque Cælorum extensionem in qua stellæ et planetæ collocarentur expandisse. Idem significavit Jeremias C. LI. 15. ubi ait: *Præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit Cælos*. Vox enim hebr. *Rakhiah* extensionem sive spatium significat in quo orbes locati sunt, quod latinus interpres ex græco vertit *firmamentum* (1). Hac itaque postera die ingens extensio, et universi ambitus constitutus est, in quo Creator omnipotens sphæras opacas ex illa ingenti et fluida Aquarum mole divisas et conglobatas, planetas nempe omnes illo ordine ac intercapedine qua nunc perstant, collocavit. Itaque

(1) Firmamentum est utique spatium illud, in quo cælestia corpora circumvolvuntur; quod ex voce *rakhiah* LXX. Interp. significarunt per vocem στερέωμα, unde Vulgatus Interpres vertit *firmamentum*. Ex hac versione opinio nata est de firmamento solido, deque sphæris chrystallinis; quæ tamen ex hoc loco nullum mutantur præsidium; nam hebraica vox extensionem significat. Eliu Jobi amicus dicebat quidem (Job. 37. v. 18.) *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos qui solidissimi, quasi ære fusi sunt?* Quæ tamen verba non sunt hominis divinitus inspirati, qui potius a Deo ipso redarguitur paulo post (Cap. 38.), cui dicitur: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? ... Nunquid nosti ordinem cæli? etc.*

per Aquas supercælestes, sive quæ super firmamentum fuisse dicuntur, non vapores sunt intelligendi aut nubes, quæ in aëre elevantur, ut quidam volunt; nondum enim Tellus nostra formata erat, nec aderat atmosphæra eam ambiens, neque sol vapores attollens, unde nec pluviæ extabant adhuc; ut habetur Gen. C. II. v. 5. Quare illa divisio de partibus fluidæ illius massæ accipienda est, quæ in oppositis spatii locis locatæ sunt. Quod verò de orbibus solare nostrum systema componentibus dicitur, de reliquis omnibus est intelligendum, qui systemata stellarum fixarum, si quæ sunt, constituunt; ita ut vasta illa Aquarum moles originem dederit planetis omnibus spatio mediante divisis. Huic planetarum genesi suffragantur alii Scriptores Sacri: ut Psalmo 135. 6. *Qui firmavit Terram super aquas;* et Petrus 2. Ep. c. 3. 5. habet: *Cœli erant prius et terra de aqua et per aquam consistens Dei verbo* (1). Quod quantum ad rei substantiam

(1) Terram cum reliquis corporibus omnibus ex aquis prodiisse vetustissima sententia est a Thalete valde probata; quare Cicero Acad QQ. c. 118 scribit: *Princeps Thales ex aqua dixit constare omnia.* Et L. 1. de Nat. D. *Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit, Aquam esse dixit initium rerum: Deum autem eam Mentem, quæ ex Aqua cuncta fingeret.* Cui consensere Eratosthenes, Anaxarchus, Plutarchus aliique. Id ipsum docuerat Homerus Iliad. XIV. v. 246. ubi Oceanum omnibus originem dedisse affirmat: unde Virgilius Georg. IV. *Oceanumque patrem rerum.* Quæ ex antiquis traditionibus hausisse clarum est. Recentiores quoque Cosmologi omnia aut plura saltem ex aquis prodiisse non diffitentur. Hinc non mirum si planetæ in Cælis locati et ex illa massa fluida educti Aquarum nomen in Scripturis retinuere, ut Psal. 148. *Laudate eum Cœli cœlorum, et Aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt.*

tenuere Patres, inter quos Basilius, Nyssenus, Ambrosius, et cæteri, quos refert Petavius de Opificio L. 1. c. 4. Quantum verò ad physicam attinet, id ex analogia deducitur, quæ inter Tellurem nostram ac planetas cæteros systematis nostri solaris conspicitur intercedere; qui omnes juxta astronomorum observationes, licet densitate differant, ejusdem tamen se naturæ produnt atque originis: eadem circumscribuntur sphæroidali forma, eodem omnes rotationis motu circa axem proprium donantur, omnesque simili circa solem circuitu ab occidente in orientem in plano ferme eodem circumferuntur, nec non eadem inter se attractionis lege colligantur; ut eandem demonstrent præseferre originem.

CCXXIX. Quæ de operibus tertiæ diei in Genesi referuntur, ad Tellurem nostram præcipue spectant. Narrat itaque Moyses, hanc molem adhuc fluidam ex parte, juxta leges illi a Deo inditas, obduruisse, liquidæ ac solidæ materiæ secretionem fuisse factam, congregationesque aquarum appellatas fuisse *maria*. Cum verò constet, aquam in terram verti, ut etiam in aërem, quod Chymici ostendunt; hinc intelligitur, aquæ, terræ, et aëris genesim ex massa illa primigenia et fluida describere voluisse. In hac vero transformatione, et ex varia junctura fluidi elementi cum elemento caloris aut ignis diversa corporum genera, lapides, metalla, fossilia, vegetabilia aptata esse et concinnata videntur. Quod cum factum esset, omnes herbarum et arborum species ac semina e terra Deus germinare jussit. Dum verò singula fiebant, quæ de hujus Telluris ornatu refert Moyses, eadem in planetis re-

liquis per analogiam facta fuisse, nihil vetat, dici posse; prout nempe uniuscujusque illorum ferebat conditio et finis.

CCXXX. At quarta die ad Universum totum sacer Scriptor iterum sermonem convertit, atque enarrat, postquam supremus Artifex sphæras opacas paraverat suisque in locis disposuerat, tunc lucem a primitiva materiæ mole die prima divisam in sphæras lucidas compegisse atque in centris planetariorum systematum, collocasse, ut splendore ac vi sua planetas collustrarent fœcundarentque. Tunc verò eorundam ambitus, ob motum eisdem impressum, et ob mutuas attractationis leges, quibus illos Deus communivit, circa solem ac stellas fixas incepisse, existimare consentaneum est. Itaque parato animantibus domicilio, die quinta Aquas, Mare, et Aërem piscibus, avibusque ex aquis plasmatis ac eductis Deus replevit et locupletavit: Die verò sexta quadrupedibus et omnigenis bestiis, et animalculis Telluris superficiem complevit. Quibus omnibus perfectis absolutisque, et hac sede magnificè ornata, postremo Hominem

Sanctus his Animal mentisque capacius altæ,

rerum nempe creatarum omnium principem ac dominum Deus O. M. condidit, *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, quo mente rationis compote eum ditavit, atque admirando hoc opificio Universi totius ornamentum absolutum est (1). Quæ cum ita digesta

(1) Sunt increduli non pauci, qui hanc rerum compaginem criminantur, eamque vitiis scatentem traducunt, quibus supra (N. XII. et CXIII.) responsio aliqua data est. Sed et hi meminerint vicissitudinum, quibus Tellus hæc subjecta fuit diluvii

et composita sint, ut nemo ita facta esse ex Moysis narratione inficiari posset; quisnam adeo ineptus fuerit, qui cum hac eleganti, apta, et concinna Uuiversi theoria fabulosas et confictas Burnetii, Woodvardi, Wisthonii, Mailletii, Leibnitii, aut Buffonii hypotheses comparare confidat? Verum non arbitramur, sacri Scriptoris mentem penitus nos fuisse assecutos: sufficiat, si ad illam aliquantisper accesserimus. Novimus enim cuncta ita facta esse, *ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque in finem*; ut Ecclesiastis c. 3. admonemur: quod ita esse quotidianæ confirmant physicorum observationes.

CCXXXI. Non hic in animo est objecta dissolvere, quæ increduli congessere adversus mundi ætatem et Moysis cosmogoniam: objecta a doctis viris centies profligata, quorum alia precariis et absurdis hypothesibus innituntur, alia sunt dubia deducta ex rerum ignoratione: desumpta alia ex falsis suppositionibus, aut ex observationibus, quæ aut non stare ostenduntur, aut ipsam Moysis confirmare historiam. Volunt e-

tempore, de quo tum Genesis, tum tota testatur antiquitas, ut videre est apud Huetium *in Anetanis*, Grotium *de Verit. R.* Burnetum in *Telluris theoria Sacra*, aliosque; quod ob hominum scelera contigisse tota pariter antiquitas confitetur. Quamquam etiamsi modo non ita elegans appareret, ut primitus plasmata est, sed ipso Deo volente in deterius abierit, ea tamen divini opificii vestigia servat, ut physicos in admirationem pertrahat sive ob ordinem sive ob operis immensitatem. Quinimo Gentiles Tellurem hanc inter divos retulerunt, eamque Cererem, et Vestam, et Cybelem appellabant, Tullio teste L. 3. de N. D. ubi ait: *Terra ipsa dea est, et ita habetur: quæ est enim alia Tellus, nisi Terra?* Pantheistæ nostrates in eundem turpem veterum errorem stultissimè lapsi sunt.

xempli causa, antiquiorem esse tellurem hanc, quàm sacer textus affirmet: proferunt carbonarias fodinas ad profunditatem non modicam sub terra inventas, aut sylvas incensas in terræ visceribus detectas, quæ ut ita obruerentur magna, ajunt, sæculorum series requirebatur. Sed isti ingeniosi speculatores, qui ut negotium creent Moysis narrationi quæque arripiunt inepta, noverunt, carbones fossiles non jam inter ligna combusta recenseri, sed inter argillæ speciem quandam: sylvas terra obrui potuisse a causis particularibus, ut de nonnullis ex historia constat; sicut de lignis certi reddimur in Anglia repertis ad profunditatem decem et octo pedum, ubi numismata inventa sunt ad Julium Cæsarem pertinentia, quæ hujus eventus epocam signant non valde remotam. Volunt quoque sæcula innumera defluxisse antequam fossilia formarentur et petrificationes variæ. Putant nempe, Deum naturæ processibus indignisse, ut eos obtineret effectus; quasi omnipotens creator, qui elementis imposuit leges, quibus imposterum progrederentur, eas initio nequiverit accelerare. Plures causæ præterea nobis sunt incompertæ, quarum vi breviori tempore obtineri queunt effectus, ut in dies recentiorum ostendunt observationes, quibus revincimur certam de his regulam definiri non posse.

CCXXXII. Ejusdem indolis est lepida objectio a stellarum radiis mutuata; cum ajunt, ut a stellis hi radii ad nos usque pertingant, plurium annorum myriadibus opus esse: quare nolunt has stellas a nobis posse conspici, nisi mundus longè statuatur antiquior ac a Moyse poni videtur. Verum hæc futilia proferre

poterant ii stulti homines, qui sibi fingunt a seipso efformatum esse mundum; quod nemo sanus dixerit. Nam qui stellas condidit, lucem quoque creavit et radios ad terram usque deductos, quorum velocitatem potuerat etiam accelerare pro nutu suo. Num hi sublimes astronomi arbitrantur, rerum conditorem iis subjectum fuisse legibus quas naturæ imponebat? Nunquam legerunt? *Qui emittit lucem et vadit* (Job. Cap. XXXVIII.)? Sed Deus ipse hos temerarios, *qui nec operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex*, ut ait Apostolus ad Rom. I. hos, inquam, interrogat et de sua ignorantia coarguit apud Job eo loco: *Indica mihi si nosti omnia: In qua via lux habitat ... Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? ... Nunquid nosti ordinem cæli?* Ipse quidem nostris non egebat consiliis, *qui fabricatus est auroram et solem,* quique apud Isaiam testatur Cap. XLIV. 24. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, et nullus mecum:* quæ veræ supremi Opificis imagines sublimiores utique sunt frigidis omnibus inspectionibus, quas hodierni epicurei in odium veritatis speculantur. Sed et his aliisque anilibus objectis unica responsione satisfecerunt viri insignes Newton, De Saint-Pierre, De Luc, Chateaubriandius etc. Deum scilicet mundum condidisse cum iis omnibus signis et complementis vetustatis, quæ modo in eo conspiciuntur. Verisimile quippe est in mundo recens condito et antiquas sylvas et arbusta juvenilia plantata fuisse, plantas pomis alias onustas, alias floribus ornatas: bestias provectas conditas et catulos: Mineralia, fossilia, et petrificationes

dispositas: Nives in montium jugis et fluvios decurrentes etc. Absque ea varietate nec majestas nec pulchritudo in novo illo mundo visa esset, multaque defuissent ad ornamentum, et ad animantium vitam necessaria; quod certè minimè decuisset sapientissimum rerum opificem; qui *vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*. Mundus itaque recens jam et antiquus apparere debuerat, ut omnia tempora, ætates, et rerum series complecteretur. Ut enim Eccl. XVIII. habetur: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.*

CAPUT IV.

DE CREATIONE RERUM INVISIBILIUM, DE EXISTENTIA NEMPE ET NATURA ANGELORUM.

CCXXXIII. Universi partem corpoream et aspectabilem hucusque contemplati sumus; de altera modo quæ in sensus nostros minime incurrit nonnulla delibanda sunt, et primùm de illa ingenti Angelorum multitùdine, eorundemque Societate disserendum. Ex iis nempe quæ divinæ Sapientiæ nobis placuit revelare de illorum existentia, natura, vita, officiis, nec non de commerciis quæ cum hominibus agitant, ea afferemus, quæ fide tenenda sunt, tum quæ communi consensu probantur, ut hinc Dei majestatem ex admirandis ejus operibus glorificemus. Angelus itaque definiri solet: *Substantia spiritualis, completa, intelligens, ac dignitate præ aliis creaturis præstantior*. Angeli a græcis dicuntur Πνευματα, ob velocissimam cognitionem et actionem quibus ditati sunt: nam ve-

teres omne ens activum et inconspicuum *Pneuma* sive Spiritum vocabant: Angeli enim græca vox officium *nuntii* ac *ministri* significat, cui respondet hebræa vox *Melachim*: Quæris *nomen hujus naturæ, Spiritus est,* ajebat Augustinus Serm. 1. in Psal. 103. *Quæris officium Angelus est*. Hinc ab Apostolo ad Hebr. I. 14. dicuntur Πνευματα λειτουργικα: *Administratorii Spiritus*. Quare Angeli nomen apud profanos æque ac Sacros Scriptores etiam hominibus tributum est. Græci hos Spiritus δαιμονας, sive *dæmones* appellabant, id est, *scientes*, deosque minores habebant: at Scriptores Sacri *Intelligentias* nominare consueverunt. Hos autem Angelos existere non solum Religionis veræ cultores, sed et ipsi ethnici poëtæ ac philosophi constanter agnovere, quos dæmones ut diximus nuncupabant. Nos verò Angelos quidem partim bonos, partim malos habemus, *nunquam verò bonos dæmones nominamus*, ut observabat Augustinus. Clemens tamen Alexandr. celebres illos Orphei versus refert, in quibus hi Angelorum nomine designantur:

Σῳ δε θρονῳ πυροεντι παρεστασιν πολυμοχθοι
Αγγελοι, οισι μεμηλε βροτοις ὡς παντα τελειται

Throno tuo ignito adstant laboriosi
Angeli, quibus curæ est, ut a mortalibus cuncta gerantur.

CCXXXIV. At cum nihil adeo sit exploratum, quod in dubium ab aliquo non revocetur, ita et hæc veritas adversarios nacta est. Ut enim olim Sadducæi, ita ex hodiernis materiariis, ut eos Tertullianus vocat, Hobbesius, Spinosa, Anabaptistæ eundem errorem exsuscitare tentarunt. Balthassar autem Bekerus in

suo *mundo fascinato* vult, ex veteri Testamento Angelos existere, non apparere. Sed ex utroque Testamento Angelos extare, facile demonstratu est. 1. Enim ex ipso Pentateucho, quem solum Sadducæi admittebant, id manifeste deducitur, ubi Gen. XVI. et XXI. de Angelis narratur, qui Agar in deserto, et Loth in Sodomis apparuerunt, eumque a ruina eripuerunt: tum Cap. XXII. de Angelo sermo fit, qui Abrahamum cohibuit, ne filium immolaret. Hi verò cum illis et locuti et conversati sunt, eaque præstiterunt, quæ nisi ab entibus intelligentibus fieri poterant. Quare ad naturæ phœnomena ea referre, ut vult Bekerus, insanum esset. Nec minus apertè memorantur Angeli in aliis Libris ut in Exodo, in Psalmis, in Prophetis, præcipue in Daniele, ubi dicitur. Deo millia millium et decies centena millia assistere ac ministrare: Et, *Benedicite Angeli Domini, Domino: Laudate eum omnes Angeli ejus: Angeli suis mandavit de te;* et alia passim. In Novo autem Testamento id etiam clarius asseritur; ut cum ait Christus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel*. Matth. 1. *Ecce Angelus Domini apparuit Joseph.* Apostolus ad Hebr. c. 1. comparationem inter Christum et Angelos instituit: In Apocalypsi etiam sæpius memorantur; quæ acta et apparitiones ad phantasmata humanæ imaginationis referre, desipere prorsus foret. Non opus est Patrum dicta excribere in rem hanc perfectè consentientium. Augustinus in Psal. 103. ait: *Esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus nec inde dubitare fas nobis est*. Id ergo fide Catholi-

ca definitum est in Concilio Lateranensi IV. = *Utramque Deus de nihilo condidit creaturam, spiritualem et temporalem, Angelicam videlicet et humanam*. Quare ita Angelos existere certum est, ut exploratum est. existere homines.

CCXXXV. Has praeterea Intelligentias extare ex multis effectibus patet adeo manifestis, ut nec a materialistis negentur, licet per meteoras aliasque naturales causas explicari posse, frustra tamen, velint. Demum consensus omnium temporum, omniumque populorum rem hanc evincit. Hinc Tertullianus in Apologetico c. 22. ait: *Dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum est. Sciunt dæmones philosophi, dæmones sciunt poetæ ... Angelos quoque etiam Plato non negavit: utriusque nominis testes vel Magi adsunt*. Hesiodus certè dæmonum meminit L. 1. Op. et d. Thales apud Laërtium et Plutarchum eos definivit, *Substantias viventes*. Plato eos volebat natura quidem mortales, sed immortales voluntate Summi Patris. Socrates se dæmonem habere passim jactabat; et aliæ philosophorum scholæ eandem dæmonum doctrinam tradebant; atque universa theologia Gentilis dæmones personabat. Recentes Asiæ et Americæ populi in eadem fuere sententia, qui omnes etiam in bonos et malos dæmones distinxere, ut apud Petavium, Huetium, Vossium, Stanlejum, videre licet.

CCXXXVI. Ut quid ergo opponunt nonnulli, Angelorum creationem a Moyse non enarrari? Futilis planè objectio, cum tam perspicuè in suis Libris Angelos commemoraverit. Sed Scripturæ sæpe docent,

omnia fuisse a Deo condita; ergo et Angelos; quod Apostolus testatur ad Coloss. 1. 16. de Verbo Dei inquiens: *Quoniam in ipso condita sunt universa in Cœlis et in Terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt*. Sed et a Moyse plures volunt Angelorum creationem memorari ubi scribit c. 2. *Igitur perfecti sunt Cœli et Terra, et omnis ornatus eorum*. Vox enim *ornatus* ex hebræo verti potest *exercitus*, quo nomine in Scripturis sæpe Angeli significantur, ut Nehemiæ c. 9. 6. *Tu Domine solus, tu fecisti Cœlum et Cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum, et exercitus Cœli a te factus, Te adorat*. Itaque Lucæ 2. 13. habetur: *Et subito facta est cum Angelo multitudo Militiæ cœlestis, laudantium Deum* ... Conferatur et Job. C. XXXVIII. ubi LXX. Interpretes vertunt: *Quando facta sunt simul sydera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei*. Verum etiamsi Moyses visibilium tantùm originem narrare voluisset, ut putat Basilius, non propterea timendum, ne Judæi Angelos increatos et uti deos haberent. Periculum enim illud Moyses satis removerat, Angelos semper exhibens uti Dei ministros, docensque populum, eum sôlum adorandum uti solum conditorem universorum. Voltairus autem eruditionem a Simonio mutuatam objiciebat: probabile nempe esse, doctrinam de Angelis a Chaldæis vel a Persis derivatam fuisse, eo quod eorum nomina Michaël, Gabriel etc. Chaldaica non hebraica videantur. Fallebatur tamen Simonius, cum similia nomina apud hebræos occurrant, ut Gamaliel. Sed et recensita nomina he-

braicam designant originem, ut *Gabriel*, *Vir Dei*, *a gaber* vir, et *El*, *Deus* vel *fortis*. Quanquam verò concedamus, Angelorum nomina ante captivitatem babylonicam non innotuisse, et Tobiam primum Raphaëlem nominasse, ac postea Danielem nomina designasse Michaëlis, et Gabrielis; Angeli tamen ab hebræis minimè ignorabantur, quorum frequens mentio fit in Pentateucho et alibi. Imo Judicum C. XIII. Angelus, qui matri Sampsonis apparuit, rogatus, ut nomen daret, id renuit, respondens: *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?* Rabbini varia Angelorum nomina invexere, sed Ecclesia non alia Angelorum nomina admittit præter tria recensita in Sacris Literis. Sub Zacharia Pontifice rejecta fuit precatio in qua Uriel, Raguel, Inias, Tubuas, Tubuel, Sabaoth et Simiel invocabantur. De Lauriel Angelo Custode S. Jo. a Cruce videatur Albitius — De Inconst. in Fide c. 40. Desipiunt tandem, qui angelorum nomine intelligere volunt in Scripturis designatas internas inspirationes, aut quorundam hominum munia: Ibi enim substantiæ intelligentes apertè designantur, ut cum Christus ait Matth. XVIII. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris:* Licet aliquando hoc nomen hominibus tributum sit.

CCXXXVII. De tempore, quo Angeli creati sunt, certa non est inter catholicos sententia. Quidam ante, alii post mundum conditum Angelos creatos sensere. Probata sententia est, quæ nititur definitione Concilii Lateranensis supra relata, creatos nempe fuisse Angelos una cum aspectabili hoc Universo: Id tamen ad fidem non pertinet, cum scopus Concilii fuerit, non

tempus definire, quo Angeli creati sunt, sed Angelos, non minus quàm res visibiles, conditos a Deo fuisse. Imo Hieronymus in Epist. ad Titum habet: *Sex mille necdum nostri Orbis implentur anni: At quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque virtutes servierint Deo?* Idem ferme alii patres Hilarius Greg. Nazianzenus, Ambrosius, Beda aliique sensere. In hac re igitur, ut in aliis in quibus Revelatio et ratio silent, judicium cohibendum est.

CCXXXVIII. Hujus generis quæstio olim agitabatur de Angelorum natura. An scilicet Spiritus isti omnis materiæ sint expertes: an verò corpusculis quibusdam tenuissimis tanquam vehiculis sint conjuncti; de qua salva fidei compage disputatum est. Plures etiam Patres Angelos ex corporibus subtilibus et æthereis constare arbitrati sunt, quæ nihil impediant, quominus Spiritus appellentur. Nemo tamen ita desipuit, materialistis exceptis, qui eorum naturam corpoream prorsus esse dixerit; sed quæstio erat, an hæ spirituales Intelligentiæ corpusculo aliquo tenuissimo et inconspicuo naturaliter vestirentur. Verum communis hodie sententia est etiam inter heterodoxos, esse Angelos substantias omnino incorporeas et spirituales, ut ei refragari nemo audeat. Quod et Scripturæ insinuant, quæ Angelos frequenter Spiritus vocant, ut Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*. Et ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus*. Nam hæc vox sæpius usurpatur ad res incorporeas significandas, ut Deum et hominum animas. Præterea An-

geli absolutè Spiritus vocantur, Virtutes, Potestates, absque ullo addito; at supposita ex corpore ac spiritu compacta non ita appellantur; sed quæ habent spiritum, potestatem, virtutem; simplices ergo substantiæ sunt. Quod et Patres sensere, qui frequenter eos incorporeas et intelligentes creaturas vocant. Denique huic sententiæ ipsa ratio suffragatur. Universi enim pulchritudo et ordo id postulare videntur. Ut enim in eo sunt corpora sine spiritu: sunt item Spiritus corporibus conjuncti: ita quoque sint Spiritus ab omni corpore liberi et exsoluti.

CCXXXIX. Opponunt materialistæ, Sadducæos hebræorum sectam Spiritus non agnovisse; quod ostendat, has substantias ex veteri Testamento non deduci. Verum Sadducæi, quod Spiritus negarent, erant omnibus invisi; cum secta esset, quæ a Patrum doctrina discesserat. Quare et in Actis Apost. C, XXIII. reprehenduntur, quod dicerent, *non esse Angelum, neque Spiritum*; ubi nomen *Spiritus* Angelis tribui videtur ad illorum spiritualem designandam naturam. Ajunt alii, Gen. VI. Sub nomine filiorum Dei, qui acceperunt sibi uxores, indicari Angelos, quod ex græco textu confirmatur; ut propterea non sint corporis expertes. Clarum tamen est eo in loco, non Angelos, sed indicari posteros Seth, ut et nomine filiarum hominum feminæ designantur de stirpe Cain. Illam etiam phrasim = Videntes filii Dei = Aquila vertebat = Filios deorum = id est filios magnatum et principum, ut ex versione Chaldaica et Arabica eruitur. Sed et in multis græcis Codicibus non legimus Angelos, at verò filios Dei, ut in Vulgata. Tandem

locus ille, si non de hominibus, intelligi nec de bonis Angelis posset, nec de malis: non de malis, qui filii Dei non vocarentur: non de bonis cum de his dictum sit Matth. XXII. quod *neque nubent, neque nubentur:* Auctoritas autem de hac re desumpta a Libro Henoch nullius momenti est, quem ut apocryphum rejiciunt omnes. Comparatio verò quæ Lucæ XX. instituitur inter statum hominum post resurrectionem et Angelorum, non in omnibus urgenda est, sed in eo quod sicut Angeli non egent connubiis ut speciem conservent cum sint immortales; ita et homines immortales effecti nuptiis non egebunt, nec locus connubiis erit, *sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*. Quod autem addunt, Angelis in Scripturis ea tribui, quæ sine corpore aliquo exerceri non possent: ut quod dicantur Psal. 102. *potentes virtute*, nempe fortes robore: Apostolus 1. Cor. XIII. habeat: *Si linguis hominum loquar et Angelorum*. Et Christus dicat Matth. XXIV. *Mittendos Angelos cum tuba et voce magna*: quæ absque ore et corpore præstari non possent: Hæc, inquam, omnia facile de virtute explicantur ac de operationibus, quæ membrorum ope non exercentur; sed modo spiritualibus substantiis proprio, quibus eam Deus virtutem impertitus est, quæ sit necessaria *ad faciendum verbum ejus*, sive ad ejus peragenda mandata. Si verò Angeli in humana specie apparuerunt, et manducare ac bibere visi sunt, non inde sequitur aut corpore fuisse instructos, aut mentitos esse. Cum enim sint invisibiles, in specie aliqua assumpta apparere debuerant, et comedere non verè sed apparenter, quod homines facile intelligunt, et Angeli ea de re commo-

nefaciunt; ut Angelus Tobiam Cap. XII. *Videbar vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Quæ mendacia dici nequeunt, tum quia intelligibilia sub figuris sensibilibus describuntur: tum quia non ad homines decipiendos hæc facta sunt, sed ut iis officia præstarentur. Hac tamen difficultate adversarii ipsi premuntur, qui non humana sed ætherea corpora Angelis tribuunt, et inconspicua.

CCXL. Quæ opponi solent de dæmonibus, qui rebus sensibilibus aut delectantur, aut coërcentur, ut de dæmonio narratur Tobiæ VI. felle piscis expulso, aut 1. Reg. XVI. de spiritu malo Saulis, qui citharæ sono compescebatur, aut de dæmonibus igne excruciandis. Respondetur: ea non propria vi in dæmones agere; sed virtute illis a Deo data. Quod autem dæmones delectarentur sacrificiis, carminibus, suffitis; ajebat Augustinus, his allici non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis; eo quod hæc exhibeantur in signum divini honoris, quo hi superbi spiritus cupidi sunt. Quomodo verò igne torqueri possint, non una est responsio; at sufficiat cum Augustino respondisse: *Quamvis miris, veris tamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Demum Barbeyracius in Tract. *de Morali Patrum* gravem ob hoc in eos accusationem intentat, 1. Quod naturam spiritualem non agnoverint. 2. Quod crassum errorem de Angelis aëreo corpusculo indutis adoptaverint. 3. Quod hinc sint suspecti Traditionis testes habendi: Quæ intemperans criticus ex suis præjudiciis eruebat. Nam quantum ad 1. Substantias spirituales non agnovisse

mera calumnia est: nam saltem puram Dei spiritualitatem propugnasse supra demonstravimus (N. XLVI. XLVIII.). Ad 2. Si nonnulli Patres eam opinionem adoptarunt, non propterea sunt erroris insimulandi, cum pura Angelorum spiritualitas inter fidei dogmata non recenseatur, nec ex Scripturis clarè demonstretur. Quare (ad 3.) cum hæc doctrina ad fidei depositum non pertineat, mirum videri non debet, si Patres divisi se produnt aut dubitantes. Angelos interim puros esse spiritus, major numerus patrum testatur.

CAPUT V.

DE NONNULLIS ANGELORUM PROPRIETATIBUS.

CCXLI. Plura de Angelis quæruntur, quorum breviter quædam expediemus. Et 1. inquiritur, quomodo sint in loco, et qua ratione de uno loco moveantur in alium? Cui communiter satisfit cum S. Thoma 1. p. q. 52. ubi ait — Diversimode esse in loco convenit corpori, et Angelo, et Deo: nam corpus est in loco circumscriptivè, quia commensuratur loco; Angelus autem non circumscriptivè, cum non commensuretur loco, sed definitivè, quia ita est in uno loco, ut non sit in alio: Deus autem neque circumscriptivè neque definitivè, quia est ubique —. Quantum ad facultatem locomotivam; videtur, Angelos non posse de uno in alium locum transferri nisi transeundo per medium: Qui motus sive continuus ille sit, sive non, successivus sit oportet: ut Angelus etsi rapidissimè, non possit tamen transferri in instanti.

CCXLII. Quæritur 2.° de Angelorum immortalitate. Atque juxta catholicam fidem nemo dubitare potest, angelos sive bonos sive malos semper duraturos; dicente Christo Lucæ XX. 36. de justis: *Neque enim ultra mori poterunt, æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei*. Disputari tamen solet, utrum natura sua, an vero Dei dono immortales sint. Hoc secundum placuerat Platoni, cujus sententiam secuti sunt, quotquot putaverunt, Angelos ex spiritu et corpore tenuissimo compactos. Plutarchus opinabatur, dæmones etiam mori, atque hinc explicabat oraculorum defectum. Sed Angelos naturæ viribus non posse dissolvi, sed esse suapte natura immortales, et non tantùm per gratiam, concors sententia est. Nam cum ait Apostolus 1. ad Tim. 6. *Qui solus habet immortalitatem*; loquitur de immutabilitate, quæ propriè soli Deo convenit. Præterea Deus non voluntate alterius sed a seipso et ex suapta essentia immortalitatem habet; quod non convenit creatis rebus, neque Angelis, qui etiam et in intellectu et in voluntate ac in accidentibus mutabiles sunt. Quod si Angeli indigent manu Dei conservatrice, non id est, quod in eis sit aliquod corruptionis principium; sed quia illorum existentia a Deo pendet sicut a causa, cujus subtracta conservatione redigerentur in nihilum. Sed et plures Patres cum ajunt, solum Deum præ Angelis esse immortalem: vel intelligunt perfectam immutabilitatem, quam Angeli per gratiam consecuti sunt: vel quod non habeant immortalitatem jure suo, et independenter a benefica Dei manu; ut ex contextu liquet. Cum itaque dicuntur immortales, tales dicuntur respectu re-

rum sensibilium et corporearum ; quia cum Angeli ac spiritus sint substantiæ simplices , nullum in se dissolutionis principium habent.

CCXLIII. Quæri 3.° solet de cognitione Angelorum qui cum sint substantiæ cogitantes , sequitur , eos esse præditos intellectu voluntate ac libertate. Non dubium etiam , quin illorum scientia magna sit , si cum scientia nostra comparetur : finita tamen est ac limitata, ut potuerit errori esse obnoxia. Non tamen partim intellectualis partim sensibilis est illorum cognitio , sed tota intellectualis est ; nec objecta cognoscunt in propria sua essentia , quod solius Dei proprium est. Angeli sancti tum in Verbo divino res vident prout ipsis manifestantur, tum in seipsis per facultatem ipsis a Deo inditam : prior matutina dicitur ; vespertina posterior, qua sola pollent angeli mali, qui propria culpa beatifica visione orbantur. Exploratum autem est , futura contingentia et libera , nisi eis Deus manifestaverit , Angelos certò prævidere non posse , licet confusè et generatim ea conjicere possint tanquam mentes sapientissimæ. Ea enim futura cognoscere proprietas est solius Dei , ut Scripturæ apertè testantur , et ratio ipsa suadet. Quare hæc veritas inter fidei dogmata recensetur. Cum igitur Angeli sancti similia quædam prænuntiant , Deo ipsis detegente ac mandante id faciunt : cum verò id facere dæmones audent vel ea dicunt quæ procul geruntur , vel id sola conjectura faciunt ; unde fit ut sæpe mentiantur, aut ambigua proferant, ut in oraculis edendis contingebat: vel nonnulla potuerunt casu evenire. Opponunt quidam , veterem esse opinionem ; Animum quandam habere

divinandi vim, quæ præcipue in moribundis apparet; quod potiori jure de Angelis dicendum sit. Hæc erat platonicorum opinio, quæ omni tamen caret fundamento; sed quæ afferuntur exempla, quarum quædam refert etiam S. Gregorius L. 4. Moral. vel casu evenere, vel Deum habuere auctorem. Hinc sequitur, vanas esse astrologorum, Genethliacorum, aliorumque impostorum divinationes, qui ab Ecclesia pluries damnati sunt. Eadem dicenda de internis hominum cogitationibus, quæ, nisi Deo volente, cognosci ab Angelis nequeunt; quæ si aliquando cognoscantur, id per externa aliqua signa et effectus contingit. Revera mentium secreta solo Deo nota esse Scripturæ sæpe testantur; cujus rei S. Thomas hanc rationem reddit, quod nempe voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet; unde quæ ab ea dependent, ipsi soli nota sint oportet. Hinc ipsi Angeli et Beati in cælis non nisi volentes internas cogitationes sibi invicem manifestant. Denique poterit dæmon homines tentare organa movendo sensoria; at cogitationes interius in animam immittere nunquam poterit.

CCXLIV. Disputatur tandem de locutione Angelorum; quæ definitur, mentis conceptus ad alium ordinatus. Non dubium, quin suas cogitationes sibi invicem Angeli manifestare possint. Hinc Isajæ VI. legitur —Duo Seraphim clamabant alter ad alterum— Et Zachariæ 2.° inducuntur Angeli inter se loquentes. Quare Apostolus 1. Cor. XIII. *Si linguis hominum loquar et Angelorum*. Non est autem necesse, ut Angeli invicem ad se accedant, ut colloquantur; nam actio intellectualis Angeli, ait S. Thomas, abstracta

est a loco: Hinc Angeli et Sancti preces nostras e Cælo audire possunt; ut Abraham a longè epulonem audiebat, Lucæ XVI. Item Angeli inter se colloqui possunt, aliis non audientibus: liberum ipsis est enim conceptum suum ad unum potius quam ad alterum ordinare. Licet autem modus, quo inter se Angeli colloquuntur, inter ignota sit referendus, tamen S. Thomas illum explicat per voluntariam manifestationem proprii conceptus ad alium ordinatam. At inepti sunt, qui hanc locutionem nostræ similem arbitrantur; nisi cum Deo jubente faciunt id in corpore assumpto.

CAPUT VI.

DE LAPSU PLURIUM ANGELORUM.

CCXLV. Si est incertum de tempore quo Angeli creati sunt (N. CCXXXVII.); res non minus est incerta de loco, de quo nihil fide sancitum habemus. Quæ habentur Isajæ XIV. literali sensu de rege Babylonis dicta sunt; et quæ Ezechielis C. XXVIII. dicuntur, de rege Tyri pronuntiantur; eaque metaphoricè tantùm de diabolo interpretantur Patres, quò significetur ob peccatum a sublimi statu fuisse dejectum. Quod autem refertur Lucæ X. dictum a Christo: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem:* Patres de potestate interpretantur qua abutebatur diabolus ante Christi redemptionem. Ex textu verò Apocalypsis C. XII. *Factum est prælium magnum in cælo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone etc.* non demonstratur in Cælo Empyreo

Angelos conditos fuisse, ut quidam opinantur; sed visio ostenditur a Joanne habita in spatiis cælorum. Sed ubicumque creati sint, boni certè omnes creati fuere; atque abominandi sunt Manichæi, qui diabolum a principio quodam malo et malæ naturæ creatum blasphemabant: et Priscillianistæ, qui diabolum nunquam bonum fuisse nec a Deo conditum volebant; quos propterea Patres omnes execrati sunt. Diabolum enim peccato suo malum evasisse docet Christus Dominus Joan. VIII. 44. cum ait: *Ille in veritate non stetit*. S. autem Petrus 2. Epist. c. 2. tradit: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Meritò itaque recensiti errores in Lateranensi OEcumenica Synodo proscripti sunt. Sententia verò communis est, non statim a creatione diabolum cum spiritibus rebellibus fuisse in peccatum lapsum, sed tempus inter creationem eorundemque ruinam intercessisse, quod tamen definiri nequit.

CCXLVI. Loca Scripturarum quibus Manichæi abutebantur, hæc sunt. Jo. VIII. *Ille homicida erat ab initio*. 1. Jo. 3. *Ab initio diabolus peccat*. Ecclesiastici etiam XXXIX. Spiritus mali in vindictam creati dicuntur. Et Psal. 103. habetur: *Draco iste, quem formasti*. Quæ tamen facilia sunt explicatu. Nam locus Joannis innuit tentationem quam Diabolus protoparentibus intulit nostris: alter verò Jo. locus significat, diabolum in peccato, quod ab initio, id est, non multo post suam creationem patravit, obstinatè perseverare. Ecclesiastici locus de ventis intelligendus est, ac de procellis; dicitur enim: *Sunt spi-*

ritus qui ad vindictam creati sunt ; et paulo infra : *Ignis, grando, fames, et mors omnia hæc ad vindictam creata sunt:* Quatenus his utitur Deus ad homines puniendos. Certè antea dixerat: *Opera Domini universa bona valde*. Demum locus Psalmi, et quæ habet Job. C. XL. de Behemoth, si de diabolo intelligantur, (nam ad Literam bestias ingentes terræ et maris significant); metaphoricè de diabolo sunt accipienda. Id explicat Augustinus, quod Deus non finxerit diabolum malum, sed per suam præscientiam præparaverit, quomodo eo uteretur etiam malo. Patres verò cum asserunt, diabolum malum fuisse ab initio, latiori sensu accipiendi sunt, ut nempe significarent brevi tempore in justitia stetisse.

CCXLVII. Quærenti in quonam beatitudinis statu Angeli omnes creati sint; respondendum, duplicem beatitudinem distingui, naturalem, et supernaturalem. Prior, quæ omnem miseriam excludit, ea est, quam in creatione consecuti sunt: non verò beatitudinem consecuti sunt supernaturalem, quam tanquam præseverantiæ præmium consecuturi erant. At quantùm ad gratiam supernaturalem, cum ea pariter duplex sit, Actualis et Habitualis sive sanctificans, certum est, Actualem, quæ datur ad supernaturaliter operandum, omnibus præsto fuisse, ut in accepta justitia perseverare possent. Sed et omnes Angelos etiam malos vel in creatione, vel paulo post gratia sanctificante fuisse exornatos concors est Theologorum sententia. Præter autem hæc dona, dum Angeli adhuc erant in via, fuisse illis aliqua etiam supernaturaliter revelata, tenendum est, cum hæc fides requireretur,

ut supernaturaliter mereri possent; dicente Apostolo Hebr. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Quod si Angeli specie et perfectione intrinseca differunt, profecto inæqualem gratiæ mensuram juxta naturam eorundem recipere debuerunt. Si verò ejusdem speciei sunt, congruum videtur, ut eandem gratiam consequerentur. Utcumque sit, certum est, angelos omnes esse natura hominibus præstantiores; cum dicat Apostolus ad Hebr. 2. quod Filius Dei, humanam assumendo naturam, infra Angelos seipsum dejecerit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Præstant autem tum simplicitate spiritualis naturæ; tum intelligendi vi, et potentia agendi.

CCXLVIII. Ex innumerabili verò illa Angelorum multitudine tot donis locupletata, aliquos contra conditorem suum rebellione peccasse, Scripturæ sæpe testantur. Præter enim nonnulla loca adducta, etiam S. Judas in sua Epistola inquit: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*. At quodnam fuerit illorum peccatum, non una antiquitus sententia ferebatur. Nonnulli enim libidine peccasse censuerunt, quod putaverint Angelos fuisse corporeo velo indutos, et locum Geneseos VI. *Videntes filii Dei filias hominum*, de ipsis Angelis intellexerint. Quod nullo nititur fundamento. Cum itaque in Scripturis legamus (Sap. 2.): *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum:* Et Ecclesiastici X. dicatur: *Initium omnis peccati superbia est*; ut propterea hoc peccatum diabolicum appelletur; hinc cum SS. Augustino et Thoma commu-

niter concluditur, diabolum et ejus satellites superbia peccasse. Non omnes tamen æque peccasse tenendum est; Satanam enim sive Luciferum qui primus peccavit et multos seduxit, gravius peccavisse, ambigi nequit: qui Matth. XII. *Beelzebub princeps dæmoniorum*, vocatur: et Apocalipsis XII. dicitur, *draco magnus, serpens antiquus et Satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt*. Censendum præterea est cum Patribus, rebelles Angelos per gratiam supernaturalem ad pœnitentiam invitatos fuisse: id enim maximè Dei decebat misericordiam, qui omnium vult suarum creaturarum salutem. Verisimile etiam videtur, bonos Angelos suasisse malis, ut resipiscerent; quod prælium designare videtur inter Michaëlem Archangelum ejusque Angelos et draconem cum suis, ut refertur Apocalypsis XII. Qua de re ajebat Cyrillus Hierosolym. Catech. 2. Myst. *Nescimus quanta Deus angelis condonaverit: indulget enim et illis*. At ignoramus, an quispiam illorum resipuerit; imo vulgata opinio est, neminem illorum rebellium ad saniorem mentem rediisse.

CAPUT VII.

DE BONORUM ANGELORUM ORDINIBUS ATQUE OFFICIIS.

CCXLIX. Angeli sancti, inquit S. Augustinus de Corr. et Gr. c. XI. cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus mansionis debitam mercedem recipere merue-

runt = qui divinis mandatis obsequentes cælestem gloriam sunt consecuti, dicente Domino in Evangelio: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris.* Maximam verò esse Angelorum multitudinem dubitare non licet, id testante Daniele C. VII. Sed et Joannes in Apoc. C. V. ait: *Et erat numerus eorum millia millium;* id est innumerabilis. In ordines autem esse distributos ex pluribus constat Scripturarum locis, ubi sæpe recensentur Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, atque Seraphim. Sed post recensitos hos novem Choros subdit Chrysostomus Hom. IV. de Incompr. *Non soli isti sunt cætus in Cælis, verum infinitæ gentes, et nationes ineffabiles, quas nulla explicare potest oratio.* Quod confirmabat ex illo Apostoli ad Eph. I. *Super omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo sed etiam in futuro.* Perversè itaque Erasmus, Beza, et alii hanc ordinum distinctionem uti commentitiam explodere contendunt, quam Ecclesia universim agnoscit. Quænam tamen sint horum Ordinum munia non satis constat. At hîc rejicienda videtur Origenis opinio, qui Angelos omnes æquales fuisse creatos censet, eorumque discrimen ex meritis tantùm esse ortum; nam probabilius est diversæ perfectionis et capacitatis primitus creatos esse, ut cum S. Thoma consentiunt omnes.

CCL. Ad Angelorum officia quod attinet, præcipuum illorum munus esse, Throno Dei assistere, Majestatem celebrare, frequenter Scripturæ docent,

ut Danielis VII. Isajæ VI. Apocalypsis IV. et VII. Quod non impedit, quominus ad aliqua officia in terras mittantur peragenda; ut habet Apost. ad Hebr. I. *Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Quare inter hæc ministeria nullum frequentius apud Patres juxta Scripturas commemoratur quàm hominum custodia; quam Calvinus primus impugnare visus est postquam illam asseruerat. Nam in Psal. XC. impurè ajebat = hoc figmentum astu diaboli invectum ut fiducia in Christum mediatorem minueretur =, quasi hæc Angelorum custodia singulare ipsius Salvatoris beneficium non sit. Eam itaque generatim sumptam fide divina esse credendam præstat ostendere. Et quidem quantum attinet ad homines simul sumptos eorum curam esse a Deo Angelis demandatam jam vidimus ex Apostolo, tum liquet ex Josue C. V. ex Apocalypsi, Ezechiele, Zacharia etc. sed præcipuè clarum est illud Psalmi XC. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. De Patrum concordia hac in re non est ambigendum.

CCLI. Sed quæstio exoritur, An singulis hominibus singuli sint assignati Angeli Custodes, quod nonnulli cum Calvino audacter negant. Hæc tamen destinatio tot Scripturarum exemplis, totque Patrum testimoniis roboratur, ut in dubium nequeat revocari. Nam Genesis XVI. legimus, Agar suum Angelum habuisse, qui ei consilium dedit, *ut sub manu Saræ dominæ suæ humiliaretur*. Ib. C. XXXI. Angelus quoque Jacobi custos memoratur. Judith C. XIII. Angelum memorat se custodientem. Actorum XII. mentio fit

Angeli, qui S. Petri curam gerebat. Sed ut plura prætermittamus insignis est locus Matth. XVIII. ubi Dominus de parvulis ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Hinc manifestum est*, ajebat Chrysostomus in hunc locum, *quia omnes Sancti Angelos habent*. Hieronymus autem absque exceptione ulla in hunc locum habet: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum*. In illud autem Ecclesiastis C. V. *Neque dicas coram Angelo, non est providentia*: scribit: *Non enim in ventum dicta transeunt, sed a præsente Angelo, qui unicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum*. Idem cæteri Patres frequenter confirmant Origenes, Gregorius Thaumaturgus, Methodius, Eusebius, Basilius etc. Ubi itaque de justis, et etiam de omnibus fidelibus agitur, eorum singulis Angelos esse tutelares concessos, adeo concors est SS. PP. ac Theologorum consensus, ut saltem sine temeritate id inficiari nemo possit. Non ita res certa est de infidelibus. Origenes Hom. VI. in Matth. refert, suo tempore duplicem viguisse ea de re sententiam: alii dicebant, Unicuique homini a die nativitatis Angelum adesse Custodem: Alii dumtaxat post susceptum baptisma. S. Thomas priorem sententiam laudat, ut etiam Patres quamplures, ac Theologi quoque universi.

CCLII. Qui Angelos sui Custodes respuunt, non pauca in contrarium congerunt aut falsa aut inepta. Nam hinc sequi ajunt 1. Angelos esse hominibus, quibus inserviunt, inferiores. 2. Dum in terris degunt, visione beatifica orbari. 3. Tristari debere, aut lætari

de adversis aut de prosperis hominum: quæ absurda sint. Nil tamen horum sequitur. Ad 1. enim: Dum nos custodiunt, non nobis, at verò Deo seu propter Deum inserviunt: sicut opilio non ovibus quas custodit, sed hæro inservit, cujus sunt oves. Ad 2. Dum erga homines sunt occupati nunquam a beata visione avertuntur, cum Deus ubique sit; hinc de iis affimat Christus, quod semper vident faciem Patris. Imo nec gloria accidentali destituuntur, quæ potius augetur: unde Lucæ XV. ait Dominus: *Gaudium erit in cælo coram Angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente*. Ad 3. Nec illud sequitur absurdum. Tristitia est enim de iis quæ contra voluntatem contingunt: At eorum voluntas semper inhæret ordini divinæ justitiæ; quare si peccata et pœnas hominum absoluté loquendo nolunt, et quantum est in ipsis avertunt: volunt tamen ut circa hoc divinæ justitiæ ordo servetur. Hinc Angelis ea mala imputari non possunt, sed malitiæ hominum, qui ut lumini naturali, et divinæ gratiæ, ita et Angelorum operæ et illuminationi præfractè resistunt. Vid. S. Th. 1. p. q. CXIII. Quod verò ajunt, hanc Angelorum tutelam supervacaneam videri, cum Deus ipse nos custodiat: Respondemus, Deum custodire homines immediatè per se, mediatè per Angelos; ut Ecclesiam suam per se regit, et etiam mediate per suos pastores; cujus divinæ œconomiæ et providentiæ altissimæ rationes suæ non desunt. Sed cur, inquiunt, hac non obstante custodia homines innumeris premuntur calamitatibus? Quæ difficultas nimis probaret; nam faceret etiam contra Dei providentiam. Mala ergo quæ Deus ob sua inscrutabilia judicia sinit,

sinunt etiam Angeli; qui tamen juxta divinam voluntatem a multis nos eximunt malis, ut profitebatur Patriarcha Jacob Gen. XLVIII. *Angelus qui eruit me de cunctis malis*. Nec quidquam officit, quod nequeant Angeli cordium secreta inspicere: Nam si id nequeunt propria virtute, possunt certè ex divina revelatione, qua norunt, quæ scire eos oportet.

CCLIII. Justis tantùm Angelorum custodiam dari volunt alii, ex quo improbi derelicti dicantur. At quamquam non ita sit exploratum, Angelos improbis et infidelibus adstare; quæ de justis dicuntur de speciali cura accipienda sunt. Hæc enim custodia non ordinem supernaturalem tantùm respicit, sed naturalem quoque, cui et in pluribus utilis est; potissimum cum et hi non omni divino auxilio destituantur, et sicut peccatores ad pœnitentiam, ita ad fidem infideles venire possunt, ut alibi dictum est. At, inquiunt, nonne unus Angelus multos custodire potest, ut constat Angelos præesse regnis et urbibus? Sed respondetur, plura esse occulta quæ ad singulorum salutem pertinent, et non ad totam societatem, quare in Scripturis Angeli memorantur ad particulares personas deputati, et alii ad provincias et regna. Hinc Exodi XVI. sermo est de Angelo qui præcedebat castra Israel, et Angeli Regni Persarum et Macedoniæ memorantur. Demum dicendum non est, hanc sententiam ex ethnica superstitione dimanasse: Nam in divinis Oraculis ea manifestè expressa habetur. Quin affirmandum potius ex antiquis traditionibus hanc invaluisse apud ethnicos de geniis tutelaribus doctrinam, quæ postea, ut alia multa, fabulis depravata sit: ut fabula

fuit Titanum qui cælum conscendere voluerint, fulmine a Jove propterea icti, et in tartarum detrusi, ex doctrina desumpta de Angelorum lapsu. Quare hinc Scripturarum dogmata egregie confirmantur a doctis viris Petavio, Huetio, et aliis. Ea de re en Hesiodi versus notatu digni Lib. 1. Op. et dier. qui latinè ita sonant

Hi quidem dæmones sunt Jovis magni consilio,
Boni, in terris versantes, custódes mortalium hominum.
Qui quidem observant judicia, et prava opera,
Aere amicti, passim euntes per terram,
Opum datores: atque hoc munus regale consecuti sunt.

Notandum hic videtur, quosdam putasse, non modo hominibus, sed et bestiis, plantis, cæterisque rebus suos fuisse Angelos deputatos, quos Hieronymus revincebat. Hermas quoque L. 1. *Pastoris* scribit: *Misit Dominus angelum suum qui est super bestias, cui nomen Hegrin*. Eadem fuit Platonicorum sententia, quam nonnulli recentiores renovare conati sunt; ut inde pateat, quidlibet hominibus potius libuisse, quàm quod ipsamet Veritas docet.

CAPUT VIII.

DE ANGELIS MALIS.

CCLIV. Postquam rebelles angeli spatio ad pœnitendum relicto abusi sunt, et in apostasia obstinati perstitere; cum ad terminum viæ suæ pervenissent, omni

gratia supernaturali orbati, et a suo principatu expulsi, fuerunt supplicio addicti, et in Scripturis dæmones appellati; quæ aliquem eorum principem pluribus etiam in locis exhibent. Ex eo autem Apostoli loco ad Rom. VIII. *Certus sum, quia .... neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes .. neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei*: Datur intelligi, non omnes ex uno ordine desertores angelos fuisse. Hi præter gratiæ amissionem, pœnam consecuti sunt aliam, qua destituti sunt potestate ad beatitudinem pertingendi ad quam ordinati erant; et etiamsi naturalia dona eis non sint ablata, fuit tamen eorum intellectus obtenebratus, et ob gratiæ subtractionem voluntas in malo obdurata. Est igitur explodenda erronea Origenis opinio, qui voluntatem dæmonum in bonum flecti posse autumabat. Pœna altera est ignis eis præparatus; quam pœnam veteres non pauci nondum eis inflictam putabant. Communis tamen sententia est, postquam e suo gradu fuere dejecti, illicò supplicium ignis inferni incurrisse, ut modo damnati homines incurrunt. Idque suadetur testimoniis Apostolorum Petri et Judæ supra relatis (N. CCXLV. et CCXLVIII.) Patres verò aliter sentientes videntur intelligendi de pœna quadam secundaria quam patientur post extremum Judicium ob ignominiam et confusionem cui subjecti fient cum a sanctis judicabuntur, sicut ait Apostolus: *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* Quando et eorum nequitia fiet omnibus manifesta, nec amplius cuiquam nocere poterunt. Quomodo verò dæmones possint corporeo igne torqueri, respondet Augustinus, *id fieri miris sed veris modis.* S. Thomas 4. c. gen. c. 70.

ait, quod patiuntur per modum alligationis cujusdam, cum hoc sit eis in afflictionem, quod sciunt, rebus infimis in pœnam esse alligatos. Subdit etiam. nihil prohibere, quominus hæc spiritualiter et metaphorice intelligantur, ut est vermis, fletus, et stridor dentium. Nam quamvis communior sit sententia de corporeo igne, nulla tamen de hac adest dogmatica Ecclesiæ definitio.

CCLV. Molestior quæstio movetur de loco in quo dæmones modo versentur. Ait quidem S. Petrus, in *tartarum traditos fuisse cruciandos*: at quid veniat eo nomine non satis constat. In Apocalypsi C. XII. dicitur: *diabolus projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt*. Job. C. I. habetur, Satanam circuivisse universam terram: alibi vocatur princeps hujus mundi, et aëris hujus: Apostolus ad Eph. VI. memorat *spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, hoc est juxta Hieron. in hoc nostro aëre. Quamvis ergo sit infernus locus eis præparatus, et ut plurimum ibi detineantur, non dubium, quin etiam super terram non rarò morentur. At non inde sequitur, minimè gehennæ incendio torqueri, cui, dum in hoc aëre caliginoso degunt, se noverunt esse alligatos. Chrysostomus existimabat, sanctis etiam Angelis hunc aërem plenum esse. Sed jam vidimus, quidnam isti in hoc mundo operentur, quibus nonnulli munus etiam attribuunt motum astrorum dirigendi. Quid autem dæmones in terris agunt? Falsi sapientes ut nos a timore dæmonum liberarent, aut illorum existentiam, aut saltem operationes denegarunt: At nos scimus ab eorum insidiis gratia Salvatoris liberos evasisse. Illustria qui-

dem insidiarum eorundem exempla Scripturæ suppeditant, ut seductio Evæ, Job calamitates, et Christi ipsius tentatio. Exemplum tentationis internæ habemus in infelicissimo Juda de quo Joan. C. XIII. *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas:* sive ut clarius græcus habet : *diabolo jaculato jam in cor Judæ* etc. Actorum etiam C. V. ajebat S. Petrus Ananiæ: *Cur tentavit satanas cor tuum?* Historia vero Ecclesiastica innumera horum refert exempla. Inquirenti autem cur Deus permittat dæmonibus ita homines divexare; respondet S. Ambrosius L. 6. in Lucam: *Ut boni probentur, improbi puniantur*. Interim *fidelis Deus est*, ait Apost. 1. Cor. X. *qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis*. Et S. Petrus monet: *Adversarius vester diabolus .... circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Hinc et Angeli sancti in nostri custodiam missi sunt, quibus præceptum est, ut a dæmonum infestationibus liberent: Sed et scimus, dæmonem latrare posse, sed mordere non posse nisi volentes: quare S. Jacobus Ap. hortatur: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.*

CCLVI. Cur ergo, inquiunt nonnulli, dictum est a Christo Jo. XII. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras:* et Apocalyp: XX. instruimur, diabolum esse ligatum, ut amplius nocere non possit? Ea nempe significant, dæmonum potestatem valde esse imminutam, ut nemini auxilio Christi implorato nocere queant. = Verum est, inquit Aug. multum prævalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur: Alligatus est enim tanquam in-

nexus canis catenis, et neminem potest mordere nisi eum, qui se ad illum ultro mortifera securitate conjunxerit = Repudianda est itaque quorundam opinio ajentium, singulis hominibus præter Angelos tutelares esse dæmones singulos, ut tententur, deputatos. Absurda quippe opinio, etiam si dicatur, eos a principe dæmoniorum destinari. Pauci id opinati sunt, qui et æquam interpretationem pati possunt. Abjicienda ergo illa Hermæ assertio = duos esse genios cum homine, unum æquitatis, et unum iniquitatis = tum illa Tertulliani: = nullum pene hominem carere dæmonio = Quod adversatur S. Jacobo dicenti: *Resistite diabolo et fugiet a vobis*.

CCLVII. Modo est de possessis a dæmone inquirendum. Est autem possessio non solum externa sed et interna occupatio: obsessio verò, cum quis occupatur tantùm externè: *energumenus* autem dicitur *intus agitatus* scilicet a spiritu malo. Hæc diabolica operatio, cum sit sensibilis et omnibus manifesta, deque ea veteres pertractaverint, et argumenta deduxerint ad cælestem Religionis originem ostendendam, peculiarem expostulat attentionem, potissimum cum hodierni novatores contra obsessionem hanc, qua revincuntur, difficultates confingere non modicas nisi sint. Sed 1.° posse dæmones, Deo permittente, hominum corpora obsidere, nemo negaverit: Nam mentes vi esse præditas movendi corpora ex intima evidentia certi sumus, etiamsi ignoremus, qua ratione id fiat; potiori itaque jure id valebunt dæmones, qui sunt humanis mentibus præstantiores. Nec id dedecet Dei bonitatem, qui id permittit, vel ut homines puniantur et resipiscant,

vel ut boni probentur et ad ipsum confugiant, vel etiam ut inde homines discant quanta sit illius benignitas quæ a dæmonum infestationibus et furore nos protegit. Alii quoque esse queunt fines altissimi providentiæ divinæ, ut nempe Dei potentia et divinitas Christi Domini ostenderetur in cujus nomine ejiciuntur, nec non ut materialistæ confunderentur, qui spirituales substantias inficiari audent. Pueriles sunt igitur difficultates a nostra ignorantia petitæ: Quomodo nempe hi spiritus grandia etiam corpora movere ac transferre possint; ex factis enim constat id posse, ac propterea ea virtute esse instructos, qua tamen non uti queunt, nisi quantum eis a Deo permittitur. Non tamen inde sequitur, dæmoniacum duabus animabus esse instructum, ut Manichæi delirabant. Una est enim anima hominis naturalis, quæ illius personam constituit, et quæ est semper in suis actibus libera: Dæmon autem est principium motus accidentale et extrinsecum in obsesso aut possesso, nec animatum corpus constituit, sed externè illud agitat et affligit. Cur ergo, ajunt, etiam infantes eo modo correpti dicuntur? Cur non potius dicendi naturali aliquo morbo laborare? Respondetur, dici id non posse, cum effectus naturales excedant cujuscumque morbi vires. Cur autem Deus eos ita affligi permittat licet innocentes: responderi posset, eadem ratione qua eos morbis non raro diris conflictari sinit. Eo itaque in casu cum Hieronymo Ep. ad Paulam super obitu Blesillæ exclamare licet: *O profundum divitiarum Sapientiæ Dei!... Bonus est Deus, et omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est*. Responderi etiam posset, quod res-

pondit Dominus discipulis circa hominem cæcum a nativitate: *Neque hic peccavit, nec parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo* (Joan. IX.).

CCLVIII. Sed ex Sacris Literis nec non ex probatis auctoribus evincitur, revera plures a dæmone possessos extitisse. Præter enim quæ in Veteri Testamento de Saule narrantur, et in Historia Tobiæ; id ex Evangelio et ex Christi doctrina apertè ostenditur, qui Matth. XII. et Lucæ XI. plura de hac re docet, atque ait: *Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei*. Et Lucæ IV. legitur: *Exibant autem dæmonia a multis clamantia et dicentia quia tu es filius Dei*. Hæc autem de morbis naturalibus explicare velle, prorsus desipere est. Imo Marci IX. legitur Christum præcepisse spiritui immundo, ut exiret. Et Matth. XVII. spiritus rogabant Jesum, ne præciperet eis ut in abyssum irent; et alia similia habentur, quæ nullo modo de sanationibus ægrotorum intelligi possunt. Quid enim ineptius fingi posset, quam metaphorice explicare, morbum Christum alloqui, eumque deprecari? Licet ergo hæc potestas admodum dæmonibus imminuta sit per Christum Dominum, ut nisi ex speciali permissione nil amplius moliri queant; aliquando id tamen concedi, constat ex auctoritate quam discipulis Christus reliquit Marci XVI. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Quod frequenter contigisse legimus præsertim in Actis Apostolicis, ut fide catholica credendum sit, possessos a dæmone revera datos fuisse, et in Jesu Christi nomine liberatos. Non interim inficiamur, non raro contigisse ut similes obsessiones confingerentur, sed omnes etiam

in præsenti tempore pro imposturis traducere, id quidem esset turpissime judicio abuti, et gravem Evangelio et Ecclesiæ injuriam irrogare. Tertullianus olim in Apolog. C. XXIII. ita fidenter ethnicos provocabat: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet Christiano spiritus ille, tam se dæmonem esse confitebitur de vero, quam alibi deum de falso*. Libro autem de Spect. c. 26. refert, mulierem quandam adiisse spectaculum, et inde cum dæmone rediisse; qua de re increpatus dæmon respondit = jure id feci, in meo enim eam inveni =.

CCLIX. Opponunt veritatis impugnatores, has infestationes contingere, ubi major est hominum ignorantia et superstitio, aut ubi celebriores sunt Exorcistæ; quod deceptionis argumentum sit. At hoc valeret objectum, si omnia, quæ de energumenis narrantur, defendere vellemus: sed nulla fraus suspicanda est in energumenis; quos Salvator et ejus discipuli liberarunt. Plures etiam liberationes referunt Ecclesiæ monumenta, quas, nisi rejectis sanioris criticæ regulis, inficiari nequimus; præsertim cum constet, hanc potestatem Christum suæ Ecclesiæ dedisse. Nec reponatur, si ficti dentur dæmoniaci, non posse veros a dolosis distingui; dantur enim signa indubia veræ obsessionis, quorum nonnulla recenset Rituale Romanum, ubi admonentur Exorcistæ, ne aliquem a dæmonio obsessum facile credant, cujus hæ notæ ponuntur, scilicet = ignota lingua loqui pluribus verbis, vel intelligere loquentem: distantia et occulta patefacere: vires supra ætatis aut conditionis naturam

ostendere, et alià id genus = Quæ sola morbi vi, ut quidam venditant, fieri posse, omnino negandum. Quod verò exorcismis effectus non semper respondeat non obsessionis falsitati tribuendum est, sed potius dispositionis defectui in energumenis aut in exorcistis, aut etiam incredulitati adstantium, ut contigit in eo, quem Matth. XVII. discipuli liberare nequiverunt; ut sedulo recolendum sit quod ajebat tunc Dominus: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio*.

CCLX. Quid tandem de magia sentiendum? Ea de re nonnulli ad extrema delapsi sunt. Hæc controversia elapso sæculo celebris evasit. Nonnulli usque ad Salvatoris redemptionem magiam viguisse concedebant; postea vero illius virtute abolitam eam volebant: ita sentiebant Scipio Maffejus, et Ant. Florius; qui displicuerunt non iis solum qui veteri traditioni adhærebant, sed et iis qui magiam prorsus volebant eliminatam. Alii, ut Hier. Tartarottus, magiam et olim extitisse, et adhuc extare docebant, ac tantùm negabant, quæ de lamiarum, sive sagarum, et maleficorum cum dæmone congressibus vulgò circumferuntur. Alii demum fuere, qui spreta universali gentium traditione, magiam omnem inter fabellas amandandam audacter pronuntiabant, inter quos Christianus Thomasius, qui ob hoc, et ob materialismi suspicionem etiam apud suos protestantes motus magnos excitavit. Alii etiam ut de Cauz, et a Reiggier magiam prorsus commentitiam esse, ostendere conati sunt. Hæc autem ea de re observat S. Thomas in IV. Sent. Dist. 34. inquiens: Quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in

mundo, nisi in æstimatione hominum ... Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, quia non credunt esse dæmones, nisi in æstimatione vulgi tantùm... Hæc vera fides repudiat, per quam angelos de cælo cecidisse et dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus; et ideo illi, qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur =.

CCLXI. Cum autem magia multiplici sensu usurpari possit eam hîc definimus= pactum aliquod vel expressum, vel implicitum cum dæmone ictum ad aliquid ejus ope consequendum = Pactum sumitur hîc latiori sensu pro quocumque promisso, ut sit quasi pactum; nec enim homo potest dæmonem cogere, nec dæmon hominem ne resipiscat. Expressum pactum exigit colloquium cum dæmone vel reipsa, vel saltem per imaginationem, ut si quis illusus pacisci putaret: ad implicitum autem sufficit, si quædam ponantur signa aut facta ex quibus expectetur ope dæmonis aliqnid eventurum. Non hæc sunt scholasticorum commenta; nam et Augustinus L. 2. de Doctrina Christ. c. 20. memorat pacta cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium =. Consulatur et S. Thomas 2. 2. q. 122. Certè impossibile non est, ad pactum ineundum quandoque dæmones apparere, id permittente Dei justitia, ut evenisse aliquando monumenta testantur. Id contigisse Juliano Apostatæ cui dæmonia apparuere plura a quodam mago evocata, quo visu territus Crucis signo fecerit evanescere, publica fama erat, idque affirmant Gregorius Nazianz. Orat. IV. in Jul. Theodoretus, Sozomenus aliique. Augustinus

autem L. XXI. de Civ. D. dæmones magicas artes homines docuisse censet. Jure itaque Sixtus V in celebri Constitutione = Cæli et Terræ Creator = eos damnat, qui sortilegiis et superstitionibus non sine dæmonum saltem tacita pactione dare operam non verentur; quod a Greg. XV. in Const. = Omnipotentia Dei = confirmatum est.

CCLXII. Nulla igitur repugnantia, ut Deus id permittat, quod in infidelium hominum perniciem justa punitione redundet; sicut sinit, ut tentationibus et obsessionibus dæmones iisdem insidientur. Revera Apostolus ad Eph. VI. magnam esse docet dæmonum nocendi potestatem, quos appellat *mundi rectores tenebrarum harum, et spiritualia nequitiæ*. Sed Deus permisit 1. Reg. C. XXVIII. ut ope pythonissæ Samuelis anima Sauli appareret, ut proximum ipsi excidium vaticinaretur. Præterea de magis Pharaonis vulgata res est. Imo Deus per Moysem has magicas artes graviter prohibet, ut Exodi XXII. *Maleficos non patieris vivere*. Levitici XIX. *Non declinetis ad magos, nec ad hariolos, ut aliquid sciscitemini.* Fortius etiam id prohibetur Deuter. XVIII. At cui usui iteratæ istæ prohibitiones, si nulli fuissent magi, artes magicæ nullæ? Si vanæ solum fuissent illusiones omni effectu earentes, cur de hac vanitate populus non admonebatur? Eæ igitur reapse exercebantur, easque fugiendas ut malas jubetur. In novo etiam Testamento plura occurrunt, quæ hanc impiam artem extare docent, ut cum dominus monet Matth. XXIV. *Surgent enim pseudoprophetæ et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest,*

etiam electi. Actorum VIII. sermo est de Simone mago qui *multo tempore Samaritanos magiis suis dementaverat.* Et C. XIII. profertur Elymas magus, quem Paulus vocat diaboli filium plenum omni dolo et omni fallacia, quique ad Apostoli vocem cæcus repente factus est. Perinde autem est, sive dicatur magorum opera esse meras præstigias, illusiones, et ludicras rerum imagines oculis objectas, sive esse res veras, cum utrobique diaboli artes adhibeantur; quæ propterea deceptiones, fallaciæ, phantasmata, ludibria, ludi dictæ fuerint. Multa de his a fide dignis referuntur, quæ cogimur præterire; sed omittere nequimus, apud gentiles opinionem adeo fuisse pervagatam, quod his malis artibus possent nocumenta inferri, ut id senserint ipsi vetusti romanæ Jurisprudentiæ conditores. Inter enim XII. Tabularum leges habetur: *Qui fruges excantasset, pœnas dato: neve alienam segetem pellexeris excantando: ne incantanto, ne agrum defruganto.* De quo veneficio accusatus C. Furius Cresinus, ab eo crimine, ut Plinius refert, egregiè se liberavit. Easdem opiniones lepidè Virgilius ex Theocrito expressit Ecgloga VIII. ubi venefica inter alia hæc profert suis pharmacis effici:

His ego sæpe lupum fieri, et se condere sylvis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Et antea dixerat:

Carmina vel cælo possunt deducere lunam.

Videantur Æneidum L. IV. v. 487. Theocritus, Horatius, Apulejus in Asino aureo, Tibullus L. 1. Quæ etiamsi absurda sint, nec malefici hæc suæ virtuti tribuere

possint, saltem ut id efficiant quoties ipsis collibitum fuerit; ostendunt tamen, hanc ex nihilo opinionem ortam non esse, sed facta non pauca ei causam dedisse, quam oraculorum responsa confirmarunt.

CCLXIII. Non hic eos morabimur, qui magiam esse concedunt, sed appellandam esse artem nolunt. Nam si artis nomine intelligatur scientia cogendi dæmones, nulla certe esse potest, cum nulla hominibus media suppetere queant, quibus dæmones ad opem præstandam cogantur. Si verò lato sensu artis nomine quædam intelligatur moralis connexio inter signa et media a præstigiatoribus adhibita et dæmones ex pacto quodam tacito vel expresso, ut his positis, Deo permittente dæmon præsto sit ad opem exhibendam, id negari non posset. Apud Virgilium Æneid. IV. v. 493. hoc nomen adhibetur: *Testor . . magicas invitam accingier artes:* Quanta verò sit dæmonum hæc potestas haud facile determinabitur; at certum est, in perniciem nihil valere, ut Augustinus inquit, nisi data desuper potestate: hinc apparet quam vana et impia sit magorum et sagarum præsumptio, et quanta cum Dei injuria hanc artem exercere tentent homines flagitiosissimi; qui divinæ providentiæ regulas transilire et subvertere cupiunt, et vanè ac falsò ostentant aut futura prædicere, vel in speculis quæ secretò sive remotè fiunt ostendere: aut amorem excitare vel odium: dæmones in quædam vasa includere vel immittere in homines: verbis barbaris aut signis morbos gignere: in bestiarum formas se transmutare, ad nutum volare per aëra, corpus reddere invulnerabile, thesauros invenire, procellas excitare, et alia hujus generis, quæ

fabulosa et inepta atque ut plurimum a corrupta phantasia conficta a rudi popello creduntur, et perturbationes in societate pariunt. Ex his itaque absurdis quæ passim venditantur a dolosis et impostoribus, quæque generatim approbare in animo non est, quidam occasionem sumpsere magiam omnem abnegandi, quod esset ad extremum oppositum declinare. Dicere enim, omnia conficta ad fucum faciendum fuisse, desipere plane esset; cum et ea negare quæ a tot testibus fide dignis referuntur, sit magna temeritas: et ea, quæ expressa in sacris codicibus habentur, inficiari aut ridere, non modicam impietatem sapiat. Denique circa spectra, et familiares dæmones, non consentiunt eruditi. Henricus Morus censebat, spectra isthæc esse animas defunctorum, quæ sententia fuit omnium pene ethnicorum. Videantur qui de Manibus et Lemuribus scripsere. Apulejus *de Deo Socratis* plura habet, quæ prudentem lectorem postulant. Alii probabilius dæmonibus hæc adscribunt. Quidam autem hæc omnia commentitia volunt. Sed fatendum, ea factu possibilia esse, et aliquando licet rarò admodum contigisse. At nihil divina auctoritate, aut Ecclesiæ mandato statutum habemus. Sedulò itaque cavendum, ne fabellarum deceptionibus detur locus.

CAPUT IX.

DE PRIMO HOMINE.

CCLXIV. Ad contemplationem regredimur hujus aspectabilis Universi; cumque Telluris hujus veluti

princeps ac dominus sit Homo a Deo constitutus, illius primordia, quæ respiciunt omne hominum genus, supersunt attingenda. Primi igitur hominis exordia narrans divinus Scriptor, hæc habet Gen. c. 2. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* Paradisi autem nomine hortum amœnissimum significari, notum est. Sed quæ de hoc, deque Arbore Vitæ, et aliis, quæ a Moyse narrantur, voluerunt quidam mystico esse sensu accipienda: at sensu historico et literali ea omnia intelligenda esse, gravissima suadent argumenta, ut malè audiant, et erroris redarguantur contrarium opinantes, qui inter Origenistas etiam olim recensebantur. Quare aliter modo sentire, insignis saltem esset temeritatis. Patres verò nonnulli in his quidem spiritualem quoque sensum intellexere, at literalem nulli ferme apertè impugnarunt. Cui bono, ajunt quidam, paradisum hunc adornare, in quo brevi adeo tempore homo erat commoraturus? Si penetrare in Dei consilia licet, quemadmodum immortalitate eum donaverat, qua brevi frueretur, ita paradisus et benignitatem Dei in hominem ostendebat, et quid hic peccando amiserit, in memoriam revocabat. At ubinam situs esset paradisus hic terrestris, et an modo supersit, plura disputarunt eruditi. Probabilius videtur circa Mesopotamiam plantatum fuisse, cujus locus, qui longo tempore post diluvium quidem monstrabatur, supersit adhuc, sed ejus ornatus diluvii aquis obrutus ac dissipatus sit.

CCLXV. Sed gravissima contra incredulos nobis primo occurrit controversia dirimenda, num Adam

omnium hominum parens fuerit, an verò ante ipsum alii extiterint homines. Quæstioni huic antea ferme inauditæ occasionem dedit Isaacus Peyrerius calvinista Burdigalensis edito opusculo anno 1655. cui titulus *Præadamitæ*, quo probare nititur, Adamum stipitem fuisse solius Judææ gentis, sed alios populos antiquiores habuisse progenitores, qui sint vocandi præadamitæ. Huic errori præiverant Zabæi a Maimonide memorati, qui Adami præceptorem Tambuscam nominabant. Julianus apostata et ipse affirmabat, nationes omnes ab uno oriri non potuisse. Jordanus Brunus in eundem errorem lapsus est. Videndus Bruckerus in Hist. phil. Hæc absurda hodierni increduli avide arripuere. Et quanquam Peyrerius calvinismum una cum libello suo Romæ ejuraverit, Bayle tamen aliique novatores paradoxon illud adoptare non erubuerunt. Has itaque maleficorum hominum nebulas quas splendidæ veritati catholicæ stultè offundere moliuntur, opus est propulsare, et adversus semidoctorum fallacias ostendere, omnium hominum principem ac parentem fuisse a Deo Adamum conditum et constitutum.

CCLXVI. Veritatem enim hanc tum Sacræ Literæ, tum universa humana historia docet. Et quantum ad divina Oracula ex ipso Cap. 2. Geneseos, quo Peyrerius abutebatur, Adam primum fuisse hominem constat, ubi v. 5. habetur: *Et homo non erat, qui operaretur terram*; quod verum non fuisset, si ante Adam aliæ generationes extitissent, quas ille fabulabatur capite I. creatas a Moyse narrari. Deinde eodem Cap. 2. v. 19. dicitur, Adam nomina animantibus

imposuisse: *et omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*. At si antea alii fuissent homines profecto rebus nomina imposuissent. Demum Gen. 3. dicitur Eva *mater cunctorum viventium*; nulli sunt ergo homines qui Adam et Evæ ejus uxoris filii non sint. Ineptè igitur argutabatur Peyrerius, ex quo distinctius Cap. 2. Viri et Mulieris narretur formatio, duplicis generis hominum creationem describi. Nam unam eandemque referri historiam liquet ex Cap. V. Geneseos, ubi Moyses breviter recolens quæ narraverat Capitibus primo et secundo, descripturus Adæ posteritatem subdit: *Hic est Liber generationis Adam: In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum et fœminam creavit eos, et benedixit illis et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt*. Quis non videat, utramque his verbis collectam a Moyse narrationem; ut de unius tantum hominis creatione sermo habeatur? Nec refert Evam post Adam fuisse efformatam, id enim rerum ordo poscebat, ut habet Apostolus 1. ad Tim. 2. *Adam primus formatus est, deinde Eva*, ad quod ut ad alia quæ ibi narrantur spatium unius diei abundè sufficiebat. Quare non officit, quod in plurali numero juxta hebraicum textum dicatur, *ut præsint piscibus maris*, non *præsit*, ut habet Vulgata lectio. Nam utrumque dici poterat, cum nomine Adam, quo generice homo significatur, Adam simul et Eva venirent.

CCLXVII. Sed et alia divinæ Scripturæ suppeditant testimonia, quibus præadamitarum systema penitus corruit. Nam Sap. X. de Adam legitur: Sapientia il-

lum, *qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum* , *cum solus esset creatus* , *custodivit* etc. Actorum verò XVII. 26. Apost. Paulus hæc in medio Areopagi de Deo prædicabat: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Quæ duo testimonia perspicua adeo sunt, ut nullo glossamate indigeant. Cavillabatur tamen Peyrerius, quod in Pauli auctoritate juxta græcum textum legatur: *Fecitque ex uno sanguine* etc. quasi significaverit, humanum genus ex una eadem terra sive materia propagatum esse: Quæ ludicra prorsus sunt, et ab Apostoli scopo valde aliena. Sed undenam probari posset, nomine Sanguinis, ibi intelligendam esse materiam aut naturam, et non potius progeniem vel genus, aut hominem? Id quidem communi eloquio significari solet. Verum ea vox (sanguine), quæ in Vulgata nostra non habetur, ita deest in antiquissimo codice Alexandrino, ut textui græco claritatis causa adjecta videatur. 3.° id confirmatur ex doctrina catholica de peccato originali, quod Apostolus ex uno et primo homine in omnes homines pertransiisse docet ad Rom. V. ut infra ostendetur. Ut hoc validissimum infirmaret argumentum, volebat Peyrerius, Adæ peccatum in cæteros homines transiisse per imitationem, aut per imputationem quandam, non per naturalem progeniem, quemadmodum plectuntur populi ob delicta principum, ut cum Horatius ait l. 1. Ep. 2. = Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi = Sed ut ut se res habeat de hac exceptione, quæ inferius refutabitur, ea certè non destruit Apostoli argumentum, quo ponit, ab uno protoparente eam noxam ad

omnes posteros pervenisse. Præterea dicere per imitationem peccatum illud ad posteros pertinere, pelagianorum est error; et Ecclesia definivit in Trid. Sess. V. Adæ peccatum unicuique proprium esse.

CCLXVIII. Denique Peyrerius dum ea hariolatur, non divinis tantùm Oraculis, sed et omnium gentium vetustissimæ et constantissimæ Traditioni adversatur de unica omnium gentium origine, de qua consulendus Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. C. 3. et seqq. Bochartus, et alii eruditi viri. Revera Ovidius, qui sua omnia ex Græcis hauserat, unius hominis tantùm genesim refert initio Metamorph. In Saturno primum hominem veteres agnovisse, tradit Herodianus l. 1. Hist. C. XVI. sed in Saturno necesse est aut Adami, aut Noë personam agnoscamus; quem si dixerimus Adam a paradiso voluptatis ejectum, huic optimè convenient, quæ de Saturno a Virgilio narrantur VIII. Æneid.

Primus ab ætherio venit Saturnus olympo
Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademptis.

Juxta poëtas autem in Prometheo latet Adam plasmatus de limo terræ; ejusque uxorem Pandoram fuisse Evam demonstrat Origenes Lib. cont. Celsum, et Cyrillus adversus Julianum: Ita a Pausania dicitur Pandora *γυνη πρωτη*, *mulier prima*; ac de ipsa Hesiodus *in Theogonia* inquit: *εξ ἡς γαρ γενος εστι γυναικων*: *Ex qua genus est mulierum:* additque Plutarchus: *quæ disseminavit omne malum in terras et in maria*. Nullus ergo extitit ante Adamum; et cum poëtæ Deucalionem Promethei filium statuunt, non possumus in eo Noëmum non agnoscere Adæ ne

potem. Hæc et alia plurima quæ afferri possent, Sacram Moysis historiam splendide confirmant, eaque semper stabit, et quidquid increduli contra moliantur, validius confirmabitur. Stultè igitur quidam perditi homines, et reprobi circa fidem, ut eos appellat Apostolus, ineptam quorundam ethnicorum fabulam, quam Horatius quoque fingit L. I. Satyr. 3. et Tullius refert Lib. I. de Invent. C. 2. exsuscitare nituntur, qua subdolè insinuant, quosdam populos esse autochthones, sive in iis regionibus in quibus degunt; quasi ranas aut mures procreatos, ut non ab unico protoparente progeniem ducant. Ita de Sinensibus, Ægyptiis, Americanis comminiscuntur. Verum omnes eandem præseferre originem ipsa eorundem monumenta non obscurè testantur, ut ostenderunt viri eruditi. Qui autem Sinicorum Annalium magnificant vetustatem, legant Auctores Anglos Hist. Univ. L. IV. c. 2. ubi sinensium fabulæ egregiè exploduntur: Legant quid narrent de Fo-hi, quem regem ante diluvii tempora, ut volunt, viventem corpus habuisse draconis commemorant, caput bovinum et testudinis dentes; atque hæc portenta sibi deglutiant, præter alia plura, novatores subdoli, de quibus Apostolus vaticinabatur; quod *a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Atque ita quidem contingat oportet. Sed ipsi increduli non raro veritati, ingratiis licet, suffragati sunt, ut Voltairus, qui in Phil. Hist. c. 17. testatur in *Vedam*, seu Rituali veterum Brachmanorum doceri, primum hominem fuisse *Adimum*, et fœminam *Procritem*, seu Vitam, ut Evæ nomen sonat. Tullius verò in Libris de Repub. (L. 3. C. XV.

edit. Romanæ a Clariss. Majo.) Athenienses et Arcades deridet, quod timentes ne alteri populo cogerentur suam regionem cedere, qui ante ipsos eam habitasset, autochthones se dicebant: *Arcades et Athenienses, qui, credo, timentes hoc interdictum justitiæ si quando existeret, commenti sunt, se de terra, tanquam ex arvis musculos, extitisse*. Eo harum fabellarum causa et origo.

CCLXIX. Ut autem ad Peyrerium redeamus, negotium ei facessit, quod legitur Geo. IV. *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola*; tum quod Caio uxorem duxerit, et urbem ædificaverit; quæ omnia quibus instrumentis, ajebat, quibus architectis et operariis fieri poterant paucis adeo extantibus hominibus, et artibus nondum inventis? Undenam Cain sibi duxisset uxorem, quinam populus urbem habitasset, si nulli ante Adam fuissent homines? Quæ certe levia sunt. Adam enim filios necessaria docuisse censendum est. Quæ autem pastoritia et agricultura requirebant, facile comparari potuerant; cum non multa eo tempore necessaria fuerint ob terræ fertilitatem nondum obrutam diluvii aquis. Cain autem ex sororibus suis uxorem sibi elegisse pro certo habendum est; licet enim non omnes Adæ generationes numerentur, sæpe tamen dicitur in Genesi = genuit filios et filias = Quantum ad urbem a Caio ædificatam, non dicitur quo anno id factum sit. Si id contigit ao. Mundi quingentesimo, jam non modica hominum multitudo tellurem tunc incolebat. Facile ergo poterat et fabros accire, et urbem civibus locupletare; non enim somniandum est, his nostris fuisse similem. Addit ta-

men Peyrerius, dictum fuisse Caino: *Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum aderit?* ubi per fores Tribunalia esse intelligenda vult, quæ sine judicibus et populo non erigebantur in portis urbium. Populum autem extitisse declarant Caini verba = Omnis igitur qui invenerit me, occidet me = Verum quo fundamento per verba = in foribus peccatum aderit = vult judicia intelligi, quæ in portis civitatum exercebantur? Ea phrasi significatur potius animi cruciatus ob crimina perpetrata; quæ enim brevi eventura sunt, dicuntur esse in januis, ut Marci XV. habetur. Eo modo loquitur Virgilius Eneid. IV.

.... *Ultricesque sedent in limine divæ.*

Peccatum quidem hic sumitur pro pœna peccati, quæ peccatum sequitur, posito per metonymiam effectu pro causa: at pœna hic ea significatur, de qua Juvenalis Sat. XIII.

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Cæterum Cain timere potuerat fratres, filios, nepotes. Nam occisio Abelis ponitur an. m. CXXX. tunc enim ponitur ortus Seth; quo tempore potuerunt homines ac millia multiplicari. Sed est argumentum quo Peyrerius triumphabat: nam ex quo dicat Apost. Rom. V. *Usque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non esset*: quod de lege Adæ lata vult esse accipiendum; inferebat, ante ipsum fuisse homines, qui exleges viverent. At id suæ causæ suffragari nequit, cum sit locus obscurus. Gratis itaque ponit, ibi significari legem Adæ latam; cum ex contextu eluceat, de Lege Mosaica potius agi; ut sensus sit: Usque

ad Legem Moysis peccatum erat in mundo (id est lex naturæ contra quam peccabatur); peccatum autem non imputabatur, sive, ut ex græco eruitur, non reputabatur, non erat in æstimatione hominum, lege Moysis nondum promulgata: Vel ut Augustinus = peccatum a lege non redarguebatur, lege nondum lata = peccabatur tamen ob legem naturæ in cordibus insculptam, aut per traditionem acceptam. Hinc ineptè triumphum canebat.

CCLXX. Demum recentes increduli opponunt. 1. Americæ incolas toto orbe divisos, qui communem originem habere nequiverint. 2. Nationes nigro colore infectas, quæ diversam ostentant originem. 3. Chronologias Chaldæorum, Sinensium, Ægyptiorum, aliorumque Mosaicam longè antevertentes chronotaxim. Quæ tamen facile exsufflantur omnia. Et ad 1. Impossibile non erat, ut veteres ad Americam, aliasque remotas insulas navigando appellerent. Quæ veteres de insula Atlantide, et de Syriorum navigationibus tradunt, rem prorsus facilem ostendunt; licet eò delati nautæ aut regredi nequiverint, aut pauci inde redierint. Sed et Veteres eas regiones non obscurè indicarunt, ut Diod. siculus, Ælianus Hist. l. 3. Seneca *in Medea*, hispani ante Columbum, qui ex plurium narrationibus eò iter direxit. Ad 2. cui difficultati Voltairus pondus dare laborat, facile respondetur, Æthiopum colorem causas naturales plures præseferre: paulatim enim nigrescere potuerunt ob calorem climatis, vel ob æris temperiem: id oriri etiam potuit ex corrupta phantasia primæ alicujus fœminæ, ut Jacobi ovibus contingebat; hinc animantia unius speciei in varias dispescuntur:

hinc Sinenses simi, Laponi gracilibus cruribus, ventricosi, et cinericii coloris facti sunt: idem de pygmæis et gigantibus dicendum, cum natura humana determinatæ mensuræ alligata non sit. Cæterum quantum ad nigros populos; observatum est, nigros in septentrionales plagas delatos paulatim albescere, et e contra europæos nigrescere in æthiopia commorantes. Sed et aliæ physicorum observationes hanc difficultatem dispulerunt. Demum ex ignota causa nihil certi deduci posset. Ad 3. Non operæ pretium est in fabulosis iis refutandis chronologiis immorari, quæ ab ipsis eruditis gentilibus risu et sibilis exceptæ sunt, ut a Tullio, qui L. 1. de Divin. C. XIX. de Chaldæis scribit: *Contemnamus etiam Babylonios ... condemnemus hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ, qui quadringenta septuaginta millia annorum, ut ipsi dicunt, monumenta comprehensa continent, et mentiri judicemus*, etc. Eorundem jactantiam irridebat Diodorus Siculus L. XI. et Lactantius L. VII. C. XI. Idem de Ægyptiis dicendum, quos lepidè Augustinus refellebat Lib. XVIII. de Civ. D. c. 40. ita eos redarguens: *In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt? Non enim parvus est in historia Varro, qui hoc prodidit, quod a Literarum etiam divinarum veritate non dissonat*. Revera Ægyptus a veteribus Coptis *Chemi* appellabatur, quod illa gens a Cham Noëmi filio ortum duceret, et Mesraim etiam dicta est, qui Chami filius erat quo nomine frequentius in Scripturis designatur, sed et non raro nomine terræ Cham distingui solet. Imo

omnium gentium traditiones non obscurè cum Moysis historia concordant, ut Eruditi ostenderunt; si a fabulis quibus eas corruperunt, quæque apertam falsitatem redolent, segregare voluerimus. Hoc demum testantur Acta Societatis Calcutianæ in Indiis Orientalibus nuper a Gulielmo Jonas institutæ, quæ candidè fidem faciunt, Indorum traditiones apprime cum Mosaica historia cohærere circa mundi ortum ac divisiones nationum: qui parentem suum memorant quendam Rema, seu Regma, de quo fit recensio Gen. X. 7. Nec illorum chronologia Mosaicam excedit. Hinc Jones jure Scripturam Sacram commendat, eamque aliis monumentis antefert, contra quam, ait, incredulorum impetus plumbei sunt ac obtusi. Quæ valde incredulis displicuere, ut hinc ad Zodiachos Ægyptios, et ad alia, quo imperitis imponerent, se converterint, casso licet labore. Imo Freretus ipse fatebatur, nullam populorum historiam labefactare Mosaicam posse, quæ sola præ cunctis veracem se ostendit. Desinant ergo isti agyrtæ se torquere diutius, et audere vulgo illudere.

CAPUT X.

DE PRIMI HOMINIS CONDITIONE.

CCLXXI. Plura de corporeo protoparentum plasmate, pluraque de animi dotibus pertractari solent a sacrarum Scripturarum interpretibus, quæ leviter hîc attingentur. Et 1.° statuendum est, ea quæ a Moyse de productione Evæ ex latere Adæ narrantur, non figuratè aut parabolicè esse accipienda, sed utique in

literali ac proprio sensu, ut a Cajetani opinione sit hac in re prorsus recedendum: Alioquin quomodo Adam exclamare potuisset: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea?* Quo titulo addidisset: *Ipsa vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est?* Certè Patres hæc historicè intelligenda esse volunt; quod non impedit, quominus in Evæ productione mysterium latuisse cognoverint. Quod si Eva ex costa formata est ab Adam educta, non propterea hic imperfectus mansit; nam Deus, ut Moyses refert, *replevit carnem* pro ea. Sed hic explodenda est Rabbinorum quorundam inepta fabella, qui factam fuisse Evam ex cauda Adæ sibi finxere. Nec attendenda, quæ de forma ac statura protoparentum iidem fabulati sunt; qui certè nec gigantea statura, nec in infantili ætate producti sunt: præterea nec androgynum fuisse censendum est Adami corpus, quod nempe sive a latere sive a dorso mulierem sibi copulatam habuerit, quæ ab eo postea fuerit sejuncta; hæc enim omnia absurda sunt, nulloque fundamento suffulta. Sed consulatur Nat. Alexander De 1. Mundi Ætate Art. 2. Addunt alii, primos homines adeo fuisse elegantes, ut Lucifer Angelorum princeps Evæ pulchritudine captus peccaverit; et alia similia dicta inter fabellas aniles sunt amandanda.

CCLXXII. Quantum ad Animi dotes primorum parentum prima erat status Innocentiæ et Integritatis in quo Adam conditus est, vixitque antequam caderet: erat enim justus et sanctus, rectus, et integer vitæ ut Apostolus ad Eph. docet C. IV. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia*

et sanctitate. Præterea erat Adam conditus ad imaginem Dei, quo nomine intelligitur illius sanctitas, non minus quam Animi dotes, nec non summum in res telluris dominium (Sup. N. CXLVI.). De hac tamen imagine diversi diversa sensere. At sacer textus videtur eam collocasse in dominio homini a Deo tributo supra creaturas cæteras, dicitur enim: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli universæque terræ*... Quanquam hæc imago cum homo rebellis in Deum factus est, valde sit imminuta. Eam tamen veteres quoque philosophos ex antiqua traditione aliquo modo cognovisse, norunt eruditi; ut Ovidius ex eorum sententia dixerit, quod eum ille Opifex rerum:

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Quærunt hîc nonnulli, utrum ad hanc imaginem Eva etiam creata sit; eo quod Apostolus 1. Cor. XI. dicat: *Vir imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est*. Sed non licet ambigere, quin fœmina quoque ad imaginem Dei condita sit, cum de utrisque eadem sit ratio; idque ex Geneseos verbis non obscurè deducitur: dicitur enim: *Ad imaginem Dei fecit illum, masculum et fœminam creavit eos*. Tamen, ait S. Thomas 1. p. q. 93. a. 4. quantum ad aliquod secundarium imago Dei invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere: nam vir est principium mulieris et finis, sicut Deus est principium et finis totius creaturæ ... quod ostendit Apostolus subdens = Non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro = Hinc Augustinus de Gen. ad Lit. l. 3. c. 22. utrumque ad imaginem Dei efformatum docet.

CCLXXIII. Altera dos animi protoparentum erat, quod in Deum amore ferebantur, et quod animus minus corpori mancipatus in eo dominabatur liberius; cum nondum sensus legi mentis adversarentur. Quare impiè Menandri discipuli opinabantur, duos fuisse homines creatos, bonum unum, alterum malum, ex quibus duo hominum genera bonorum et malorum sint in mundo. Nec minus stulta sunt quæ fabulantur Talmudistæ, Adam nempe separatum ab uxore per annos centumtriginta genuisse dæmones, specta, seu larvas nocturnas. At verò Adam magna præditum fuisse sapientia Theologi ex Scripturis docent; quæ cum duplex sit, nempe scientia rerum seu theoretica, et discretio boni et mali, quæ practica dicitur, utraque fuisse ornatum constat. Sed hæc ex eo nobilissima censenda est, quod non acquisita, sed ei fuerit a Deo infusa. Non tamen facile dandum, Adam artium omnium et disciplinarum, quæ modo apud homines vigent, fuisse peritissimum, ut opinatur Kirkerus in *OEdipo Ægyptiaco*; ut nec demonstrari posset, Literarum fuisse inventorem et libros quosdam scripsisse, qua de re nulla monumenta habemus. Sed ex adverso fugiendus est error pelagianorum et socinianorum quorundam, qui primos parentes simplices faciunt, et plane ignaros, quales sunt infantes, eo quod una a serpente, alter a muliere decepti sint, nec se statim nudos noverint. Imo nonnulli adeo sunt inepti ut ex illis Scripturæ verbis: *Et aperti sunt oculi eorum*, eos antea cæcos factos fuisse velint: Nam præter ea quæ in Genesi habentur, de illorum scientia dicitur Ecclesiastici XVII. 5. *Consilium et linguam et*

oculos et aures et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, scientia implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. etc. Si ergo decepti sunt, id ostendit, et diabolum fuisse callidiorem, et eos fuisse errori et voluntatis mutationi obnoxios, ut peccare potuerint; quod Deus ob arcanos fines non absolutè impedire judicavit. Quod objiciunt de nuditate, est puerile; Moyses enim significare vult, post peccatum verecundiam membrorum passos esse, cui in statu innocentiæ subjecti esse non poterant. Ea quippe phras utimur cum aliquid de novo cognoscimus, quod antea latebat.

CCLXXIV. Sed præterea fuit Adam in justitia et sanctitate constitutus, idque Dei beneficio. Hinc Ecclesiastis VII. 30 habetur: *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Tridentina verò Synodus Sess. V. ita definit: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse ... anathema sit*. De fide est igitur, Adam fuisse sanctificante gratia exornatum, et in originali justitia constitutum. Justitiæ autem nomine hîc intelligitur rectitudo et ordo animæ, cujus ratio Deo subdebatur, et rationi subditi erant appetitus inferiores: originalis verò dicitur, quod a sua origine ea exornatus fuerit, ut eandem ad posteros transmitteret, nisi illam peccando amisisset. Non ergo illa ex principiis naturæ fluebat, nec humanæ naturæ fuit debita, quod in Bajo et Quesnello damnatum est; erat

enim supernaturalis gratia et gratuita omnino. Hinc intelligitur, cur homo innocens ad imaginem Dei factus dicatur, et cur Patres eam imaginem in nobis per baptismum renovari affirment. Quæritur hic: An si Adam tempore ipsi definito in gratia stetisset, quò in ea confirmaretur; posteri omnes in gratia confirmati nati essent; an verò et ipsis tempus aliquod esset præstitutum, quò sibi mereri vel demereri immortalitatem possent? Sed Theologi cum Augustino censent, quod omnes alicui legi fuissent subjecti, ut vel privilegia innocentiæ sibi conservare possent, vel per inobedientiam amittere, ita tamen ut eorum transgressio non esset posteris nocitura; quæ sententia communis est. V. Estius in 2. Sent. Dist. 20. §. 5.

CCLXXV. Præter memoratas dotes, quæ primos homines maximè commendabant, accedebat integritas corporis et immortalitas, cum qua immunitas a doloribus erat conjuncta. Nam morti obnoxios non futuros, nisi peccassent, Moyses apertè declarat, ut etiam Apostolus ad Rom. V. Hinc Sap. 2. 23. legitur: *Creavit Deus hominem inexterminabilem* (sive, ut gr. habet, ad incorruptibilitatem), *et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Quare Tridentina Synodus Sess. VI. c. 1. anathemate eos damnat, qui affirmant, primos homines morituros fuisse, etiamsi non peccassent. Sed immortalitas isthæc non illis erat naturalis, sed ex fructu proficiscebatur ligni vitæ, ut apertè Moyses narrat. Itaque a S. Pio V. damnata est illa Baii propositio = Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium sed naturalis conditio =

Quæ rursus damnata est a Pio VI. in Bulla = Auctorem Fidei = prop. XVII. Synodi Pistoriensis, qua innuitur, immortalitatem non fuisse gratuitum Dei beneficium, sed naturalem conditionem hominis, quod redolet pelagianismum. In illo itaque statu non modo corporis felicitate, sed potissimum animi gaudio protoparentes fruebantur; nam mente ac ratione Deus præcipuè homines exornaverat: atque hic est spiritus ille, quem Deus illis inspiraverat, et quo *factus est homo in animam viventem*, ut Moyses loquitur, donec, ut habet Ecclesiastes C. XII. 7. hic *spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Atque hic felicitatis status in posteros manasset, si primus homo in sua innocentia perstitisset. Nec dubitandum, quin in eo felici statu filios procreaturi essent, cum illis primis conjugibus dixisset Deus: *Crescite et multiplicamini, et replete terram*; licet absque turbida libidine illa propagatio futura esset. Qui homines in prospero illo statu profecto societatem ordinatissimam constituissent, atque in ea viguisset primatus quidam et hierarchia si non imperii, saltem ordinis: *quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt*, ut ait Apostolus ad Rom. XIII. At quærunt: an ne homines illi semper tellurem hanc incoluissent: an verò aliquando fuissent translati? Quod translati fuissent, major censet patrum numerus: Verum quomodo, aut quando, incerta hæc omnia habentur.

CAPUT XI.

DE LAPSU PRIMI HOMINIS.

CCLXXVI. Adam extra terrestrem paradisum a Deo formatum, donisque recensitis locupletatum introduxit Deus in paradisum et illi hanc legem præscripsit: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo morte morieris*. Quænam fuerit arbor illa, Scriptura silet. Quidam vitem, alii ficum maluerunt, alii malum; quasi memorata sit in Cantico Salomonis C. VIII. *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua* etc. Sed non videtur Salomon de arbore illa loqui: quare incerta res est. Fortasse ea in solo fuit paradiso, quo dissipato, nulla similis in orbe supersit. Rabbini quidam opinati sunt, eam arborem Evam fuisse, cum qua præceperit Deus Adæ ne in paradiso conveniret; quod falsum esse jam supra vidimus. Paracelsus commentus est, eo præcepto præposteram venerem prohibitam fuisse; quæ putida sunt absurda: quomodo enim Eva tunc potuisset de pomo comedere? At Moyses ea de re ne verbum quidem habet. Sed quærunt Patres, quo consilio eam Deus legem tulerit? Cujus divini mandati plures a patribus rationes dantur. Chrysostomus Hom. XVI. in Gen. scribit, Deum eam tulisse legem, ut parvo illo parvæ rei præcepto suum in omnia, ac in hominem præcipuè, summum ostenderet imperium. Cæterum poterat, inquit S. Thomas 2. 2. q. 165. homo

innocens absque difficultate tentationi resistere, quam, ait S. August. Deus permisit, ut occasio daretur Adæ divinis muneribus rectè utendi, ac ita stabilitatem in gratia sibi merendi: quod si eum præviderat lapsurum, id tamen permisit, sive non omni modo impedivit, quia etiam de malis noverat bona facere. Errant autem Rabbini, qui stultè putant, eam Arborem revera habuisse virtutem gignendi scientiam, cujus fructum Deus propter invidentiam prohibuerit, ne comederetur. Quid magis ineptum et impium confingi poterat? Cur illam creasset? Sed an Deus invidentiæ obnoxius est? Ab eventu itaque Arborem scientiæ boni et mali vocatam censendum est: nimirum quod Adam theoretice noverat, id practice quoque per peccatum expertus est.

CCLXXVII. Itaque præceptum illud primi homines transgressi sunt: Sed quanto tempore in statu innocentiæ steterint, controvertitur. Alii horas sex: alii ad decem aut duodecim dies tempus prorogandum censent, nonnulli ad annos etiam triginta quatuor: quæ meræ sunt conjecturæ. Verum Moysis narratio videtur non paucos indicare dies. Quod si Adam nondum uxorem cognoverat, id ex animi dotibus, ex admiranda objectorum varietate qua occupabantur, nec non ex confidentia immortalis vitæ oriri potuit, ut id minus adverterint. Miserandum autem casum ita narrat Moyses. Serpens dolose ad Evam accessit, eique suasit, ut pomo vetito vesceretur. Eva comedit, et viro tradidit comedendum; statimque involuntarios motus in corpore experti sunt, quo factum est, ut erubescerent, sive se nudos agnoverint. Atque ex foliis

ficus sibi consuerint perizomata. Hinc Deus ad eos accessit, et objurgans, mortem eis indixit ac miseriam, ac ne ex arbore vitæ comederent et perpetuò viverent, e paradiso ejecit. Serpenti quoque maledixit, et inter eum et fœminam prænuntiavit inimicitias fore, additque: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus:* Quibus verbis Messiam designatum, quod clarius fit ex hebræo textu, patres agnoverunt. Hæc tamen narratio plurium extitit quæstionum origo. Certum autem est, Adam peccasse, mortalemque cum posteris evasisse, atque indiguisse Redemptore, qui eos ad spem vitæ æternæ revocaret.

CCLXXVIII. Sed hariolantur nonnulli, hunc eventum poëtica phantasia ab antediluvianis adornatum fuisse, atque ita corruptum posteris fuisse traditum. Nec enim quæ de serpente ac ejus loquela dicuntur, deque tam facili Evæ ludificatione capere possunt; inter quos Th. Burnetus *in Archeologiis* ea allegoricè interpretanda esse vult. Recentes quoque increduli hic ineptias recoquunt a veteribus ethnicis jaculatas. Verum nulla solida ratio cogit, ut ab historica narratione recedamus. Quinimo istiusmodi allegoristæ longe aberrant. Nam omni vacat dubio, dæmonem serpente usum tanquam organo, sicut obsessis abutitur, ut supra ostensum est (N. CCLVII. et seqq.). Et certè Scripturæ docent, diabolum in hoc infausto eventu primas egisse partes: ut Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et 1. Joan. c. 3. *Ab initio diabolus peccat: in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat operâ diaboli.* Ita Apostolus 2. Cor. XI. 3. literalem sensum sequitur, inquiens: *Ti-*

meo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri. Hinc historicum sensum patres universim tenent. Parum autem refert, an diabolus naturali serpente, an apparente usus sit, licet quæ serpenti comminatus Deus est, eum verum fuisse suadeant. Nec ex quo ignoremus quomodo diabolus eo uti potuerit, id propterea negandum, cum innumera sint quæ ignoramus. Licet autem primi mortales sapientes essent, non propterea impeccabiles sunt habendi; nam sive uno sive alio modo certum est eos peccasse: Quæ vero de ambulatione Dei in paradiso ac de tunicis pelliceis, quas eis fecit, ipsius præsentiam, illiusque providentiam tantùm significant, ut illud *fecit* denotet, *de convenienti tegumento eis providit, aut subministrare fecit*; ut inepta et impia incredulorum scommata hic locum non habeant. Sed addendum, hanc narrationem quantum ad substantiam apud ipsos gentiles vulgatam reperiri, ut de Indis probat Hugo Grotius *de Religione Christ. l.* II. qui et in græcorum mysteriis acclamatum Eva! simulque monstratum serpentem scribit. Id veteres plures meminere, ut Plutarchus, Clemens Alex.; Et Bochartus *in Hierozoico* ostendit, veteribus persuasum fuisse, olim bruta esse locuta; quæ opinio unde orta facile intelligitur.

CCLXXIX. De malitia autem protoparentum peccati ac de gravitate qua laboravit, plura scripsere patres. Præter enim inobedientiæ actum, quo vetitum cibum degustarunt, quem et furto surripuerunt, jam voluntatem malam conceperant, cum voluerunt supra suam conditionem extolli, nempe ut essent *dii scien-*

tes bonum et malum ; quod superbiæ vitium est. Hinc Ecclesiastici X : *Initium omnis peccati superbia est*. Superbia ergo intumuerunt, eoque damnabilius, quod in crimine deprehensi non modo non implorarunt veniam, sed et frigida excusatione se vitare pœnam posse putarunt. Inobedientia itaque fuit superbiæ effectus, cui etiam gula se immiscuit, ut dicitur Gen. 3. *Vidit mulier, quod lignum esset bonum ad vescendum, et tulit de fructu ejus et comedit*. Quod tamen turpius fecit illorum peccatum, fuit infidelitas, qua non crediderunt Deo ipsis mortem comminanti, sed potius diabolo fidem præstiterunt, eos nequaquam morituros spondenti, et scientiam universam ipsis pollicenti ; quod facilius Adam sibi forsan persuaserat, quando Evam ex eo cibo non mortuam esse cernebat. Advertit Apostolus 1. ad Tim. 2. quod *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit:* quo innuisse videtur, Adam non fuisse seductum a serpente, ut Eva; sed tantum fuisse a propria superbia elusum, et blanditiis uxoris deceptum. Nam ei dixit Deus: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, ut comederes de ligno ... in pulverem reverteris*. Gravissimum fuit igitur illorum peccatum attenta præcipue gratia et integritate qua ornati erant, et copia fructuum quorum domini fuerant constituti.

CCLXXX. Inde pœnæ secutæ sunt, quarum aliæ nocuerunt Animæ, aliæ corpori. Nam primo gratia sanctificante ac donis supernaturalibus spoliati sunt, tum imperio in affectus et in concupiscentiam. Demum scientia in eis valde obscurata est, et phantasia cœpit phantasmatibus agitari, unde plura inordinata

erumpunt. Quod spectat ad corpus, homines immortalitatis prærogativa caruerunt, morbis subjecti facti sunt, et laboribus ac morti addicti. Quare Tridentina Synodus Sess. V. Can. 2. *Si quis non confitetur ...., totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et Animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit*. Quomodo autem comminatio illa fuerit adimpleta: *in quacumque die comederis ex ea morte morieris:* Aliquibus respondere sufficit, ibi Animæ mortem intelligi, qua divina gratia orbata est: Verum ea verba mortem etiam corporis respexisse evincit sententia illa: *pulvis es et in pulverem reverteris.* Quod testatur quoque Apostolus Rom. V. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors*. Sed et Ecclesiastici C. XXV. habetur: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur*. Mors itaque Animæ statim contigit; illa verò corporis ea die incepit qua contraxit mortiferam qualitatem, et qua homo mortis legi subjectus factus est. Nam ea verba, *morte morieris*, juxta Hieronymum significant, *mortalis eris*; vel morti eris obnoxius: vel etiam juxta indolem hebraicæ linguæ: *moriens certò morieris*. At hos progenitores nostros peccati sui pœnituisse, et veniam a Deo fuisse consecutos, nos certos facit Auctor Libri Sapientiæ, ubi legitur Cap. X. de Adam = *Et Deus eduxit illum a delicto suo:* Hinc apud antiquos Patres pro hæreticis habebantur qui primos parentes damnatos dicerent. De illorum enim salute constans semper extitit Traditio et Ecclesiæ doctrina. Quod itaque Augustinus ait Serm. 164. id Ecclesiam tradidisse, *etiamsi Canoni-*

crarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas; id dicit vel quia liber Sapientiæ ex Deuterocanonicis est: vel quia nonnulli legebant = eduxit illum de limo terræ = perperam tamen; nam vulgata lectio = eduxit illum a delicto suo = optima est, et cum græco textu apprime cohæret.

CAPUT XII.

DE NOXA ORIGINALI TRANSFUSA IN POSTEROS.

CCLXXXI. Non in solo protoparente ipsius peccatum stetisse, sed et in omnes posteros permeasse dogma catholicum est a tota antiquitate agnitum, atque rursus adversus Novatores sancitum in Tridentina Synodo Sess. V. Can. 2. et 4. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse ... aut ... mortem et pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit etc.* Peccati ergo originalis nomine illud intelligitur, cum quo homines nascuntur, quodque originem a peccato primi parentis trahit. Primus qui id inficiatus sit, Theodorus proditur Mopsuestiæ Episcopus, qui primos homines fuisse mortales conditos contendebat, eorumque prævaricationem posterorum læsisse neminem. Hunc errorem propagarunt postea Pelagiani, qui licet argumentis convicti darent, mortem per Adæ peccatum in mundum fuisse ingressam, pertinaciter tamen semper negabant, peccatum quoque in omnes pertransiisse. Hæc hæresis tunc in pluribus Conciliis

damnata, fuit peremptoriè confixa anathemate per Decretum Innocentii I. cujus occasione Augustinus Serm. 131. de Verbis Evang. Joan. eam sententiam protulit: *Causa finita est: utinam aliquando finiatur et error*. Sed hanc hæresim pelagianis extinctis post annos mille exsuscitarunt Zuingliani, Anabaptistæ, Sociniani et Quackeri cum naturalistis et incredulorum turba; quare magni interest eam revincere, et fundamentum hoc catholicæ doctrinæ, ac redemptionis humani generis confirmare.

CCLXXXII. Et quidem hoc dogma apertè docet Apostolus ad Rom. V. ubi antithesim instituens inter Adam et Salvatorem nostrum, quorum ille peccato suo omnes homines in mortem et condemnationem præcipitavit, Redemptor autem noster revocavit ad vitam, hæc fatur: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ubi hæc notanda veniunt: 1. dici, per unum hominem intrasse peccatum: 2. per illud intrasse mortem ut peccati pœnam; quæ cum afficiat omnes, sunt igitur omnes huic peccato obnoxii: 3. Ea verba = in quo omnes peccaverunt = ad unum Adam esse referenda, ut sensus sit = in quo uno homine omnes peccaverunt = Nam si in vulgata versione ambiguum esse possit, num illud *in quo* ad hominem, an ad peccatum referendum sit: græcus textus omne dubium tollit, referendum esse ad *unum hominem*, qui est masculini generis; non verò ad peccatum, quod in græco est generis feminini. Sed hanc doctrinam confirmat Apostolus per totum contextum, et alibi etiam

pluribus in locis, ut ad Cor. 1. Cap. XV. et 2. ad Cor. V. ubi ait: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus Christus mortuus est*. Ad Ephes. autem C. 2. 3. habet: *Nos omnes . . . . eramus natura filii iræ, sicut et cæteri*. Præterea id ostenditur ex necessitate regenerationis per Baptismum ut vita æterna habeatur, dicente Christo Joannis III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Cum verò Baptismus in remissionem peccatorum detur; et parvulis etiam conferatur, qui nullius actualis culpæ rei sunt; sequitur, quod eis administretur, ut a noxa tantùm originali solvantur; quod exorcismi quoque ostendunt adhibiti in Ecclesia ab Apostolorum ævo, quibus catechumeni et etiam infantes ad baptismum præparantur. 3.° Id plura insuper suadent, quæ in Veteri Testamento leguntur, ut illud Psalmi L. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*: sive ut clarius in hebræo textu habetur: *Ecce enim in iniquitate conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea*. Hæc et quæ habet Job. C. XIV. frequenter olim Patres in confirmationem hujus dogmatis afferebant, ut etiam legem de masculis circumcidendis a Deo latam Gen. XVII. 14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit*. Qua phrasi damnatio æterna significatur, propter violatum pactum omnium cum Adam. Nec his auctoritatibus obstat recentium Rabbinorum rejectio hujus doctrinæ. Nam in hoc ut in multis a veterum sententia recesserunt. Quid enim apud eos significabat illud *jezer arah* sive *fig-*

mentum malum, nisi fomitem concupiscentiæ originalis culpæ effectum? Sed et R. Aben-Ezra allata verba Psal. L. dicta vult = propter concupiscentiam plantatam in corde hominis... quia in hora nativitatis figmentum malum complantatur in corde = Plura de hac re videri possunt ex Talmude excerpta apud Raym. Martini in *Pugione fidei*, et Bartholoccium in *Bibliotheca Rabbinica*, aliosque. Verum non inficiabimur apud hebræos veteres hæc non adeo manifesta et declarata fuisse ut in Novo Testamento factum est, sed obscurè tantùm tradita, si doctiores et prophetæ excipiantur: recentiores verò, qui hanc doctrinam respuunt, nullam fidem merentur, cum in Scripturis intelligendis planè cæcutiant.

CCLXXXIII. Quæ allata sunt divinarum Scripturarum Oracula ad ostendendum, omnes homines aliqua labe originali obstrictos nasci, unicuique sano judicio pollenti sufficere debent, ut positam doctrinam absque ulla ambiguitate amplectantur. At cum allata testimonia in sensus varios adversarii detorqueant, aut saltem perturbare conentur, innuendum superest eam fuisse totius antiquæ Ecclesiæ doctrinam et fidem; quæ tunc magis manifesta apparuit, cum evulgata Pelagiana hæresi Ecclesia universa, Concilia, et Romani Pontifices eam ut avitæ fidei adversam damnarunt. Auctoritates vero S. Ignatii Martyris, Justini M. Tatiani, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Athanasii, Hilarii, Chrysostomi, Hieronymi, aliorumque patrum, qui pelagianam hæresim antecessere apud Theologos longa serie relatæ consuli possunt, ut apud Cl. Berti L. XIII. Cap. 2. quorum plura cum S. Augustinus re-

tulisset contra Julianum pelagianum, qui S. Doctorem accusare ausus fuerat, quasi ipse originale peccatum confinxisset, ita eum redarguebat Lib. 2. de Nupt. et Concup. C. XII. *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica Fides credit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus*. Sed idem Julianus olim ipsi Augustino objiciebat Chrysostomi auctoritatem in Homilia ad Neophytos: *Hac de causa etiam infantulos baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas*. Cui primo respondebat, accuratam eam non esse versionem, quæ ex græco reddenda est: *propterea etiam infantes baptizamus etiam peccata non habentes*: id est non habentes peccata propria et actualia; non verò Chrysostomum negasse peccatum originale, quod censetur non proprium, sed alienum peccatum, ut loquitur S. Cyprianus. Revera Chrysostomus non uno in loco agnoscit originalem noxam, ut in hac ipsa Homilia cum dicit, ut vertebat Augustinus: *Christus nostrum invenit Chirographum paternum, quod scripsit Adam: ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus*. Sed clarius in Epist. ad Olympiam scribit: *Quando Adam peccavit illud grande peccatum, et omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat*. Et Hom. X. in Ep. ad Rom. *Uno inobediente Adam, mundus damnatus est*. Cur ergo dixerat, baptizari *infantes quamvis peccata non habentes*, nec addidit *propria*? 2.° respondebat Augustinus: *Cur putamus? Nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? Vobis pelagianis nondum litigan-*

tibus securius loquebatur. Nec dicant recentes hæretici Chrysostomum voluisse, Adæ peccatum corpori nocuisse, non animæ: contrarium enim sæpe fatetur, ut cum ait Hom. XI. in Ep. ad Rom. *Una cum morte pravorum affectuum illuviem in homines irruisse:* sed cum mors sit pœna, ipsum indicat peccatum.

CCLXXXIV. Demum hoc dogma ex quadam vetusta gentium et philosophorum consensione ostendi posset; qui licet veram hujus noxæ originem ignoraverint; tamen homines non esse insontes ex tot ærumnis, quibus subjecti sunt, agnoverunt. Hinc ut earum rationem redderent, alii gigantomachiam, alii ferream mundi ætatem, alii Promethei furtum, metempsychosin alii, alii alia commenti sunt. De hoc disputabat olim Augustinus Lib. IV. contra Julianum, ubi præclarum illud Tullii testimonium affert ex Dialogo deperdito cui titulus *Hortensius: Quo veteres illos sive vates, sive in sacris initiisque tradendis deorum interpretes, videri, ait, vidisse aliquid, cum nos pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt ob aliqua in vita superiore scelera suscepta.* Hinc addit, quod, *in libro tertio de Republica Tullius hominem dicit, non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam* etc. Inde concludebat Augustinus: *Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim cum, cur esset grave jugum super filios Adam ... quia Sacris Literis non eruditus ignorabat originale peccatum.* Sed protoparentum superbiam et in Deum rebellionem, dum sicut dii esse concupiverunt, indicasse videtur Ovidius Lib. 1. Metamorph. cum dixit:

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes.

Justam verò supremi Numinis vindictam in homines latè describit Catullus ex vetustissima traditione et ex consensione omnium gentium, cum in Epithalamio canit:

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnem cupida de mente fugarunt ...
Omnia fanda nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertere deorum.

Cum ergo tot tantisque momentis fulciatur dogma de transfusione originalis noxæ in posteros omnes, recte S. Prosper Aquitanus in Carmine de Ingratis canebat C. XXVII. quod Adam, postquam consilium pravum recepit

Corruit, et cuncti simul in genitore ruente
Corruimus . . . .

CCLXXXV. Plura tamen regerunt Sociniani, ut celebre illud apud Ezechielem C. XVIII. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*. Quod confirmant ea Deuteron. Lege C. XXIV. *Non occidentur..filii pro patribus* etc. Id autem cum transfusione culpæ originalis conciliari non potest. Cui multiplex responsio datur. Et 1. Ibi sermonem esse de peccatis actualibus, non verò de originali peccato, quod factum est omnibus proprium *non proprietate actionis*, ut Augustinus ait, *sed contagione propaginis*; quatenus Adamo peccante humani generis capite, nos omnes in suam condemnationem pertraxit. Peccatum quippe primi hominis, ut habet S. Thomas Q. IV. *de Malo*, est quodammodo peccatum totius naturæ, et ideo cum aliquis propter illud punitur, non punitur pro peccato alterius, sed

pro peccato suo punitur =. 2. Respondebat Augustinus; legem illam pro hominibus latam esse, quæ ad Deum minimè pertinet, qui Exodi XX. ait: *Ego Dominus... visitans iniquitates patrum in filios;* cujus punitionis multa suppetunt in Scripturis exempla, et in humanis eventibus. 3. Iis in locis sermo est de pœnis temporalibus a judicibus infligendis illis, qui delinquunt, præsertim in Deuteronomio; non verò agitur de lege a Deo Adæ lata spoliandi tum ipsum tum posteros supernaturalibus donis et privilegiis, quibus eum ornaverat et quæ nullo jure ei debebantur, nec ejus posteritati, quoties præcepto non obtemperasset. 4. Respondebat quoque Augustinus, apud Ezechielem promitti a Deo Gratiam Novi Testamenti, quando non ultra esset proverbium illud: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* Nam in Regno Gratiæ regenerati Baptismo parentum pœna non obstringuntur, sed anima, quæ actuali culpa peccaverit, ipsa morietur. Nec contra hoc dogma facit, quod ait Salomon Sap. VIII. *Sortitus sum animam bonam et ... veni ad corpus incoinquinatum.* Non enim de supernaturalibus donis loquitur, sed de bona indole, et de aliis donis naturalibus, nec non de corpore a defectibus immune quæ cum labe originali stare possunt, et in pluribus inveniuntur.

CCLXXXVI. Opponunt præterea, Apostolum esse intelligendum de transfusione peccati per imitationem, non per generationem propaginis, quo sensu dicitur Osee VI. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum:* Alioquin Evam etiam nominasset. Vanum tamen effugium. 1. enim quisnam posterorum Adam

peccantem vidit, ut ejus imitatione peccaret? Quod si quis Adam peccasse audiverat, audiverat etiam pœnitentiam, ac tremendam ejus culpæ pœnam, quæ quemquam a peccatis deterrere debuerant. 2. Si per imitationem, cur non dixit per Evam peccatum in mundum irruisse, aut per diabolum, qui prius peccaverant? Loquitur autem Apostolus de eo peccato, per quod etiam mors est in orbem ingressa, quæ regnat etiam in eos, qui actu non peccaverunt: Denique ab Adam dicitur peccatum transfusum, quia non a fœmina, sed a viro censetur ortum humanum genus. Ex quo verò scribat Apostolus Rom. V. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adam:* non sequitur mortem tantùm nos ab Adam trahere: Dicit enim regnasse mortem etiam in eos qui non peccaverunt voluntate propria; sed non qui peccatum nullum nec originale haberent; alioquin curnam adeo gravi pœnæ subjecti fuissent? Sed cum nullum peccatum sit necessarium, ajunt, non videri, contrahi posse necessariò hoc originale peccatum: In quo considerandum est non absoluta necessitate contrahi, sed hypothetica quæ libertatem non excludit, qua peccatum a primo parente patratum est: Nec refert, quod peccatum fuerit Adæ dimissum: fuit enim illi dimissum uti privatæ personæ, non uti capiti morali humani generis, quo constitutus fuerat, ut justitiam originalem vel posteris conservaret, vel amitteret. Hinc etiam in filiis baptizatorum hoc peccatum transit, qui non generant ut baptizati, sed ut filii Adæ: Qui si Deus in filiis animas creat, naturam in se bonam creat, non

defectum quem contrahunt ut Adæ filii. Id autem fit ex finibus altissimæ providentiæ, quæ bonum commune præfert particulari bono, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 83. quæque non prætermittit naturalem ordinem conservare, ut animæ in corporibus ad hoc aptis creentur. Melius est enim animæ sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse, potissimum cum per gratiam possint ab eo defectu liberari.

CCLXXXVII. Ajunt tandem, non apparere, qua ratione peccatum illud propagari possit; ut enim opponebat Julianus apud Augustinum Lib. 2. de Nupt.... c. 28. = Non peccat iste qui nascitur: non peccat qui genuit: non peccat qui condidit; per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? = Cui Augustinus respondebat: = Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? = Statim ergo ac quis per naturalem generationem et creationem Animæ in corpore homo constituitur, fit et ipse per naturæ participationem et per moralem cum protoparente unionem originali culpæ obnoxius. Inde tamen non sequitur, a nuptiis esse abstinendum, ne infantes peccato obstricti multiplicentur. Nam peccatum originale non per se, sed per accidens consequitur generationem prolis. Conjuges enim si pii sunt, homines generare intendunt, qui per baptismum regenerati, Deum glorificent. Cum ergo peccatum illud per se et directè a generatione non sequatur, ut non secutum esset in statu naturæ innocentis, aut puræ naturæ; inde infertur, licitum esse matrimonii usum, præsertim cum inde multa bona orian-

tur, et humani generis conservatio. Verum hæc Religionis mysteria adoranda potius sunt, quam curiosius investiganda.

CCLXXXVIII. Quanquam prætereundum non est, ex omnibus Adæ filiis esse excipiendam B. Virginem Mariam Dei Genitricem, quæ a contrahenda originis labe immuni servata sit, quam Tridentina Synodus declaravit, non esse suæ intentionis comprehendere in Decreto de Originali peccato. Hinc Theologorum communis sententia est, B. Virginem, licet quantum ad debitum non esset ab ea noxa contrahenda immunis, nunquam tamen quantum ad actum hujus peccati maculam, ex singulari privilegio, ne in primo quidem suæ conceptionis instanti, contraxisse, sed liberam fuisse ab ea præservatam. Contra verò piam sententiam hanc vetat Ecclesia quemquam disputare, aut illam seriò impugnare audere.

CAPUT XIII.

DE ORIGINALIS PECCATI NATURA INQUIRITUR, DEQUE MODO QUO IN POSTEROS PROPAGATUR.

CCLXXXIX. Ut obscuræ de peccati originalis natura controversiæ lumen aliquod afferatur, operæ pretium est, nonnulla præfari de variis statibus naturæ humanæ. Intelligitur autem status nomine, *Certa quædam naturæ humanæ conditio in ordine ad ultimum finem*. Horum statuum quinque numerantur; quorum tres possibiles tantùm habentur: duo revera extitere. Hi posteriores sunt 1. *Status naturæ inno-*

centis, in quo primus homo constitutus est sine rebelli concupiscentia, sine ignorantia, expers mortis et miseriarum, cum supernaturali auxilio et ordinatione ad vitam æternam. 2. *Status naturæ lapsæ per Christi merita reparatæ*, qui est præsens hominum status, in quo remisso, antiquitus per fidem in Redemptorem venturum, et modo per Baptismum, reatu originalis culpæ, omnes ferme illius pœnalitates ad virtutis exercitium remanent, ut infirmitas, concupiscentia, mortalitas corporis, et comitatus miseriarum, quibus Dei auxilio et gratiæ usu medemur. Ex statibus autem possibilibus 1. recensetur *status naturæ integræ*, in quo esset homo sine peccato et sine gratia in ordine ad supernaturalem finem; at non sine auxilio naturæ indebito, quo posset impedire, ne appetitus sensitivus contra rationem insurgeret. 2. Est *status naturæ puræ*, idest sine peccato originali et sine ulla gratia indebita, sed cum solo Dei concursu et providentia sibi connaturalibus. 3. Est *status naturæ lapsæ non reparatæ*, in quo modo essent homines, nisi per Christum redempti fuissent.

CCXC. Hic autem magna quæstio exurgit, utrum scilicet status ille naturæ puræ possibilis sit; sive an habita ratione non tantùm potentiæ Dei absolutæ, sive in se consideratæ, sed etiam utrum habita ratione ipsius sapientiæ, bonitatis, et justitiæ, status sit possibilis, in quo nasceretur homo absque ullo dono supernaturali et sine peccato, sed cum iis perfectionibus et imperfectionibus, quæ naturam ipsam consequuntur; obnoxius proinde ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis, peccandi potestati, aliisque ærumnis ac tan-

dem morti. Id negant Bajanistæ ac Janseniani, contra quos statuimus = Statum naturæ puræ sub omni respectu possibilem esse = Id est non respectu tantummodo Omnipotentiæ divinæ absolutè consideratæ, sed respectu etiam ordinariæ divinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, justitiæ: (N. CVIII.) Contendunt autem nonnulli, etiam inter catholicos, potuisse quidem Deum absoluta potentia hominem in puris naturalibus condere; at non potuisse de potentia ipsius ordinata; idque non jam propter exigentiam creaturæ, sed propter decentiam Creatoris: id est, illi statui non esse debitum speciale auxilium; at verò Deum ipsum debere sibi ac providentiæ suæ, ut illi statui speciale aliquod tribuat auxilium, ut ajebat Thomas de Lemos. Itaque dona supernaturalia fuisse prorsus indebita conditioni creaturæ innocentis (ut sup. dictum est N. CCLXXIV. et V.), id quidem tenent catholici contra Bajum et Jansenium. An verò divinam Justitiam, bonitatem, sapientiam decuerit rationalem creaturam condere sine fine supernaturali ad cælestem ac æternam felicitatem, ac sine mediis ad illum finem perveniendi, disputant Catholici inter se, ac per distinctionem potentiæ absolutæ ac ordinariæ a Baji errore se declarant immunes. Verum de potentia quoque ordinata Statum naturæ puræ esse possibilem, affirmandum esse videtur; cum id cohæreat magis cum Ecclesiæ definitionibus, ac potissimum cum doctrina Bullæ *Auctorem Fidei*, in qua prop. XVI. Synodi Pistoriensis (quæ Adamo tribuit non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis atque primævam sancti-

tatem uti sequelam creationis: et innuit, statum hunc debitum fuisse ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium), declaratur *falsa*, *alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens hæresi pelagianæ*. Dicendum est itaque, potuisse Deum, salvis suis perfectionibus, dotes illas homini denegare.

CCXCI. Hoc verò ulterius ostenditur ex illa damnata Baji prop. n. 55. = Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur = excluso nempe tantùm peccato. Ergo inde sequitur, statum naturæ puræ esse possibilem, nec ullis divinis repugnare attributis; quod enim his adversatur, est simpliciter impossibile: *In Deo enim*, ut docet S. Anselmus, *quantumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas*. Sed est possibilis status ille; etiam de potentia itaque ordinata eum Deus condere potuit. Revera testantur Scripturæ, ex magna Dei Caritate factum esse, ut homo ad consortium Dei ordinaretur; ut 1. Joan. 3. habetur: *Videte qualem Caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*. At quod ex Dei bonitate fit, et ex mera gratia ipsius, id humanæ naturæ est prorsus indebitum; cum insuper absurdum sit dicere, tantam exaltationem, dignitatem tantam homini debitam fuisse, sine illa homo potuit ergo creari. Nam quod ajunt quidam, L. XI. de Civ. d. c. 17. docuisse Augustinum, = Privationem Caritatis vitium esse naturæ = Ibi non quod intendunt, docere voluit, sed tantum esse vitium naturæ recedere a Deo, non verò sine supernaturali caritate condi. Nam caritas duplici sensu accipitur. 1. La-

tè, sive pro quolibet amore rectitudinis et naturalis honestatis, cujus Deus fons est. Atque hoc sensu privatio caritatis vitium est naturæ, imo contra naturam, ut sine ea homo creari non potuerit; et hoc sensu loquitur Augustinus. 2. Strictè, seu pro amore Dei prout est auctor gloriæ, ac intuitivè videndus: et hoc sensu defectus caritatis vitium naturæ non est, ut sine illa creari homo potuerit; cum ea sit ex mera Dei liberalitate. Nec quidquam conficiunt adversarii, cum ajunt, juxta August. ibid. L. VIII. c. 8. gentiles philosophos, Platonicos præsertim naturaliter cognovisse, ultimum hominis finem in intuitiva Dei visione consistere: quod affirmare videtur S. Thomas 1. p. q. XII. A. 1. cum ait: *Inest homini naturale desiderium intuendi causam, cum intuetur effectum.* Quod cum frustraneum esse nequeat, inde sequatur, hominem ad supernaturalem finem et ad visionem Dei beatificam creari debuisse. Sed nos concedimus quidem, illos philosophos existimasse, finem hominis in visione Dei abstractiva consistere, sive ut Auctor naturæ est: at verò consistere in visione Dei intuitiva, inficiamur naturali lumine id internoscere potuisse: quam si cognoverunt, vel ex sacris libris, vel ex hebræorum doctrina, vel ex veteri quadam traditione notitiam hanc haurire potuerunt. Cæterum visio Dei intuitiva in præsenti ordine est quidem finis hominis ultimus: At in alio statu naturalem tantùm finem, qui in visione Dei abstractiva consistit, per species et creaturas, habere potuisset. S. autem Thomas loquitur de homine ut nunc est, et quatenus ad visionem ordinatur intuitivam, quæ per fidem et revelationem

ipsi innotescit, ex qua Deum videre desiderat in se, ut Gloriæ auctorem. In statu autem naturæ puræ hoc desiderium intuitivæ visionis Deus humanæ menti non indidisset, nec per revelationem unquam indicasset.

CCXCII. Opponunt præterea, quod juxta Augustinum sub Deo justo miser nemo esse possit sine peccato, et quin id mereatur; ut hinc status naturæ puræ cum miseriarum comitatu, quo afficeretur, possibilis esse nequeat. Verum, ut responsum demus, distinguendum est: sub Deo justo nemo miser, quin mereatur, idest, nemo punitur vel per privationem bonorum gratuito concessorum, vel per inflictionem pœnarum, quæ non sint conditiones naturæ, concedimus quidem: At non inde sequitur, creaturas præsertim rationales sub Deo justo nihil omnino pati oportere, neque id quidem, quod ex naturæ suæ conditione descendit, quodque proprium est naturæ ex anima et corpore constantis, quæ cum capax sit sensationis jucundæ, doloris etiam et ingratæ sensationis capax sit necesse est, nisi per miraculum id impediatur. Nimis alioquin argumentum probaret: demonstraret enim, Deum non potuisse hominem condere neque erroris intellectus, nec defectus voluntatis capacem, quæ gravioris momenti mala sunt; sed illum debuisset erroris expertem, et impeccabilem condere, quod tamen nemo contendit. Si autem imperfectiones hujusmodi conditiones sunt necessariæ creaturarum quæ sunt limitibus circumscriptæ; quid ni et dolores et alia physica incommoda ejusmodi erunt? Sufficit, quod in creaturis bona sint majora quàm mala; alioquin nullam Deus creaturam condere pos-

set, cui defectus a summa perfectione necessariò inhæret. Quanquam plura sunt mala, quæ sua malitia homines sibi consciscunt, quàm quæ a natura dimanant. Sed et arbitrandum est, in statu naturæ puræ miserias minus acerbas fuisse futuras, minusque vehementes concupiscentiæ motus; cum in hoc statu accedant depravati mores, vitia societatum, prava exempla, avaritia, ambitio, victus et vitiorum corruptelæ, a quibus malis plurimis atque ærumnis, si rectè homines viverent, facile esse possent immunes.

CCXCIII. Modo ut nonnulla de essentia originalis culpæ dicamus, quidam in ea assignanda per defectum errarunt, ut pelagiani, sociniani, cæterique increduli, de quibus supra (N. CCLXXXI.): alii aberrarunt per excessum, deteriorem hanc noxam statuentes quàm revera sit, imo talem, quæ injuriam irroget summæ Dei sapientiæ ac bonitati; inter quos Mathias Illyricus Lutheranus manichæorum insaniam renovans, voluit, hoc peccatum quandam esse substantiam malam naturæ nostræ admixtam et a dæmone productam. Quæ utique absurda sunt: nam peccatum substantia esse nequit, sed est pravum accidens aliquod minime animæ substantiam immutans. Quidam etiam antiquitus Massiliani dicti V. Ecclesiæ sæculo ita delirabant, ut vellent, per hoc peccatum Satanam habitare in homine, ac in eo dominari: iique dicebant, hoc peccatum non Baptismo, sed precationibus auferri. Protestantes autem universim docent, originalem noxam ipsam esse habitualem concupiscentiam, sive naturæ corruptionem, quæ ad peccata inducit. At hic error merito a Tridentino proscriptus

est Sess. V. Can. 5. cum ad Rom. VIII. habeatur: *Nunc autem nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*: id est, qui Baptismo sunt initiati; quibus tamen inesse concupiscentiam certum est. Non ergo in ea consistit originalis culpa. Hinc protestantes hoc peccatum per baptisma minimè deleri ajunt, sed tantum non imputari; ut propterea etiam in hoc a Tridentino damnentur; cum Ecclesia nunquam intellexerit, concupiscentiam peccatum appellari ab Apostolo, quod verè ac propriè peccatum sit, sed tantum ita dici per synecdochen, quia nempe sit peccati originalis effectus, et ad peccatum inclinet.

CCXCIV. Dispulsis hæreticorum erroribus, quid Catholici de hac re senserint, innuere oportet. Cum autem perdifficilis sit inquisitio de peccati originalis natura, ut noverunt Patres, de qua Augustinus l. 1. de Morib. Ecclesiæ c. 22. ajebat = nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius =; non mirum propterea videatur, si inter limites ab Ecclesia præfinitos non in eandem omnes sententiam concesserint. Et prior quidem inter Catholicos sententia est antiquorum quorundam, qui peccati hujus naturam ponunt in prava quadam et morbosa carnis qualitate, quæ in animam ipsam transeat, eo modo quo optimus liquor in vase fœtido inclusus inde fœtorem contrahit. Erat hæc opinio Gregorii Ariminensis; quæ cum parum differre videatur a protestantium errore jam refutato, est prorsus rejicienda. 2. Sententia eorum est, qui hujus peccati naturam positam esse censent in amissione originalis justitiæ, ut existimant Thomistæ plures, quibus S. Anselmus

præivisse videtur. Cum tamen jactura hæc sit peccati effectus, seu pœna ob peccatum inflicta, sentiunt alii peccatum ipsum constituere non posse; potissimum cum illa privatio possit reperiri absque peccato in statu naturæ puræ. Reponitur tamen, quod in hominibus in puris naturalibus constitutis defectus gratiæ esset per modum simplicis negationis: at in hoc naturæ lapsæ statu est per modum privationis, in quo privatur homo eo dono quo ante fuerat ornatus; et uterque status discrepat ut homo nudus a spoliato: hic nempe amisit, quod alter nunquam habuit. Itaque ob culpam primi parentis homines in statum lapsi sunt longè deteriorem eo, in quo fuerant a Deo constituti. Statim ac igitur quis naturaliter homo constituitur, cum in statu reperiatur ab eo diverso, quem Dei providentia primitus intenderat; idque per primi hominis actuale peccatum, fit et ipse per naturæ participationem, et per moralem unionem cum protoparente peccato obnoxius. Quare defectus iste, peccatum, sive defectus originalis merito dici potest, qui cum sit contra Dei ordinationem, merito ab ipso improbatur, et hic status naturæ lapsæ homini in vitium sive in defectum vertitur. Verum admittendo privationem originalis sanctitatis, sive *non conversionem animæ ad Deum*; nullo modo admitti posset *aversio animæ a Deo, et conversio ad creaturas*, in qua potius peccatum actuale consistit. Nam creari animam absque conversione ad Deum, id quidem sine injuria Creatoris intelligi potest, cum potuerit illam ita condere in statu puræ naturæ: at cum habituali aversione, dici non posset, quæ esset aliquid

reale, et Deus crearet peccatum in anima; quod absit. 3. Est illorum sententia, qui contendunt; hoc esse ipsum Adæ peccatum extrinsecè nobis imputatum quo pœnæ obnoxii reddimur; quæ est Pighii et Catharini opinio, quæ nonnullis erronea videtur; cum non sola pœna sed et culpa nobis cum Adam communis sit. Revera Tridentinum Sess. V. can. 3. statuit, peccatum hoc *transfusum esse in omnes, et inesse unicuique proprium*; 4. Est autem quarta sententia, quæ statuit, hanc noxam esse ipsum Adæ peccatum unicuique intrinsecè imputatum et proprium, singulisque in eo moraliter contentis communicatum: quæ communis sententia haberi potest, eaque aliis verbis explicare videtur, quod Ecclesia docet, nempe, omnes in Adam peccavisse, ac in eo prolapsum esse humanum genus. Hæc tamen sententia nodum non solvit, nec explicat, quænam sit hujus labis natura, nec quomodo in infantem nondum natum transfundatur. Quare et hæc in secundam sententiam relabitur, quæ verisimilior videtur, nisi judicium suspendere satius ducimus. Ne quis autem miretur, obscuram esse quæstionem hanc, cum plura in omnibus scientiis occurrant, quorum certa est existentia, quamvis eorum lateant essentia et proprietates. Placuit quippe Dei bonitati de hujus labis propagatione certos nos facere, ut omnes cum fiducia ad Redemptorem nostrum confugiamus; at ei non placuit, quænam sit illius natura nobis manifestare, ut propterea Tridentini patres ea de re nihil definiendum esse censuerint.

CCXCV. Par difficultas viget circa modum, quo hæc noxa in posteros transit, ut ob id Tridentini Pa-

tres rem hanc silentio præterierint. Ipse Augustinus ea de re ad Hieronymum scribens exemplum affert illius, qui in puteum lapsus interrogabatur, quomodo illuc ceciderit; quem respondentem inducit = Obsecro, cogita, quomodo huc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quæras =. Sed ponendum est, Animas nec ab initio omnes fuisse creatas, nec alias ex aliis traduci et propagari, quod Augustinus subdubitare visus est; sed creari quotidie a Deo iis instantibus, quibus corporibus uniuntur; ut modo certum est apud omnes. Qua posita de origine animæ sententia: prima opinio circa labis originalis transfusionem est eorum, qui dicunt, ideo eam transmitti, quia infunditur anima in corpus vitiatum, unde et ipsa inquinetur. Volunt autem vitiari corpus per concupiscentiam, ac transfundi, sicut podagra et aliæ morbosæ affectiones ad liberos a parentibus transmittuntur. Quod utique falsò supponitur, cum peccatum non sit in corpore, sed in anima, et concupiscentia in se non sit peccatum sed effectus et pœna peccati; præter alia quæ hinc sequerentur absurda. Hinc altera opinio est, non ab ulla causa physica esse hanc noxam repetendam, sed a causa morali: nimirum quod Deum inter et Adam pactum intercesserit, ut generis humani sors penes ipsum foret; supponiturque, posterorum voluntates, si extitissent, huic pacto fuisse liberè consensuras, ut propterea peccatum Adæ eis quoque imputetur. Verum pactum illud nulla est auctoritate suffultum: Deus autem non hypothetica peccata imputat, sed quæ actu patrantur. Alii itaque rem hanc ita componunt. Statuunt, Adam fuisse caput

constitutum naturale et morale simul humani generis quantum ad conservationem et amissionem originalis justitiæ, ut sic omnium nomine Dei præceptum vel servaret, vel transgrederetur. Addit Billuartus, hoc decretum fuisse Adæ manifestatum; alioquin Adam ut privata persona peccasset, nec posteris nocuisset. Addit etiam, id Deum jure facere potuisse, cum de re ageretur, quæ in bonum nostrum vertebatur, ut si talis conditio nobis hodie proponeretur, nemo eam prudenter recusaret. Et quidem Patres ita fere locuti esse videntur. Idque eo validius confirmatur, quod ageretur de donis in posteros transfundendis, quæ erant illis prorsus indebita, ac sola divina liberalitate concessa, quibus propterea absque injuria expoliari poterant. Verum licet sententia hæc probabilior videatur, incerta est tamen agnoscenda; ut adoranda sint occulta Dei judicia, et cum Ecclesia tenendum, hanc labem transfundi, etiamsi quomodo traducatur, scire nobis datum non sit.

CCXCVI. Quæritur hic: Utrum Adam non peccante, sed tantùm Eva, originalis noxa transfusa foret? Et respondetur, ex solo Adamo peccatum traductum esse in posteros, qui juxta Apostolum caput hominum constitutus erat, ad Rom. V. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. Eva itaque causa fuit remota et occasionalis hujus noxæ: At Adam in justitia stante, nihil labis ex ea homines contraxissent. Hoc autem peccatum in posteris omnibus æquale est agnoscendum, cum æque omnes in Adæ voluntate continerentur. Quare si in adultis non æqualis conspicitur ad malum propensio, id ex diversa

corporis habitudine oritur, ex peccandi occasionibus, auxiliis, exemplis, et ex bona educatione aut prava. Quantum demum ad alia peccata, nec Adam, nec parentes suæ progeniei morale caput constituti sunt, ut damnata sit ea Baii prop. 52. = Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima trangressio =.

CAPUT XIV.

DE PECCATI ORIGINALIS EFFECTIBUS ET POENIS.

CCXCVII. Plures jam indicavimus noxæ originalis effectus ac pœnas; quibus in vita homines tum quantum ad corpus, tum quantum ad animam affictantur. Nam 1. Immortalitatem corporis amisere, unde secuti sunt dolores, ægritudines, morbi, laborum necessitas, incommoda plura, ac tandem mors, quibus providentissimus Dominus homines in prima institutione liberaverat, ut fide catholica tenendum est. Consulatur Tridentinum Conc. Sess. V. Nam ut Ecclesiastici Cap. XL. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Verum hujusmodi ærumnæ quæcumque eæ sint justis ac piis hominibus ad virtutis exercitium, in bonum ac in meritum convertuntur. Quantum verò ad animam homines gratia sanctificante fuisse expoliatos, ac propterea fuisse in deterius commutatos quàm fuerit status ille beatissimus in quo primus

homo constitutus erat, ex eodem Concilio erudimur: a quo infelici statu nonnisi beneficio Redemptoris exurgere queunt. Quantum verò ad futuram vitam spectat, primo sequitur pœna damni, nempe æternæ vitæ et visionis Dei privatio. Deinde consideratur pœna sensus, sive cruciatus, quos certò illi incurrent, qui culpis actualibus polluti decedunt. Verum acris exoritur controversia, quænam sit infantium pœna sine baptismate defunctorum, et illorum omnium qui cum sola originali noxa moriuntur. Non parvi momenti hæc inquisitio censenda est, ut quidam ajunt; nam eò spectat non modo ut tot creaturarum sortem definiat, quæ lato calculo inito ad septuaginta millia millionum hucusque ascendunt; sed ut ipsius Dei O. M. providentiam, justitiam, ac bonitatem, quantum per Ecclesiam licet, ab incredulorum nostri ævi dicteriis ac blasphemiis vindicet, atque in tuto ponat.

CCXLVIII. Circa itaque controversiam hanc omnes catholici consentiunt adversus pelagianos vita æterna modo privari infantes absque baptismate decedentes juxta sententiam Christi Domini Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. In quo Patrum omnium et Conciliorum concors doctrina est. At iidem catholici non conveniunt in horum parvulorum statu ac pœnis assignandis. Et 1. sententia est nonnullorum, qui volunt, infantes Baptismate destitutos decedentes pœna aliqua sensus affici. 2. Alii existimant, nulla quidem pœna sensus cruciari, attamen de amissa cælesti beatitudine dolorem gravissimum experiri. 3. Contendunt alii cum Catharino et Card. Sfondrato naturali quadam

felicitate eos donari, quæ in naturali Dei cognitione et amore fundetur. 4. Demum plurimi censent, eos beatitudine etiam naturali destitui, nec ullum tamen dolorem ex illa privatione experiri; quæ S. Thomæ sententia esse videtur, quæque probatissima est. Harum itaque sententiarum quælibet tuta fide teneri potest. Ad rem autem quod attinet, id tantum demonstrare aggredimur, parvulos istos nulla afflictione, nullaque pœna sensus torqueri. Hæc sententia a XII. circiter sæculo ita invaluit, ut omnes ferme Theologi contra Gregorium Ariminensem, Sylvium, aliosque paucos eam propugnaverint. Licet verò apposita sententia ante illa tempora satis esset pervulgata, nunquam tamen simplicis opinionis limites excesserat.

CCXCIX. Quod itaque parvuli isti, et alii cum sola originali culpa decedentes nulla plectantur pœna sensus, inde eruitur 1.° Quia ubicumque Scripturæ de pœna sensus improbis inferenda loquuntur, semper præmittunt aliquid ad culpas eorundem actuales pertinens; ut Matth. XXV. aut 2. ad Cor. C. V. 2.° Apocalypsis C. XVIII. de peccatore sub figura babylonis habetur: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. At in originali peccato sicut nulla est actualis operatio, ita nulla sensibilis voluptas invenitur, ut ideo nulla ei sensibilis pœna debeatur. 3.° Patrés huic Sententiæ maximè favent, ut S. Gregorius Nazianz. vir avitæ fidei maximè tenax, qui Oratione XL. in Lavacrum de his parvulis habet: *Existimo futurum, ut nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur; utpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, impro-*

bitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quàm fecerint: neque enim quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur. Nyssenus quoque in Oratione de infantibus immatura morte sublatis, ait: *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus et mœstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt*. Ambrosius, Bernardus, Thomas, Bonaventura hoc ipsum clarè affirmant, qui pro principio assumunt, pœnam sensus actualibus culpis infligi. 4.° Id constat ex Innocentio III. in Decretal. L. 3. tit. 42. Cap. *Majores* ubi legitur: Pœna originalis peccati est carentia Visionis Dei: actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus. 5.° Peccatum originale juxta S. Thomam est aversio, seu potius non conversio ad incommutabile bonum, cui respondet pœna damni: Actuale verò est inordinata conversio ad creaturas, cui pœna sensus respondet. Originale igitur pœna sensus caret. 6. Hæc sententia ipsa ratione fulcitur. Nam hæc parvulorum damnatio ad ignem repugnare videtur Dei clementiæ; ut admittenda non sit, nisi evidenter ex divina traditione haberetur: de qua certè non constat. 2. Parvuli isti nullo conscientiæ angore affici queunt, qui nullum personale crimen commisere, ut de iis dici nequeat = vermis eorum non morietur = ut apud Isajam: hæc enim pœna pravæ ad creaturas animæ conversioni respondet, qua sunt pueri expertes. 3. Sicut princeps erga rebellem subditum, ita Deus injustus videretur, si Adæ liberos posterosque, qui voluntate propria non deliquerunt, non modo dignitatibus protoparenti collatis spoliaret, sed cruciatibus etiam torqueret. Non

ergo Deus ullis suppliciis, aut calamitatibus, quæ ex naturæ conditione non sequuntur, hos pueros addicit. Quod præterea conficitur ex facili objectorum, quæ urgentur, solutione.

CCC. Regerunt enim horum parvulorum tortores 1. illud apud Matth. c. 3. *Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili:* Sed, ajunt, infantes Baptismo non consignati triticum non sunt, paleæ sunt ergo comburendæ. Qui facile intelligere poterant, per aream esse accipiendam Ecclesiam, in qua boni cum malis, sicut triticum cum paleis, admiscentur. Parvuli ergo baptismate destituti ad hanc aream non pertinent, in quam per Baptisma solum datur ingressus. Verum instant: Matth. XXV. Omnibus qui a sinistris erunt in Judicio extremo dicetur = ite in ignem æternum = ergo et iis parvulis qui utique sinistram tenebunt. Illa tamen verba ad adultos esse dirigenda, qui erunt a sinistris, fit ex causali sequenti manifestum = esurivi enim et non dedistis mihi manducare = quæ illis parvulis nullatenus convenire queunt. Quid? ajunt: Nonne Apocalypsis c. XX. rotundè legitur? *Qui non est inventus in libro Vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* At pueri illi certè in libro vitæ scripti non sunt. Sed et hunc textum de adultis esse intelligendum ex antecedentibus liquet, dicitur enim v. 12. *Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum:* et rursus v. 13. *Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum:* De iis ergo sermo est, qui voluntate propria peccaverunt; quæ propterea pueris istis tribuenda non sunt.

CCCI. Provocant præterea ad Patres, ad Augustinum potissimum, Fulgentium, Gregorium M. Respondet tamen S. Thomas fidelissimus Augustini, aliorumque Patrum interpres. = Dicendum esse, quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ, cruciatus, vel si quid simile in dictis patrum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi =. Hæc S. Doctor Q. V. de Malo art. 2. Volebant itaque patres, pueros istos pœnam pati qualemcumque, et in damnationem, sive in exclusionem incurrisse a Regno cælorum. Cæterum, ut vidimus, alii patres mitiora sensere. Sed et Augustinus ipse mitissimam appellat horum infantium pœnam, qui lib. 2. de pecc. meritis c. 16. ait: *Potest proinde dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros*. Et l. V. c. Julian. hæc sedulò notanda subdit: *Quæ et qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quàm ut ibi* (in ea scilicet damnatione) *essent, potius expediret*. Videndus Muratorius de Ingen. moderatione l. 3. C. 1. et 2. Rursus tamen opponunt: Parvulos istos post resurrectionem non gloriosis sed passibilibus corporibus esse donandos; nec non in infernum detrudendos, cum in Conc. Florentino in Decr. Unionis definitum sit = illorum animas qui in mortali peccato, vel etiam cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen dis-

paribus puniendos =. Quibus reponimus, parvulos in resurrectione propria corpora utique fore accepturos; at qualia futura sint, scire nequimus. Cum non sint amplius morituri, erunt certè immortales. Verba autem Concilii Florentini = pœnis disparibus = non tantùm de inæqualitate, sed etiam de pœnarum diversitate esse intelligenda, ut alia sit pœna actualis, alia originalis peccati. Inferni quoque nomen diversimode ut notum est, cum in Scripturis, tum apud patres accipitur; ut non necesse sit, pro loco intelligere improbis excruciandis destinato. Quod ni ita esset, Ecclesia tot Doctorum sententias minimè tolerasset. Mens ergo Concilii fuit, definire, pueros istos damnationem incurrere, quæcumque tandem sit illa damnatio, quam noluit determinare. Tandem, quod ajunt, hos pueros pœnis sensibilibus in hac vita affligi, ut non implicet, pœnis plecti etiam in altera vita: Resolvit Bellarminus, respondendo, hujus vitæ ærumnas parvulis non infligi propriè ac directè propter originale peccatum, sed tantùm indirectè, ita ut sint illæ appendices naturæ humanæ originali justitia et immortalitate spoliatæ, quibus similia passi fuissent homines in puris naturalibus constituti. (Vid. sup. N. CCXC - XCII.).

CCCII. Ubinam verò hæ animæ parvulorum modo detineantur, non facile est definire. Communis sententia est, eas detineri in Limbo, qui parvulorum nuncupatur. Est itaque Zona, seu locus subterraneus iis, qui cum solo originali peccato decedunt, destinatus. Et hic fortasse est Limbo patrum, Purgatorio et Gehennæ vicinus, at neuter horum, ac potissimum a

loco ignis remotus, qui in Scripturis peccato inquinatis et impiis designatur. De his receptaculis constans et communis sententia est, quod in telluris visceribus recludantur, ubi degant animæ, quibus cælum nondum patet, etiamsi nonnullæ aut in aere, aut super terram, aut alibi detineri possint. Quærenti autem: quidnam de statu horum parvulorum post corporum resurrectionem sentiendum sit? Responderi potest: Non videri esse rejiciendam illustrium doctorum sententiam Salmeronis, Lessii, aliorumque, quibus faverè videtur S. Thomas L. c. nec non in 2. Sent. Dist. 33. q. 2. Qui censent, parvulos istos ex summi Conditoris clementia Orbem terrarum pulcherrimè renovatum fore habitaturos. Sententiam hanc exornavit nuper Vincentius Barsanti Ord. Prædicatorum Florentinus Opere italicè conscripto. (Huic operi titulus est: *Della futura rinnovazione dei Cieli e della Terra, e de' suoi abitatori*: (Firenze) MDCCLXXX. in 4.°)

CCCIII. Itaque hic Auctor ex S. Thoma, Hier. Savonarola, Alberto Pighio, Catharino, Molina, Martinez, Alphonso Salmerone, aliisque pluribus ostendere nititur, parvulos istos super tellurem hanc renovatam collocatos naturali quadam felicitate fruituros. Nam cum in his naturales proprietates per peccatum originis diminutæ non sint, eis ergo assignandus locus est, qui eorum naturæ sit consentaneus. Deinde si pœna quavis sensibili futuri sunt immunes, haud alia sedes eis congruentior destinari posse videtur. Qui si tunc in Limbo detinebuntur, Paludanus et Suarez existimant, in telluris renovatione eam reddendam esse pellucidam ad hunc Limbum usque, ne hujus

Limbi incolæ nimium sint miseri, si perpetuis tenebris offundantur. Sed hi erunt præterea impeccabiles, cum sint in termino, et naturali Dei cognitione, sive abstractiva, potientur, nullamque cupiditatum pugnam ac rebellionem poterunt experiri. Ex privatione autem cælestis Gloriæ nullum aut minimum experientur animi dolorem, ut sentiunt S. Bonaventura, Bellarminus etc. et pluribus ostendit S. Thomas in 2. Sent. Dist. 33. q. 2. et alibi. Contendit itaque cum Card. Sfondrato, aliisque, Barsantius, parvulos istos in florida juvenili ætate resurrecturos impassibiles et immortales, ut perpetuò futuri sint hujus Telluris incolæ, vitamque ducturi tranquillam, æternam, felicem, et mutuò conversantes, sintque præterea Deum benefactorem suum naturali dilectione aliquo modo amaturi. Asserit etiam, futuram in eis scientiam satis perspicuam rerum naturalium ferme omnium, vimque philosophandi magnam. Quid enim id prohibet? Qui corporis pondere non gravabuntur, nec potu aut cibo indigebunt? Quod etiam erui potest ex perfecta constantique organorum constitutione in resumptis corporibus, et ex aliis, quæ apud Sfondratum in *Nodo prædestinationis*, et apud laudatum Barsantium legi possunt. Hæc tamen rigidi quidam auctores, inter quos Jac. Hyacinthus Serry in Prælectionibus, acriter insectantur. Quorum declamationes, cum nulla solida ratione fulciantur, et multa in iis sibi precatio confingant, non videntur esse attendendæ, ita ut exposita sententia, cum non modo nulla censura notetur, sed insuper validis roboretur argumentis nec non incredulis arma surripiat, probabilis admodum habenda est, ne certam eam dicam et exploratam.

COROLLARIUM.

CCCIV. Tria maximi momenti argumenta in hujus Tractationis serie contemplati sumus, ad quæ oporteret, ut non Theologi modo sed et quotquot sunt homines studium omne curamque referrent: Deum nempe optimum Maximum nostri Auctorem ac Dominum: Hominem ab ipso conditum et ad beatitudinem ordinatum: ac demum reliquas res creatas omnes. Quid præstantius, quid gravius, et quod nosse nostra referat magis? Vidimus providentissimum hunc Dominum in se perfectissimum ac beatissimum summopere de nostra felicitate sollicitum, ut enormis insania sit, nolle eum colere, eique obsequi et obtemperare. Qui, ne aberraremus in eo cognoscendo ac, ut par est, celebrando, suas nobis perfectiones rata ac firma ratione manifestare fecit, et quidnam operari nos oporteret, ut beati essemus, aperuit. Id in superiori Opere *De principiis Theologiæ naturalis et revelatæ* satis demonstrasse confidimus: multa quoque in hac Tractatione attigimus; ut si quis non his persuasus existat, neque, si quispiam a mortuis eum moniturus resurgeret, credat. Nec sibi quis blandiatur, quod dicat, se Deum agnoscere, qui rebus prospiciat humanis, et hac notione contentus sibi plaudat, quasi religionem sequatur. Nam Religio propriè nil aliud esse potest, quàm recta de Deo cognitio, et legitimus cultus quo nos eum prosequi par est, cui sincera voluntas adhæreat hunc ei cultum debitum impendendi: Cultus verò est ratio et modus, quo justa hæc officia erga

Deum absolvimus. Hanc Religionem Deus ipse docuit humanum genus; nec Religio vera aliunde unquam esse posset. Quam itaque sibi homines fingunt, esse nequit, nisi superstitio Deo valde injuriosa. Oportet ergo, ut qualem se esse dixit, et coli mandavit, eum fateamur et cultu prosequamur: quod in sinu dumtaxat Catholicæ Ecclesiæ haberi, ii tantum inficiari audent, qui pro lubito et exleges cupiunt vitam agere. Extra Ecclesiam hanc profana omnia, et quorum pudere debeat incredulos; qui nullam hinc prætendere excusationem valent, maximè qui ab ea apostasiam faciunt. Non Evangelii receptio absque Ecclesiæ hujus magisterio: non lex, quam sibi pro lubito quisque statuat: non quæsita probitas ulla sine obedientia huic solæ Dei Ecclesiæ quemquam juvare queunt. Hæc est lex divinitus sancita, sine qua nec Dei voluntatem scire, nec ei placere, nec debitam erga ipsum Religionem colere unquam possemus. Noverint minuti increduli, qui hæc quasi exoleta oblivioni mandari vellent, ea esse æterna, quæque nulla poterit abolere vetustas: noverint, veram hanc Religionem non indigam esse nostri; at nos hac Religione egere, si non miseri, sed felices æternùm esse voluerimus. Quicumque ergo sui ipsius hostis non sit, animo et opere huic veritati adhæreat.

CCCV. His potiora cohærent, quæ de hominum statu, de constituto eis fine, deque divinis auxiliis tradita sunt, a quibus nemo nisi errando recederet. Hanc hominum conditionem, quam nobis divina revelatio patefecit, et a corruptis vulgi erroribus segregavit, in multis diffusæ per orbem traditiones

confirmabant, ut vidimus. Quanti verò intersit, ut hæc probè noscamus, veteres ipsi ethnici philosophi pervidebant. Tullius in libri *De Finibus bonorum et malorum*, in quibus epicureismum invictè explodit, hanc inquisitionem, tunc inventu difficilem, cæteris scientiis et artibus meritò anteferebat. ubi l. 1. c. 4. scribit = Qui diligenter hæc legere assueverit, judicabit, nulla ad legendum his esse potiora: quid est enim in vita tantopere quærendum, quàm, quid sit finis, quid extremum, quid ultimum, quò sint omnia benè vivendi recteque faciendi consilia referenda? Quid sequatur ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat ut extremum malorum?= Idem exoptabat Persius, qui Sat. III. ita incautos graviter admonebat

,, ... Venienti occurrite morbo:
,, Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
,, Discite que, o miseri, et causas cognoscite rerum:
,, Quid simus, et quidnam victuri gignimur: Ordo
,, Qui datus, et metæ quam mollis flexus, et unde.
,, ... Quem te Deus esse
,, Jussit, et humana qua parte locatus es in re...

Hæc interim a nobis, (qui ingenti beneficio hæc e Cælo accepimus, nulloque labore didicimus); hæc, inquam, quæ vitam continent omnem, neglecta a nobis, imo et contempta respuentur? Ita non raro fit; ut mirari nequeamus sæculi hujus perversitatem. Felix, qui a seductione et a serpenti hac labe se immunem servabit! Tertium tandem hujus opellæ argumentum erat mundus iste, cujus aspectus et contemplatio de peculiari erga nos amore, cura et benevolentia neminem, qui mente polleat, sine immani

piaculo (N. CCVII.) ambigere sinit. Qui ergo cupiunt esse veri sapientes, ea animadvertant, quæ ad gentiles philosophos ajebat olim Lactantius Firmianus, philosophus et ipse ac strenuus sanctæ nostræ Religionis vindex Lib. IV. Divin. Inst. c. 3. ubi hæc diligenter adnotanda profert = Non est illa vera Religio judicanda, quæ nullis justitiæ virtutisque præceptis erudit, efficitque meliores. Itaque philosophia, quæ summam pietatem non habet, non est vera sapientia. Nam si Divinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus hominum sustentat, et quasi paterna indulgentia fovet; vult profecto gratiam sibi referri, et honorem dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cælestibus beneficiis existerit ingratus; quod non est utique sapientis. Ubi autem sapientia cum Religione cohæret, utrumque verum esse, necesse est.... Idcirco et in sapientia Religio, et in Religione sapientia est. Ergo non potest segregari; quia sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis et piis cultibus honorare. =

FINIS.

ANACEPHALAEOSIS

DE REBUS DIVINIS

Cap. IX. *Vocem Homousion recte adhibitam ostenditur.*

Cap. X. *De Spiritus Sancti divinitate.*

Cap. XI. *De Spiritus S. processione a Patre Filioque.*

SECTIO III. *De Deo Creatore.*

Cap. I. *Deum condidisse mundum ostenditur.*

Cap. II. *Quaesita quaedam circa Creationem.*

Cap. III. *De sex dierum opificio.*

2



Angelica Kauffman inv. e dip. *Morghen incise*

CARITAS IN DEUM

Dirigatur, DOMINE, Oratio mea
sicut incensum in conspectu Tuo.

Psalmo 140.

DE CULTU SACRO

DISSERTATIO THEOLOGICA

ET

DE NOVISSIMIS

DISSERTATIO ALTERA

STUDIO

FR. CONSTANTINI M. BATTINII

ORD. SERV. B. V. M.

IN PISANA IMP. ET R. ACADEMIA

SAC. THEOLOGIAE LECTORIS

PISIS

EX TYPOGRAPHEO PROSPERIANO

M . DCCC . XXIX.

CANDIDO LECTORI S.

In hoc Rerum Theologicarum Volumine binas exhibemus Dissertationes, quibus Argumenta comprehenduntur, quæ in quinque antea editis voluminibus congruum aptumque sibi locum non arrogabant. Pertractatum est primitus duobus voluminibus De Principiis Theologiæ, *sive de Locis Theologicis præmisso* De Veritate Catholicæ Religionis *Tractatu Pisis impressis an.* 1823-24. *in* 8.° *Unico deinde Volumine ibidem cuso an.* 1826. *in* 8.° *peractum est* De Rebus Divinis, *nempe De Deo O. M. divinisque Attributis, deque SS. Trinitatis Mysterio, nec non de Creatione rerum, ubi de Angelis, ac de primo Homine potiora attigimus; ut etiam, quæ ad ejusdem lapsum, et ad noxam originalem in ejus posteros transfusam pertinent, prætermissa non sunt. Hinc ad Redemptionem ostendendam, qua placuit divinæ Clementiæ huic humani generis ruinæ mederi, gradum fecimus; per quam nempe* Deus Pater propter nimiam Caritatem suam, qua dilexit nos, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *De hoc salutifero Incarnationis Dominicæ Mysterio, ac de consectariis ejusdem egimus duobus sequentibus voluminibus Pisis pariter editis annis* 1827-28. *ac titulo insignitis*, De Mysteriis Gratiæ divinæ.

In his verò, postquam ex veterum Prophetarum vaticiniis characteres futuri Redemptoris seu Messiæ antiquis Patriarchis promissi designavimus ac invictis ostendimus argumentis, Messiam hunc jamdu-

dum ac statuto a Prophetis tempore in mundum advenisse demonstravimus. Hunc autem nullum fuisse alium præter Jesum Christum Dominum nostrum, in quo cuncta oracula, signa, et figuræ veteris Mosaicæ Legis adamussim impleta sunt, per singula discurrendo manifestum fecimus. Sed et argumentis propriis, miraculis nempe vaticiniis suis, vitæ sanctitate, ac doctrinæ præstantia, aliisque innumeris Christus Dominus suæ Missionis divinitatem Orbi universo palam fecit; ut qui Eum humani generis Redemptorem, verumque Dei Filium confiteri renuunt, nulla excusatione digni haberi queant, ut ipse testatur in Evangelio (Joan. XV. 22. 24.): Si non venissem, et opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. *Dehinc Mysterii hujus veritate, convenientia, et proprietatibus juxta catholicæ Fidei Regulam adversus antiquos et recentes hæreticos in tuto positis, ad agendum* De Mysteriis et Annis Christi Domini *progressi sumus, sive de Actibus et epochis ejus vitæ et mortis, quo ipsius gesta mysteriis plena declararentur et ab insanis incredulorum dicteriis et calumniis vindicarentur. Hæc Pars Critico-Theologica negligenda non fuerat hisce moribus atque temporibus, quando nefarii homines contra Evangelicam veritatem impias cervices erigere ausi sunt, et venenum evomere exitiosissimum. Ut ergo contra horum blasphemias improvidi juvenes cauti fierent, ad Tractatum de Incarnatione Domini hanc Partem adjicere visum est opportunum. Consectaria exinde hujus Mysterii, uti sunt Gratia Christi, Virtutes Theologicæ Fides, Spes, Caritas, nec non Sacramenta Novæ Legis totum hoc argumentum* de Mysteriis Gratiæ Divinæ *absolvunt.*

At nonnullæ aliæ supererant disputationes a recensitis argumentis distinctæ, eæque maximi ponderis, quasque pertractare oportebat. Itaque has binas addere Dissertationes censuimus, quæ illas complecterentur. In harum prima, quæ est De Cultu Sacro, *Ecclesiæ Catholicæ ritus tuemur circa sanctorum Cœlitum Venerationem et Invocationem, nec non circa Sacrarum Imaginum et Reliquiarum cultum, unde hæretici ineptè atque iniquè motiva captant Sanctam Ecclesiam superstitionis insimulandi. Eis ergo ostenditur, quanta cum injuria, quantaque cum ignorantia aut malignitate id facere audeant. Et quidem quisnam inficias iverit, æquum esse, ut eos sanctos viros honore debito prosequamur, in quibus mirabilis ipse Deus esse dignatus est, quibus* ipse dedit virtutem et fortitudinem; *uti Psalmo LXVII. habemus: quos Deus glorificavit quos principatu quodam, ac sceptro et decoris corona distinxit, ut Sapientiæ c. V. 17. asseritur?* Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum... Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: *Imo Christus Dominus vult, ut hi secum sedeant in Throno suo, Apocalypsis c. III.* 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo. *Et Joan. XVII.* 24. Pater... volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum. *Cur etiam Reliquias et Sanctorum Corpora, uti decet, non venerabimur, per quæ mira Deus non raró operatus est, et per quæ defuncti quoque ad vitam rediere, ut in sacris Literis legimus; et quæ tandem gloriosa resurrectura sunt ac ad sedes cœlestes elevanda, uti testatur Apostolus 1. ad Corinthios c. XV.? Nam ut habet Propheta Daniel c. XII.* De his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam. *Cur demum Cruci Domini, seu signo redemptionis nos-*

træ cultus non erit exhibendus, in quo Apostolus tantopere gloriabatur, in quo Christum patientem adoramus, et in quo salutem humani generis ipse constituit? Oportebat ergo, hæreticos vecordes arguere, et catholici cultus tueri æquitatem.

Alteram de Novissimis *Dissertationem adjecimus, qua argumenta plura cum scitu jucunda, tum cognitu necessaria comprehenduntur. Nam præter ea quæ pertinent ad ultimum hominis finem, ad animorum immortalitatem, ad mortuorum corporum resurrectionem, ad extremum universalis Judicii diem, nec non ad improborum punitionem, et ad perennem Beatorum felicitatem; locus præterea datus est de Purgatorio agendi, deque Indulgentiis, unde pestiferi novatores ansam arripuere conflandi infandum schisma, quo Christi Ecclesiam perturbare, ac si fuisset possibile, funditus evertere moliti fuerant. Verum cum Ecclesia hæc supra firmam Petram sit a Domino ædificata, vani eorum conatus fuere, et contra hunc scopulum et petram solidissimam confregerunt tumentes fluctus suos. Tanta fuit tamen horum hæreticorum insania, qui, ut catholicis potius negotium facesserent quàm alia de causa, nullum ferme Religionis dogma intactum reliquere, quin illud aut perverterent, aut oppugnarent, aut nova etiam errorum monstra evomerent: At contra accidit; nam divinus Spiritus homines in Ecclesia sua excitavit sapientia plenos, qui hæreses erroresque revicerunt omnes, eorundemque ostenderunt fœditatem, ut qui restiterunt, manifestæ restiterint veritati: itaque et in hoc illud Christi oraculum impletum est, Lucæ XXI. 15. prolatum:* Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Interim Ecclesia Sancta, quæ sicut Arca Noë levabatur in su-*

blime super has inundantes aquas criminum et hæreseon, dum ruinam lugebat et naufragium tot hominum furiosorum, manus eis porrigebat, ut salvarentur in Arca, veritatem modis omnibus eis suadere curabat, hortabatur, orabat, et puram ostendebat Evangelii lucem; at ex iis plures perstringebant oculos, mentem avertebant, et excæcabat illos malitia eorum, *malueruntque perire errorum gurgitibus obruti, quàm ad salutiferam Ecclesiæ Arcam reverti. Verum ex infando eorum facinore tantum abfuit, ut sanctæ Ecclesiæ doctrina detrimenti aliquid passa fuerit, quin magis potius magisque declarata sit, et invictis argumentis in tuto posita et confirmata. Hæc enim illa est Ecclesia,quæ* supra firmam petram ædificata est, *quæque ut ait Apostolus,* Columna est et firmamentum veritatis. *Quare, qui supra hoc solidum fundamentum construit, ut monet Christus Dominus Matthæi Cap. VII.* 24. Assimilabitur viro Sapienti, qui ædificavit Domum suam supra Petram: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra Petram. *Ex adverso autem, qui hoc deserit fundamentum, qui Ecclesiæ non paret auctoritati; atque ut ibidem testatur Dominus:* Omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. *Tales utique se produnt hæretici et increduli omnes, qui relicto Ecclesiæ fundamento contra quod portæ inferi prævalere non possunt, super imbecillum suum et privatum judicium ædificant, aut super pravos suos affectus, vel etiam super depravata aliorum privatorum judicia, et ludicra opinamenta, quibus nihil instabilius, fragilius nihil esse possit.*

Dum interim nos miseret horum aberrantium hominum, nostra hæc argumenta supra solidam catholicæ Ecclesiæ Petram pertractare pergimus, et potiora dogmata absolvere polemicæ Theologiæ, serpentes undique errores oppugnando et revincendo. In his itaque argumentis quæ Ecclesia sancivit, ejus decreta sanctè tueri ac servare sategimus: in his verò quæ nec definivit, nec teneri jussit, communes sententias amplecti curavimus et quæ momentis validioribus fulcirentur. In omnibus autem, post S. Thomam Theologorum facile principem, præstantiores sacræ hujus facultatis Doctores consuluimus Bellarminum, Petavium, Calmetum, Tournelyum, Bertium, Gazzanigam, Generum, Bergierium, Card. Gotti, aliosque eruditos viros, quorum etiam verbis aliquando usi sumus, cum aptè argumenta exponunt, quæ melius a nobis declarari non posse sentiremus. Nec enim ii sumus, qui ex nostro tenui ingenio haurire omnia compotes esse putemus; at satius censuimus, ac melius tyronibus consuluisse, si, apum instar, flores hinc inde colligeremus, ac veluti in alveare quodam expressos et ordinatos exhiberemus, additis a nobis pluribus aut explanatis, quæ opportuna et congrua videbantur; ita ut hæc nec nostra omnino, nec omnino non nostra haberi queant. Cæterum nec diligentiæ, nec labori pepercimus, quo hæc nostris auditoribus apta fierent, atque accommodata. Dabam Pisis Kal. Martii a. MDCCCXXIX.

DE CULTU SACRO

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

THEOLOGICA DISSERTATIO.

I. Quantum intersit, ut Cultus sacer Catholicæ Ecclesiæ exponatur et vindicetur, satis superque ostendunt non modo incredulorum sed et hæreticorum hominum libelli, irrisiones, dicteria quibus Cultum hunc aut contemnunt aut vituperant, idque tanta rei ignoratione tantaque impudentia, ut cordatus nemo crederet, homines, qui sano se pollere judicio ajunt, tot inepta aut subdola in catholicos Ritus consarcinasse. Hujus effrænis licentiæ testes habemus Mussardum, Jurium, Zimmermanum, Midletonum, et alios inter heterodoxos non paucos (aliis tamen contradicentibus), qui dum inhoneste hunc religiosum Cultum carpunt, deistis atheisque recentioribus monstrarunt viam, qua in sacros Ecclesiæ Ritus debaccharentur, et injuriam facerent sanctissimæ Religioni. Quisnam profecto, suspicatus esset, homines inveniri potuisse, qui post tot sæcula quibus melior Orbis pars Deum Cultu purissimo resque peculiari modo ad Deum pertinentes honorat, in tantam laberentur impietatem, ut Creatori suo, Conservatori, Provisori ac Domino sapientissimo, potentissimo, beneficentissimo obsequium cultumque debi-

tum abnegare auderent? At cum hoc genus hominum ingratissimorum non sit veritum præcipuè hoc ævo frontem contra Deum erigere, operæ pretium erit, hanc infandam impietatem arguere ac potiora dissolvere sophismata, quibus tantum facinus contegere moliuntur.

II. Hos tamen divini Cultus osores in sectas plures divisos considerare est. Alii quippe quemcumque Cultum non modo externum sed et internum abjiciunt: alii externum tantùm impugnant; atque priores quidem inter atheos tutò amandantur, posteriores autem deistæ dicuntur sive naturalistæ. Sunt verò, qui in catholicæ Ecclesiæ Cultum tantummodo garriunt, quem pro lubito resecare ausi sunt, iique hæretici recentiores habentur, qui cultum sive internum sive externum non ex Scripturis Sanctis, non ex Traditione divina aut Ecclesiastica, sed ex proprio ingeniolo sibi cudere ambiunt. Et atheos quidem ac naturalistas jam in Opere *De Principiis Sect. I. Cap. II.* paucis utique, sed tamen invictè refutasse censemus. Sanè non quod cultu nostro Deus indigeat, laus ipsi et honor est impendendus; sed cum sit Deus ipsa sapientia et justitia, sitque Deus ordinis et æquitatis, quidquid justum est suæque sapientiæ consentaneum et vult et præcipit: qui ni id juberet, nec justum se, nec sapientem ostenderet, nec ordinis amantem et æquitatis: At *Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest*, ait Apostolus 2. ad Tim. 2. 13. Cum ergo ab ipso nos in omnibus pendeamus, sitque nostri Auctor et Dominus, omniumque bonorum largitor, nec non ad ipsum ut in finem directi simus, ab ipsa ducimur ordinis et æquitatis lege, ut ei subjecti simus, eidemque obsequium, honorem, obe-

dientiam, cultumque præstemus. Hinc Deus ipse apud Malachiam prophetam c. I. v. 6. ingratum hominum perfidorum animum his vocibus arguebat: *Filius honorat patrem, et servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus; et si Dominus ego sum, ubi est timor meus*. Non tamen sufficit agnovisse, quod æquum sit, ut cultus et honor Deo ab hominibus exhibeatur; at præterea hic cultus rectus sit oportet ac Dei majestati conveniens eidemque acceptus. Verùm ratio humana sibi relicta cultum hunc Deo gratum nequit certò cognoscere; et præcipuè cum homines, quod sæpe contingit, contra conscientiam egerint, ignorant prorsus, quanam via et modo queant divinæ satisfacere justitiæ, ac in Dei gratiam redire. Nec enim ab humano arbitrio potest hæc satisfactio pendere, sed ab justa Dei voluntate exigenda est. Cum verò in necessariis Deus non desit, dicendum est cultum hunc et satisfactionis modum nobis manifestasse. Hanc autem manifestationem revera fuisse factam Catholica Religio invictè testatur, ex qua erudimur, internum cultum, quo debitus honor Deo dandus est, in obedientia ejus voluntati consistere atque in Actibus Fidei, Spei, et Caritatis, quo nullus sublimior ac Dei majestati dignior esse aut impendi posset: externum verò cultum in usu præcipè Sacramentorum ac in aliis Ritibus a catholica Ecclesia sancitis positum esse, omnia evincunt. Breviter: Interni Religionis actus sunt *devotio*, et *oratio*: Externi verò quatuor præcipui numerantur, *Adoratio*, *Sacrificium*, *juramentum*, et *votum*, quæ ab Ecclesia probentur. Ut enim ex Evangelio certi reddimur, hæc est Ecclesia a Christo Domino edocta, quam invisi-

bili sua præsentia ita gubernat ac regit, ut errare omnino non possit; quæ omnia in Opere *De Principiis* supra memorato apertissimè demonstrata sunt. Qui ergo divinam respuunt Revelationem, agnoscere quidem coguntur, rectum cultum esse Dei majestati impendendum, sua tamen culpa ignorant, aut ignorare fingunt, qualis esse debeat cultus iste, atque in gravissimo errore versentur necesse est. Revera omnes populi vetustiores persuasi erant ex antiquissima traditione, esse Deo gratos religionis actus et sacrificia quædam mentis pietate ac obsequio oblata, sicut ea probaverat in Abele, Noe, Abrahamo et cæteris patriarchis; licet in hujus cultus applicatione populi postea longè erraverint. Deistæ ergo qui hæc parvi pendunt, et communi omnium consensioni et ipsi divinæ ordinationi resistunt.

III. Hinc hæretici homines qui in catholicos ritus perpetuò obstrepunt et clamore immodico vociferantur, non æquo animo duci, sed atroci fascinari invidia et odio, facile convincuntur. Nam 1. Divinam Revelationem hæretici isti agnoscunt, atque ex Sacris Literis omnia dirimenda esse volunt. At nullus est Catholicæ Ecclesiæ Ritus, cæremonia nulla, cujus non modo in Veteri, sed et in Novo Testamento non suppetant exempla plurima. Cur ergo in hos ritus heterodoxi insano impetu invehuntur, quos Scriptura Sacra vel approbat, vel commendat, vel iis certè non adversatur? 2. Ut quid hi Ritus adversarios offendunt, quos ratio et natura ipsa nobis dictat ad animi sensa et pietatem significandam? ut sunt prostrationes, genuflexiones, manuum elationes, cantica, supplicationes, processiones ad Loca Sacra, devotæ peregrinationes, vota, jejunia et alia

hujusmodi; quos actus sacrarum Scripturarum auctoritas probat ac laudat, et quos naturam ipsam monuisse gentes omnes recentes et vetustiores censuere? Quæ autem contra catholicos recensitos ritus, et alios quos adhibet Ecclesia, objicere solent heterodoxi vel falsa sunt, vel inepta, vel certè viris eruditis indigna. Ajunt exempli causa nonnullas cæremonias similes inveniri ritibus ethnicorum, et Ecclesiam cum illis habere communes. Quod etiamsi verum esset, quid inde? Non in his externis actibus, non in materiali horum signorum usu error consistit: Non in Templis, non in Aris, in oblationibus et sacrificiis, non in suffimentis, tædis, aqua lustrali, vasis aut vestibus stat religionis summa; at verò in cultus objecto et in animi sententia, quæ cum falsa et impia essent in ethnicorum cultu, meritò et illorum intentio et horum signorum usus condemnabantur. Recta sit intentio, sit animi sententia justa, et sancta doctrina quæ cultum regit, atque hæc signa externi cultus pura et sancta erunt. Sed jam diximus horum signorum plura ab ipsa natura indicari. Nec opus erat, ut Ecclesia ab ethnicis horum quidquam mutuaretur; cum potius certum sit, ethnicos a patriarchis et a vetustis traditionibus ea accepisse. Quantum ad sacrarum Imaginum cultum, sanctorumque invocationem plura dicenda occurrent, quibus heterodoxorum convicia facile retundentur.. Quamquam si perpendere sedulò voluissent, quæ de Invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum, ac de sacris Imaginibus Tridentina Synodus docet ac præcipit Sessione XXV. ad saniorem mentem reversi essent. Hinc nonnulli inter Protestantes, ut celebris Leibnitius in *Theologiæ Systemate* (*a Paris* 1819. *in* 8.), cum

hujus synodi doctrinas amoto partium studio attentè considerassent, juxta catholicorum fidem his de rebus locuti sunt.

IV. Sed antequam Tractationem hanc ingrediamur, notiones de Religione et de Cultu sacro dandæ sunt, quo omni sublata vocabulorum ambiguitate hoc argumentum tutius perlustremus. *Religio itaque est virtus, per quam homo debitum honorem et cultum Deo uti rerum omnium principio exhibet*. Hinc Religionis finis est Deus, et religionis objectum est cultus qui Deo impenditur. Licet autem Religio virtus Theologica non dicatur, cum non sit Deus immediatum ejus obiectum, uti sunt Fides, Spes, Caritas, est nihilominus maxima inter morales virtutes, ut ea quæ propinquius Deo accedit. Hujus Virtutis actus Cultum Sacrum et religiosum constituunt, qui definiri solet: *Actus quo Deum propter ejus eminentem perfectionem et supremum in res omnes dominium honore prosequimur et veneramur eidemque subjicimur*. Hic est Cultus divinus; de quo alibi, ut supra innuimus, pertractatum est. Cultus tamen notio, ejusdemque partitiones variæ sunt hic distinctius enucleandæ. Cultus itaque generatim definiri potest: *Actus quo aliquem propter illius excellentiam veneramur*: sive, est exhibitio honoris cum aliqua submissione alteri factà ob quandam illius excellentiam. Quare cultus iste diversus erit pro excellentiæ illius diversitate cui cultus redditur. Antiquitus hic cultus *adoratio* quoque dictus est. Dividitur autem 1. in cultum *civilem* et *religiosum*: prior hominibus in potestate constitutis exhibetur, ac in dotibus fundatur civilibus et naturalibus; ita principes, reges, et parentes coli-

mus: *religiosus* motivo fundatur religionis, atque a dotibus et prærogativis supernaturalibus pendet ac derivatur. 2. Cultus iterum duplex distinguitur, *Absolutus*, et *relativus*: Absolutus est ille; quo aliquis colitur propter excellentiam sibi propriam et inhærentem: relativus autem exhibetur alicui propter excellentiam alterius ad quem peculiarem habet relationem, ut cultus imaginum. Sic Regis personam *absolutè* ac per se veneramur: at illius effigiem *relativè* dumtaxat colimus, prout nempe Regem exhibet, ut cultus in ipsa effigie non sistat, sed ultra directus sit, ad ipsam nempe personam Regis; quod sedulo notandum est. 3. Præterea religiosi Cultus seu adorationis duo sunt genera distinguenda, ut unus sit *Cultus supremus* ac soli Deo debitus: alter longè *inferior*, qui Sanctis Angelis aut hominibus a Deo donis supernaturalibus honestatis impenditur. Et cultus quidem supremus nullos suscipit gradus, quo nullus major esse aut exhiberi potest; isque cultus *latriæ* a Patribus appellari consuevit, eoque Deum tantùm adoramus, quæ vox a græco verbo λατρευειν *servire* ducitur: cultus autem inferior *duliæ* dicitur, a voce δουλευειν, quæ et ipsa *servire* significat, sed communi usu cultum denotat inferiorem qui Sanctis impenditur, qui in Sacris Literis Dei filii et amici, imo et fratres Christi Domini nuncupantur, aliisque honorum titulis distinguuntur. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. habet: *Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur non secundum æqualitatem, sed secundum quandam participationem*. Eam ob causam cum hic duliæ cultus gradus varios subire queat, et cum inter Sanctos singu-

lari quadam excellentia ac dignitate supereemineat ob divinam Maternitatem B. Virgo Maria; ipsi cultum cæteris Sanctis majorem impendimus, qui licet duliæ cultu superior, tamen latriæ cultu longè inferior habendus sit, qui cultus *hyperduliæ* vocatur. 4. Rursus quilibet cultus in *internum* distinguitur et *externum*: ille in intellectu est ac voluntate: hic vero, qui signum est cultus interioris, in actibus externis consistit. Varia sunt hæc signa pro varia populorum temporum et locorum disciplina: Aliquando iisdem etiam signis externis, ut genuflexione, Deus et creaturæ coluntur, licet cultus internus sit longè diversus. Observandum itaque est, hujusmodi cultus varios a se invicem per actus exteriores vix posse distingui; sed ex affectu atque intentione magis æstimari debere, ac præsertim ex doctrina ac intentione Societatis in qua illi actus frequentari solent. Quare si excellentiam infinitam colere intendat, sit cultus latriæ: si finitam sed supernaturalem, duliæ cultus sit: si verò finitam et civilem, cultus civilis et politicus habeatur. 5. Denique cultus etiam *adoratio* appellari consuevit, quæ duplex est, *strictè* nempe, et *latè* sumpta. Adoratio latè accepta est actus, quo quis se alteri subjicit ob quamcumque illius excellentiam; et hoc sensu non raró usurpata invenitur. At adoratio stricto sensu intellecta, honor est Deo exhibitus in testimonium supremi ipsius in creaturas dominii; et hoc sensu jam apud Catholicos usus invaluit, ut acciperetur.

V. His declaratis vocabulis et præmissis opportunis notionibus, juxta quas Catholica Ecclesia religiosum suum Cultum jubet et ordinat, jam est Tractatio hæc disponenda; Ac 1. De cultu Christo Domino præstando

agetur. 2. De cultu impendendo ejusdem Virgini Matri. 3. De Sanctitate, ac de Sanctis sermo erit. 4. Recta Sanctorum invocatio propugnabitur. 5. Ostendetur licitus cultus aliquis sacer Sanctis in Cælo regnantibus exhibitus. 6. Recta Sanctorum invocatio ab objectis vindicabitur. 7. Ritus alii Catholicæ Ecclesiæ erga sanctos protegentur. 8. Pius ac laudabilis SS. Reliquiarum cultus defendetur. 9. Licitus statuetur rectus Imaginum SS. cultus. 10. De symbolicis Imaginibus, deque cultu Cruci Domini præstando agetur; atque ita finem hæc nostra inquisitio habebit.

CAPUT I.

DE CULTU DIVINO PRÆSTANDO CHRISTO DOMINO DISSERITUR.

VI. De dotibus Christi Domini, deque ejusdem præstantia atque divinitate, nec non de perpetua hypostatica unione Verbi divini cum Christi humanitate cæterisque ejusdem actibus gloriosis alibi satis jam pertractatum est. Superest modo, ut de cultu, quo a nobis Christus est prosequendus, agatur, quem, quatenus Deus est, latriæ cultu esse colendum constans quidem doctrina est apud omnes; sed quæstio exoritur, An Christi humanitas, quæ indissolubili nexu Verbo divino unita est, cultu latriæ soli Deo debito adoranda sit. De hac ipsius humanitate id negarunt omnes, qui hypostaticam ipsius unionem impugnarunt, ut Nestoriani. Eutychiani ex adverso ad tollendam in Christo duarum naturarum distinctionem, inter alias ea cavillatione utebantur,

quod inde sequeretur, nos unam ex his naturis adorare oportere, non alteram. Sociniani duplici errore laborant, qui cum nolint, Christum esse Deum confiteri, ipsi tamen ut homini communicatum esse jus divini honoris contendunt. Interim quidam Theologi post Gilbertum Porretanum Christo ut homini non latriæ cultum deberi censuerunt, sed hyperduliæ, qui creaturæ omnibus excellentiori conveniat. Alii demum latriæ cultum eidem concedunt, non tamen absolutum, sed relativum. At Christus Dominus una persona est, ut dividi nequeat, atque propterea uno tantum cultu adorandus.

VII. Hæc itaque doctrina juxta Ecclesiam Catholicam statuenda est: *Quod uno eodemque supremo latriæ cultu, quo Verbum divinum, adoranda est Christi humanitas Verbo hypostaticè conjuncta.* Quæ quidem propositio facile ex Scripturis ostenditur, cum Paulus expressè docuerit, in nomine Jesu, quidquid ubique est „genu flectere debere, ad Philipp. 2. ubi ait: ***Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem . . . propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur cælestium terrestrium et infernorum etc.*** **Quæ veram significant adorationem, ut Patres consentiunt. Sed hæc adoratio Christum hominem spectat, qui nisi ut homo exaltari** potuit; Christus ergo ut homo, sive illius humanitas Verbo hypostaticè unita est adoranda. Idipsum testatur Apost. ad Hebr. I. 6. ubi docet, Deum Patrem Angelis jussisse ut hunc Filium suum adorarent, inquiens: ***Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*** **Sed**

Primogenitus introductus est in orbem cum humanitate assumpta; cum ea itaque uno cultu adorandus est: non ut hic latriæ cultus ad humanitatem quasi a divinitate sejunctam dirigatur, sed ad Personam divinam referatur cui hypostaticè humanitas conjuncta est. Hinc sæpe legimus in Scripturis, Christo uti Deo simul et homini hanc tributam fuisse adorationem, ut de Apostolis Matthæus scribit c. 28. 17. *Et videntes eum adoraverunt.* Ita Joannes in Apocalypsi c. v. 12. Angelos et Sanctos audivit clamantes: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem . . . et honorem et gloriam et benedictionem ... Omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno; benedictio, et honor et gloria . . . et seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Sed hæ adorationes absque distinctione ulla divinitatis ab humanitate factæ sunt; ita ergo Christus est adorandus. Quare Concilia generalia id faciendum esse definivere, ut Chalcedonense. Et Lateranense I. anno 644. celebratum Act. IV. can. 9. habet « Si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus Carne adorat, juxta quod ab initio Sanctæ Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit ». Revera hæc fuit unanimis Patrum doctrina. Hinc Augustinus in Psal. 98. de Eucharistico Christi Corpore ait: *Nemo carnem illam manducet, nisi prius adoraverit.* Et Ambrosius ad illa ejusdem Psalmi verba: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:* scribit c. XI. « Per scabellum terra intelligitur, per terram autem Christi caro quam hodie in Mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino adoraverunt. Neque enim divisus est Christus,

sed unus: neque cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur ».

VIII. Sed ut hæc clariora fiant, audiendus est S. Thomas 3. P. q. 25. a 1, ubi hanc doctrinam tradit: « In eo qui honoratur, duo possumus considerare, *Eum cui honor* exhibetur, et *causam honoris*. Propriè autem honor exhibetur toti rei subsistenti: Non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur. Et si quandoque contingat, ut dicatur honorari manus, vel pes alicujus; hoc non dicitur ea ratione, quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis honoratur totum ... *Causa autem honoris* est id, ex quo aliquis habet aliquam excellentiam; nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam. Et ideo si in uno homine sint plures causæ honoris, puta prælatio, scientia, et virtus, erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris: homo enim est qui honoratur et propter scientiam et propter virtutem. Sic ergo, cum una tantum sit persona in Christo divinæ et humanæ naturæ, et etiam una hypostasis et unum suppositum, est quidem ejus una adoratio et unus honor ex parte ejus qui adoratur, sed ex parte causæ, qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes, ut propter sapientiam increatam aut propter creatam. Si autem ponerentur in Christo plures personæ, sequeretur quod simpliciter essent plures adorationes, et hoc est quod in Synodis reprobatur contra Nestorium duas in Christo personas inducentem ». Hinc elucet cur unica adoratione Christus honorandus sit, licet constet ex duplici natura, divina scilicet atque

humana; cum adoratio semper ad personam, quæ divina est, dirigatur. Atque inde quoque elucet, quam rectè proscripta sit a Pio VI. in Bulla *Auctorem Fidei* propositio LXI. Synodi Pistoriensis, qua asseritur « Adorare directè humanitatem Domini, magis verò aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ ». Quæ damnata fuit uti *falsa, captiosa, ac debito cultui humanitati Christi a Fidelibus præstito ac præstando detrahens, et injuriosa.* Cujus censuræ causa ita in Bulla declaratur « Quatenus nempe per hoc verbum *directè* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi; perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria sua carne adoratur ». Itaque in quantum hæc synodus propp. LXII. et LXIII. reprehendit fidelium devotionem erga SS. Cor Jesu, qualis ab Apostolica Sede probata est, Summus Pontifex eas propositiones damnat uti falsas, temerarias, captiosas, ac S. Sedi et fidelibus injuriosas « Quasi, ut synodus subdolè insinuat, fideles Cor Jesu adorarent cum præcisione vel separatione a Divinitate; dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est: ad eum modum quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorabile fuit in Sepulcro ». Hæc itaque doctrina ita declarata nulli subesse potest difficultati.

IX. Huic doctrinæ olim Nestoriani opponebant, quod

soli Deo cultus latriæ debeatur; sed Christi humanitas non sit Deus, ut propterea latriæ cultu adoranda non sit : Cui Patres respondebant, Humanitatem Christi non esse Deum, si seorsim consideretur ut sejuncta a Verbo; at diversimode se res habet, si spectetur, uti semper spectanda est, quatenus Verbo hypostaticè unitur. Porro Christi humanitatem hic non spectamus seorsim a Verbo. Quis enim catholicorum ignoret, humanitatem in se nudè consideratam non esse adorandam ? Eam itaque contemplamur, quatenus Verbo divino in personæ unitatem conjungitur. Sed hæc persona est divina; meritò igitur eam adoramus, quin eam removeamus ab assumpta humanitate. 2. Ajebant, quod Christi divinitas sit adoranda ea adoratione quæ Patri et Spiritui Sancto communis est; sed humanitas non est divinis personis communis, ut propterea non sit æque adoranda. Cui respondebat S. Thomas loco adducto; Quod in Trinitate tres sunt qui honorantur, sed una est causa honoris: in Mysterio autem Incarnationis est e converso : nempe unus adoratur. et duplex est honoris causa. Nimirum unus est honor Christi propter unitatem personæ; et unus est Trinitatis honor non propter personarum unitatem, sed propter unitatem essentiæ, potestatis, et supremi in creaturas dominii, cæterorumque attributorum. Quod ergo affirmabat S. Cyrillus Alexandr. (*Anathem. VIII.*), nefas esse, hominem assumptum *coadorare* Deo Verbo; id asserebat in sensu Nestorii, qui duas agnoscebat in Christo personas moraliter tantum conjunctas, sed tamen coadorandas; at non id reprehendit in sensu catholico de duabus naturis, quæ simul in una hypostasi adorentur. Nec, si Christus ut homo adoratur tantùm propter hy-

postaticam cum Verbo unionem, sequitur hanc adorationem *relativam* esse habendam. Nam propter unionem hypostaticam caro Christi est caro Verbi Dei, adeoque absoluto latriæ cultu est adoranda; nam caro, licet creata sit, est tamen Verbo increato hypostaticè unita, ut loquebatur S. Athanasius *Epist. ad Adelph.* Rectius itaque sentiunt, qui hanc adorationem dicunt *absolutam*, quam qui *relativam* volunt. In cultu enim relativo duo supposita, seu personæ habentur, cum in Christo una tantum persona sit.

X. Durandus opinatus est, Christi humanitatem adorari tantum *per accidens*, eò quod adoretur dumtaxat ratione personalis unionis cum Verbo divino. Sed hic loquendi modus jure a Theologis rejectus est, cum nimis faveat errori Nestorianorum, qui unionem duarum naturarum in Christo accidentalem esse volebant, cui errori cultus accidentalis valde proximus est. Rectius itaque ii loquuntur, qui sentiunt, Christi humanitatem adorari quasi secundariò et ex consequenti, ratione scilicet hypostaticæ unionis cum Verbo divino. Sed hic nonnulli quærunt, quid dicendum, si quis humanitatem Christi per se et in se consideraret, præcisione facta a personali ejus unione cum Verbo divino, an ne tunc adoratione latriæ colenda esset? Cui respondetur 1. Hanc præcisionem seu abstractionem dum practicè Christus colitur minimè esse faciendam, sed esse adorandam ipsius humanitatem uti assumptam a Verbo in unitatem personæ, et sic latriæ cultu adorandam. 2. Respondebat S. Jo. Damascenus L. 6. c. 3. Quod Christi caro suapte quidem natura, si hac subtili consideratione distinxeris, nequaquam adoranda est, ut

pote creata; sed cum Deo Verbo unita sit, propter ipsum et in ipso adoratur « Subdit S. Thomas uti sup. A. 2. ad 1. Quod adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi: Uno modo ut sit personæ et sic adorare carnem Christi nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem Regis nihil aliud est, quam adorare Regem vestitum: Alio modo est, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum; et sic illius adoratio (*quando id contingat*) non est latriæ, sed hyperduliæ; ut scilicet eadem persona Christi adoretur adoratione Latriæ propter suam divinitatem, et adoratione Hyperduliæ propter perfectionem humanitatis ». Quæ satis de hoc argumento dicta sufficiant.

CAPUT II.

DE CULTU HYPERDULIÆ BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ PRÆSTANDO.

XI. Statuto catholico dogmate de supremo cultu, qui Salvatori nostro Jesu Christo est impendendus, ordo postulat, ut de cultu debito B. Virgini Mariæ ejusdem sanctissimæ Matri exhibendo sermo habeatur. Hic cultus non differt in genere a cultu aliorum Sanctorum, at ob divinam maternitatem qua B. Virgo Maria ornata est, honor qui ei tribuitur, sublimior solemniorque censetur. Tamen de cultu ipsi jure debito controversia a multis hæreticis exagitata est, quorum alii per excessum, per defectum alii peccarunt. Inter priores Collyridiani recensentur; qui sæculo IV. collyridem panis seu placentam per mulieres offerre solebant B. Virgini

eandemque uti deam adorare, cui ex sexu femineo sacerdotes eligebantur; de quibus S. Epiphanius agit (*Hæresi* LXXIX.) eosque oppugnans, Mariam honorandam quidem esse docet, minimè verò uti deam colendam: « Honoretur, inquit, Maria, Pater vero Filius et Spiritus sanctus adoretur » In Arabia hi hæretici viguere. His accessisse visi sunt, qui Ecclesiæ regulis non adhærentes, hyperbolicis laudibus, et cultu immodico Beatam Virginem prosecuti sunt, de quibus infra nonnulla dicentur. Verum majori in numero qui per defectum peccarunt, inventi sunt, qui *Antidico-Marianitæ* et etiam *Anti-Marianitæ* vocari solent, sive Mariæ adversarii, quorum antesignani Helvidius et Jovinianus, quos Ebionitæ præcesserant, errores suos contra perpetuam Deiparæ virginitatem circa finem quarti sæculi disseminarunt. S. Hieronymus eos refutavit, et Siricius Papa nec non S. Ambrosius anno 390. in Conciliis damnarunt. Sed hisce temporibus antidicomarianitarum secta apud heterodoxos exerevit, qui in Sanctorum cultum infensi honorem a catholicis Virgini Mariæ impensum impiè potissimum suggillarunt, ut Salmasius, Dalleus et novatores alii, quos præ ceteris egregiè oppugnavit Joan. Chrysostom. Trombellius in Opere *De Mariæ sanctissimæ vita ac gestis*.

XII. Demonstrandum est igitur, peculiarem BB. Dei Genitrici Mariæ cultum supra cæteros sanctos deberi, qui *hyperduliæ* vocatur. Hic licet specie cum illo Duliæ conveniat, ab eo tamen distinguitur, quod sit honor quidam præcipuus uni B. Virgini Mariæ exhibitus propter excellentiam eximiam qua præstat inter reliquos

sanctos cælites. Eum verò ita exponit S. Thomas 3. p. q. 27. a 5. « Quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Christus autem est principium gratiæ secundum divinitatem quidem *auctoritativè*, secundum humanitatem verò *instrumentaliter*; unde dicitur Jo, 1. *Gratia et veritas per Jesum C. facta est*. B. autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem quia ex ea accepit humanam naturam; et ideo præ cæteris debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere » Et Quæst. 25. a. 4. docuerat « Cum B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum veneratio duliæ, eminentius tamen quam cæteris creaturis in quantum ipsa est Mater Dei; et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia ». Hic autem cultus ex ipsis sacris Literis 1. ostenditur. Nam cum ab Angelo B. Virgo salutabatur dicta est κεχαριτωμένη (gratia affecta), quod vocabulum non tantum *gratia plenam* significat, sed et majorem vim habet, ut *gratia cumulatam*, *gratiam consecutam, et in gratia formatam*. Itaque Origenes Hom. 6. in Lucam animadvertit, vocem illam in Scripturis alibi non reperiri, ut ea salutatio soli Mariæ facta sit, qua ipsius dignitas præ cæteris creaturis monstraretur. 2. Ex ipsius gloriosæ Virginis verbis id evincitur Lucæ II. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est* &c. Qua exclamatione et excellentem suam dignitatem a Deo acceptam B. Virgo testatur, et peculiarem commendationem et cultum supra creaturas cæteras vatici-

nata est in tota Ecclesia ipsi exhibendum. His addenda sunt verba Elisabeth, quæ licet ætate et quadam præeminentia ei superior esset, tamen Mariæ occurrens exclamat: *Benedicta tu inter mulieres . . . Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? . . . Et beata, quæ credidisti*. Quibus laudibus cur et nos tantam Virginem non prosequemur?

. XIII. His Scripturarum auctoritatibus excitati veteres Patres, quid mirum si eximiis laudibus et præconiis B. Virginem extulerunt? S. Irenæus l. V. c. 19. antithesin instituit inter Evam per quam adstrictum est morti genus humanum, et Mariam per cujus obedientiam virginalem ab ea noxa solutum est; quem locum profert Augustinus l. 1. contra Julianum c. 3. Eadem antithesi usus est Tertullianus *L. De Carne Christi c.* 17. Eandemque postea plures adhibuere ad Mariæ laudes celebrandas. Sed et in illo Irenæi loco Virgo Maria facta Evæ advocata dicitur, qua de re videndus Petavius L. XIV. *de Incar. c.* 9. S. Ephrem Syrus Serm. *de laudibus Virginis* his verbis illius præstantiam et invocationem testatur: *Sub tuum præsidium confugimus, o Sancta Dei genitrix, sub alis pietatis et misericordiæ tuæ protege et custodi nos* etc. Et S. Ambrosius l. 2. *de Virginibus* c. 2. ita Mariæ dignitatem extollit: *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?* S. Epiphanius Hæresi 78. e 79. plura habet in Mariæ commendationem. Et S. Germanus Constantinop. Patriarcha *Epist. ad Joan.* quæ in VII. Synodo probata est, scribit: *Nam et ipsam propriè vereque Matrem veri Dei colimus et magnificamus, et universa visibili et invisibili creatura supe-*

riorem arbitramur. Præclara quoque habet S. Basilius Seleucien Orat. 33. At Augustinum audiamus, qui pluribus in locis Mariæ præstantiam extollit, et qui Sermone XVII. scribit: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria ... Illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit: percussit illa, ista sanavit*. Et de Symb. ad catechumenos: *Per Mariam salus*, inquit atque ita sæpe. Mittimus præclaras laudes eidem B. Virgini tributas a pluribus aliis Patribus, quorum seriem apud Petavium videre est loco citato. Nam hæc abundè sufficiunt ut juxta veteris Ecclesiæ sententiam B. Virgini præcipuum præ cæteris sanctis honorem vindicemus, quem vocare hyperduliæ consuevimus. Quanquam verò hoc divinæ Maternitatis decus Sanctitas Beatæ Virginis certè *de condigno*, ut ajunt, non meruerit; at id meruisse *de congruo* ac de merito divinæ bonitati consentaneo docet S. Thomas 3. p. q. 2. a. 11. idque juxta S. Augustini doctrinam, qui *Serm. X. de Nativ. Christi*, habet: « Talis eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in semetipsam conciperet, et post partum omnimodo Virgo permaneret » Hoc itaque veluti fundamento superstructa nituntur ampla illa et egregia præconia, quibus SS. Virginis gloriam Christiana illustravit antiquitas.

XIV. Hæretici tamen cultum hunc impugnantes, ajunt, neque a gentilibus, neque a Judæis unquam fuisse objectum Christianis Cultum hunc B. Virgini Mariæ exhibitum, ut cum Celsus apud Origenem reprehendebat Mariæ paupertatem, de cultu ei præstito altum silentium servat; hinc volunt, veteres Christianos hunc cultum minimè frequentasse. At inde haudquaquam id

inferri potest. Non enim infidelibus notæ erant omnes Ecclesiæ consuetudines, cum multa ex disciplina Arcani, quæ tunc vigebat, ethnicis occultarentur. Disciplinæ hujus testimonium habemus apud ipsum Origenem L. 1. *Contra Celsum N. 7.* ubi affirmat, quædam esse in Christiana Doctrina reconditiora nec omnibus retecta, quæ profanis nec purgatis auribus committere tutum non erat ». Verum in vetustioribus Liturgiis præcipuum semper locum tenet B. Virginis invocatio splendidis verbis adhibita, quæ argumento est præcipui cultus, quo eandem veteres prosequebantur. Origenes verò injuriis a Celso impie prolatis satis respondet, ac B. Virginis dignitatem ex nobili Isaiæ Vaticinio impensè extollit, ex qua sublimi prærogativa Hyperduliæ cultus originem ducit. Falsum itaque est, quod alii ajunt, cultum hunc non nisi Sæculo IV. in Ecclesia incepisse ac post Ephesinum Concilium, quando B. Virgo non tantum Christi Mater, sed etiam *Theotocos*, seu *Dei Mater*, contra Nestorium declarata est. Precariò, inquam, id sibi confingunt contra tot vetustissima monumenta. Sanè quî fieri potuisset, ut Maria Virgo Mater Dei, aut etiam Christi Mater crederetur, et interim non agnosceretur a fidelibus peculiari eam cultu prosequendam fore? At non ne Ephesina Synodus anno 431. habita est in Ecclesia sub nomine ejusdem B. V. Mariæ Deo dicata? Non ne fideles, postquam hæc Synodus prærogativam *Matris Dei* B. Mariæ vindicavit, maximè lætati sunt, et Episcopos summopere laudarunt? At id antiquam et generalem hujus dogmatis fidem utique testabatur. Quod etiamsi post Ephesinam Synodum cultus hic fuisset adauctus,

non inde propterea hujus cultus novitas sequeretur. Nam 1. impossibile fuisset, ut sæculo quarto et quinto Ecclesia in hunc cultum erumperet, nisi hæc doctrina ab Apostolis orta esset, ut de sanctorum cultu testatur Basilius Magnus. 2. Quia pronum ac facilè fuerat, ut hic cultus, post hæreses damnatas eidem adversas, magis etiam magisque augeretur.

XV. Sed en Petrus Baylius qui religionem simulans in medium prodit, et cultum hunc reprehendit, quod pluribus abusibus et superstitionibus viam aperiat, adeo ut Mariam veluti deam esse adorandam multi, ait, sibi suaserint. Sed impiè hic jocat Baylius, cui respondemus: Abusus quidem, si qui fuerint, esse corrigendos; et non inde legitimum ac debitum cultum esse prorsus eliminandum (videantur quæ in sequentibus capp. dicenda sunt). Revera si nihil concedi aut constitui oporteret, de quo abuti quis posset, omnis religio foret de medio tollenda, quod est absurdum. Verum quidnam vitii in cultu inest, quem erga præclaram Virginem Ecclesia sancivit? Quidnam commune hic habet cum impiis et absonis ethnicorum superstitionibus, ut Baylius et protestantes insimulant et perpetuò vociferantur? Mariam enim non nisi puram creaturam habemus, quæ nihil apud Deum nisi per intercessionem valeat: Hanc vero honoramus ob virtutes ac cælestia charismata, quæ Deus illi impertiri dignatus est, ut in ea Dei ipsius potentiam et munificentiam laudemus, ut Psalmista monet: *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Quærimus igitur, quænam sint crimina, quibus hic cultus locum dare possit? Quod si aliquando contigit, ut nonnulli aut falsa devotione capti, aut partium studio abre-

pti fabulas seu vanas revelationes confinxerint, seu loquendi modos adhibuerint præter rectum et communem Ecclesiæ sensum; Ecclesia semper eos improbavit, et etiam damnavit, nihilque neglexit, quo aberrantes ad veram doctrinam revocaret. Neque hîc locum habere queunt falsæ revelationes Mariæ de Agreda ab Ecclesia rejectæ, quas tamen adversarii eidem appingunt quasi eas aliquando probaverit. Noverint ergo heterodoxi, in Ecclesia catholica Tribunal adesse, quo comprimi errores et corrigi queunt, et quo certè carent hæreticorum sectæ, ut propterea loco fictarum superstitionum, quas impiè et ineptè hæretici Ecclesiæ catholicæ exprobrare audent, veri inter eos et absurdi errores invaluerint a Socinianis, Anabaptistis, cæterisque incredulis et libertinis adoptati, quos emendare, nisi ad Ecclesiæ sinum redierint, nunquam eis licebit. Cæterum non omnia quæ a nonnullis catholicis hac in re scripta sunt, uti monuimus, probanda esse censemus, præsertim si ad literam accipiantur. Quare alia sunt, quæ et nos repudianda ducimus juxta Ecclesiæ judicium; alia, quæ benignam poscunt interpretationem, et cantè sunt adhibenda, atque ad orthodoxum sensum revocanda. Ut enim S. Bernardus Canonicos Lugdunenses hortabatur Epist. 174. « *Valde honoranda est Mater Domini: bene admones; sed honor Reginæ judicium diligit: Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis* etc. Excessus itaque et hyperboles ipsa Ecclesia non probat, ut hinc et libros et imagines et numismata inordinatæ devotionis signa non rarò damnaverit, ut in *Indice Librorum prohibitorum* videre est. Attamen, ut S. Bernardi verbis concludamus

Hom. 4. *super Missus est* « Non est dubium, quidquid in Matris laudem profertur, ad Filium pertinere; et rursum cum Filium honoramus, a gloria Matris non recedimus ».

XVI. Quæri hic solet: utrum B. Virgo Maria a quocumque peccato immunis fuerit? Et circa hanc dotem, si de actualibus peccatis etiam venialibus et minimis sermo sit, B. Virginem ab iis omnibus fuisse immunem communis est catholicorum sententia tum in sacris Scripturis, tum in Conciliis et Patrum traditione fundata, a qua sine temeritate et injuria erga B. Virginem nemini recedere licet. Quare Tridentinum Concilium Sess. VI. Can. 23. ubi declarat, neminem justificatum sine speciali gratia posse omnia peccata venialia vitare, definit « Si quis dixerit, hominem semel justificatum amplius peccare non posse ... aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi speciali Dei privilegio; quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit ». Quod verò attinet ad præservationem a noxa Originali; quod nempe illius maculam non contraxerit neque in primo instanti suæ conceptionis, est quidem pia sententia maximè probabilis et laudata; non tamen ab Ecclesia uti de fide credenda unquam definita est. Quiuimo neque contrariæ sententiæ, quæ in secundo conceptionis instanti eam sanctificatam ponit, ulla erroris nota fuit inusta, ac tantum vetitum, ne contra Conceptionem immaculatam quisquam disputare audeat, ad vitanda scandala ac turbas, et ad offensionem piarum aurium declinandam. Licet autem B. Virgo reatum Originalis culpæ actu nunquam contraxisset; tamen a debito illum contrahendi, ut nonnulli volunt,

eximi nullatenus posset, ut inter catholicos tenent præstantiores Theologi; alioquin neque fuisset a Christó Domino redempta, cum tamen Redemptorem suum ipsum appellet, cum dixit: *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*.

XVII. Quæritur quoque: quidnam de B. Virginis Assumptione cum corpore in Cælum sentiendum sit, et ubinam ipsius Dormitio contigerit? Et respondetur, Assumptionis B. Virginis festum antiquum esse in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali a sexto et septimó usque sæculó celebratum. An verò Anima illius sanctissima una cum ejus Corpore fuerit in cælum assumpta, ad fidem non pertinet; cum de re agatur, de qua nonnulli veteres et recentiores subdubitarunt. Persuasio tamen communis in Ecclesia viguit, altera die, vel die tertia a sua Dormitione, iterum surrexisse, et una cum Corpore in cælum fuisse elatam, ut plures Patres sentiunt, qui post sæculum Ecclesiæ quartum scripsere, àc præ cæteris S. Joannes Damascenus, qui de hac re ad veterem traditionem appellat, inquiens: *Ex antiqua accepimus Traditione* etc. Quare juxta Baronium et Nat. Alexandrum sine temeritate id inficiari non licet. Et quidem S. Gregorius Turonensis *de Miraculis* c. 4. S. Gregorius Magnus, S. Andreas Creten. S. Ildefonsus, S. Fulbertus Carnoten. S. Petrus Damianus, S. Bernardus, et alii uno ore id fassi sunt, inter quos non reticendus S. Modestus Patriarcha Hierosolymitanus sub initium VII. Sæculi cujus Sermonem *in Dormitionem Deiparæ* Romæ edidit an. 1760. clariss. Jacomellius in quo multa de hac B. Virginis Assumptione habentur, ut cum ait: *Dominus Jesus jussit Te, Virgo, in*

incorruptibilitate Corporis secum esse consortem. Et infra sermonem claudit: *Gloriosissima Mater Salvatoris Dei nostri ... ab ipso vivificatur, consors cum eo incorruptibilitatis in omnia sæcula, qui illam e sepulchro excitavit, et apud se assumpsit etc.* (Apud Zaccariam in Dissertationibus T. 3. Dissert. 4.) Imo Nestoriani ipsi, qui ab initio V. Sæculi sunt ab Ecclesia sejuncti, Mariæ resurrectionem ac in Cælum Assumptionem in suis Liturgiis agnoscunt, ut apud Renaudot videre est *Liturg. Orien.* T. 3. P. 1. Sed et nonnulli scriptores sacri recentiores, ut Usuardus, Ado, et alii (nam Epistola quædam S. Hieronymo adscripta spuria est), qui in contrarium afferuntur, affirmant tamen B. Virginis Corpus in terris non inveniri; quod communem sententiam confirmat. Id testabantur quoque ornamenta quædam Ecclesiæ Romanæ sub Paschali P. an. 824. in quibus Virginis Deiparæ una cum Corpore in cælum Assumptio repræsentabatur.

Ubinam verò fuerit Virgo Beatissima sideribus recepta, inter eruditos contentio est, aliis Ephesi, aliis Hierosolymis illius obitum, sepulcrum, resurrectionem atque in Cælum receptionem statuentibus. At probatissima sententia est adversus Serryum et recentes nonnullos, B. Virginem Hierosolymis obiisse, et in Valle Getsemani sepultam, ubi paulo post fuerit una cum corpore in Cælum assumpta. Verisimile est autem in illius Urbis obsidione sub Vespasiano et Tito hoc sepulcrum fuisse aggeribus obrutum. Itaque Jo. Chrysost. Trombellius postquam controversiam hanc diligentissime expenderat in hæc verba concludit « Eorum tamen verisimilior sententia videtur esse, qui in Valle Josaphat (ubi Get-

semani situm erat) tumulatam ajunt » Quod et Sandius in *Historia Familiæ Sacræ*, Albanus Butler in Vitis SS. in *Festo Assumptionis* 15. die Augusti, ut et Franc. Ant. Zaccaria in erudita Dissert. de hoc argumento quæ legitur T. 3. Dissertationum p. 63. tuentur.

XVIII. Volunt heterodoxi nonnulli, superstitiosam esse peculiarem devotionem, quam populus Christianus profitetur erga quædam Loca, Templa, et præcipue erga Imagines quasdam Deiparæ Virginis et Sanctorum etc. Perperam tamen id obloquuntur hæretici, qui norunt, (quantum ad Loca et Templa), in Veteri Testamento uti et in Novo haberi, Deum elegisse Loca quædam, Montes, ac præcipue Hierosolymorum Templum, ubi adorari voluerit, et ubi spoponderat, exauditurum eos qui in Loco illo oraverint. Hinc S. Augustinus docet Epist. 78. cum aliis Patribus, non in omnibus Memoriis Martyrum aut locis, voluisse Deum mirabilia operari; ut nulla sit superstitio, cum populus ad ea loca concurrit, in quibus per intercessionem sanctorum mirabilia Deus operatur; non enim singulis sanctis data sunt gratiæ curationum et alia dona. Contingit verò, ut recordatione beneficiorum Dei iis in locis fides augeatur, quæ illa impetret beneficia, ut experientia notum est. Nec etiam superstitiosa nonnullarum Imaginum peculiaris veneratio dici potest, si juxta Ecclesiæ doctrinam adhibeatur, credaturque nullam revera virtutem iis Imaginibus inesse, quæ sit principium gratiarum et miraculorum, quæ occasione earundem a Deo facta sunt; nec fiducia in iis collocetur, aut aliquid ab eis petatur; sed cultus, fiducia, preces omnes ad Deiparam ipsam, sive ad prototypa transeant, ut infra clarius explicare continget.

CAPUT III.

DE SANCTIS, DEQUE ADVERSARIIS CULTUS SANCTORUM, ET AN SANCTI IN CÆLIS PRO NOBIS ORENT INQUIRITUR.

XIX. Cultus genera jam supra N. IV. distincta sunt; sed cum *sancta* ab omnibus inviolabilia, et cultu quodam ac veneratione digna censeantur; hinc quo facilius rectus sanctorum cultus intelligatur, primò observandum occurrit, quid rei sanctæ nomina veniat. Ea enim voce declarata, et quid apud profanos, quid apud Scriptores sacros significet explicatum, tum argumentum hoc melius assequemur, tum cavillationes, quibus ex implexa hujus vocabuli significatione ac intelligentia sacri cultus adversarii abutuntur, clarius dissolventur. *Sanctum* itaque apud romanos scriptores idem fuisse quod, *inviolabile*, noverunt omnes; indeque Legatos ac Tribunos plebis *Sanctos* dictos esse, nulla ratione habita vitæ aut morum, scimus ex Julio Cæsare l. 3. *de Bello Gall.* ubi ait « Legatos (quod nomen apud nationes omnes sanctum inviolatumque semper fuisset) retentos ab se etc. » Clarius id exponit Marcianus *in Pandectis ad L. Sanctum* §. *de Rerum divisione:* « Sanctum est, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est ». Quare Servius in L. XII. *Æneid.* et Isidorus L. XV. *Originum* c. 4. cum Ulpiano aliisque a verbo *sancire*, sive lege confirmare, et irrogatione pœnæ ab injuria defendere, *sanctum* faciunt. Id Aggenus Urbicus l. 1. *in Frontonem* confirmat, inquiens

« Nam sanctum est plerumque ut incorruptum, et a sanciendo sanctum dicitur » Ita leges dicuntur *sanctæ*, et metonymicè *mores sancti*, quia divinis humanisque legibus conformes sunt. Ulpianus verò l. IX. §. *Proprie De rer. divis.* ait « Propriè dicimus sancta, quæ neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata, ut leges sanctæ sunt: Sanctione enim quadam sunt subnixæ. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum » Itaque *Sacrosanctus* quis fiebat tum religione, tum lege; Religione quidem quia certis ad hoc cæremoniis opus erat: lege autem, quia hac sanciebantur; ita ut *sacer* esset sive execrandus, qui sacrum violasset vel ei nocuisset, cui hac lege non liceret, ut ex Livio eruitur L. 3.

XX. Apud Scriptores sacros autem *Sanctum et Sanctitas* uberiorem quoque intelligentiam habent. His vocibus respondent hebræa vocabula *Kodesch*, sive *Kadosch*, et græcum Αγιος, (agios), quæ in primitiva origine vinculum et ligamen significare videntur; ut *Sanctus* juxta etymologiam, sit *obligatus*, *obstrictus*, *electus*, *addictus*, *alicui devotus et consecratus*. Hinc phrases in Scripturis sacris, ut Jerem. LI. 28. *Sanctificate contra eam gentes*; idem est, ac « fœdere quodam obstrictos congregate populos contra illam ». Et C. VI. 4. *Sanctificate contra eam bellum*, significat « voto vos obstringite ei bellum inferendi » Et c. XI. 3. *Sanctifica eos in die occisionis*, idest « Devove eos ad mortem » Joelis 2. 14. *Sanctificate jejunium*. *Sanctificate Ecclesiam*, scilicet: « vovete jejunium, colligite cœtum ». Actor. XIII. 34. *Sancta David fide-*

lia, sunt promissa quæ Davidi Deus spoponderat. Hinc rem aut hominem *sanctificare*, idem erat ac divino cultui addicere, obligare, vovere. Levitici c. XI. *Eritis mihi Sancti*, significat, eritis meo cultui addicti ac devoti: *Sanctum Domino*, est « Domino consecratum » *Sanctifica mihi omne primogenitum*, id est « Offer ac deputa mihi ». Quo sensu quicumque profitebatur, solum adorare Deum verum, *Sanctus* habebatur. Itaque in vera Religione cum homines puriores vivant, *sancti* peculiari titulo vocantur, quanquam non semper professionem veri cultus mores optimi comitentur. Quare sæpe Deus per Prophetas populum admonebat: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Est autem Dei sanctitas aversio a quacumque iniquitate ac impuritate, ex qua in scelestos oritur animadversio. In homine verò sanctitas, est illius cura in fugiendo quidquid Deus prohibet, et in faciendo quod jubet. Quare, *sancti estote*, est idem ac, declinate a malo, et virtutem sectamini. Sed cum de cæremoniis agitur, dicuntur sanctæ eæ, quæ magis decent, magisque Deo placent, quæ tamen non in eodem censu ac moralia a Deo habentur. Sanctitas quoque potissimum Deo tribuitur ad distinctionem mendacium numinum, quibus nihil minus quam sanctitas congruebat; eaque sanctitas Judæis olim adscribebatur, ut qui ab idololatris secernerentur, ac propterea gens sancta ac Deo devota haberetur. Inde fit, ut dies, loca, personæ, ritus, *sancta* appellentur, seu cultui divino dicata. Hinc Psal. XLIX. 5. *Congregati illi sanctos ejus* etc. sunt Sacerdotes et Levitæ sacris ritibus ac sacrificiis addicti. Eodem sensu, *Terra sancta, Civitas sancta, Mons sanctus* dicuntur, quod divinis actibus ac miraculis ea loca distincta sint.

XXI. Si ad hæc animadvertissent hæretici et increduli atque considerassent, eodem in sensu ea vocabula in Novo Testamento usurpari ac in Veteri, non tot inepta sophismata profudissent; qui stultè putant, ut sanctus quis appelletur, omni defectu ac macula expertem esse oportere, cujus perfectionis nemo in terris capax sit. Sanè Apostolus fideles omnes sanctos vocat, (ut 2. Cor. c. 13. *Salutant vos omnes sancti*) eo quod per Baptismum sint Deo dicati et ad sanctitatem vocati. Hoc sensu *Communio Sanctorum* nuncupatur in precibus ac in bonis operibus. Patres in eadem significatione sæpe loquuntur, ut S. Augustinus qui librum scripsit *de Prædestinatione Sanctorum*; ubi non de electis ad æternam gloriam agit, at verò de vocatis ad fidem. Sensu itaque proprio Christus Jesus tantum *Sanctus est et Sanctus Sanctorum*, ut Apost. ad Hebr. VII. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus* etc. Hoc tamen nomen tum Summo Pontifici, tum Episcopis et Presbyteris tributum est, non quod omnibus virtutibus ornati habeantur, sed ut recordentur, Deo consecratos esse. Id tamen hæreticos imperitos offendit. Denique *sanctum Evangelium*, dicitur, *Biblia sancta*, *Leges sanctæ*, *Dies et Anni sancti*, *Aqua sancta*, *Oleum sanctum*, *Sancta sedes* etc. eo quod relationem magis minusve habeant ad Dei cultum, et ad Religionem. Tandem peculiari sensu *Sanctus* aliquis dicitur, non tantum quod sit cultui veri Dei maximè addictus, sed et qui est vitiorum præ cæteris expers, virtutesque exercet in gradu perfectiori et heroico. Cum autem virtutum præmium sit gloria cælestis, sæpe *Sanctorum* nomine eos intelligimus, qui

jam æterna illa felicitate fruuntur. Quotiescumque autem Ecclesia certa facta est tum probationibus tum miraculis ad hoc a Deo patratis, aliquem piè ac sanctè vitam duxisse, *Canonizationis* Decreto illum in Catalogum Sanctorum refert, ac fidelibus potestatem facit, ut cultu sacro eum prosequi valeant. Præter eos tamen, quorum plura millia Ecclesia agnoscit, ingentem alium numerum superesse, qui se in silentio et in obscuritate sanctificarunt, Salvatoris nostri benignitas dubitare nos non sinit, *qui dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret* etc. ut Apostolus ad Ephes. V. 25.

XXII. Quot tamen impii homines blasphemias in Sanctos non modo Veteris Testamenti, sed et Legis Evangelicæ evomerint, vix dici posset. Tantum est iniquorum adversus justos odium et insanus livor, qui non modo pervertere et denigrare actiones, sed etiam intentiones et fines malè interpretari ausi sunt. Hos sanctos consolabatur Christus, cum Matth. V. eis dicebat: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines . . . propter me*. Inter hagiomachos Mosheimius invectivis et ipse sanctos proscindens (*Hist. Ecc. P. 2. c. 2.*) illorum cultum et admirationem ignorantiæ et barbariei temporum tribuere ausus est, quasi etiam Sæculum Ecclesiæ quartum tot egregiis Patribus florens barbariei foret accensendum. Pauci quidem inter veteres inventi sunt, qui contra honorem sanctis cælitibus exhibendum frontem erexerint, sed inter recentes hæreticos ingens colluvies erupit. Et ex veteribus tantum recensentur Eunomius, Vigilantius ab Hieronymo refutatus, et Faustus Manichæus a S. Augustino reprehensus; quan-

quam duo priores in Reliquias et in cultum exteriorem invehebantur, ut contra Sanctorum cultum directè solus Faustus pugnasse videatur; qui ut id aggrederetur Orthodoxos calumniatus est falsas absurdasque eisdem opiniones tribuens, quos adloquens ita insectabatur «Sacrificia gentilium vertistis in agapes, idola in Martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis et dapidibus» Hunc secuti sunt alii manichæi, ut Paulliciani eorundem propago in Arabia circa annum 656, qui et immoderata maledicendi impietate B. Deiparæ obtrectabant, ac venerandæ Cruci sceleratè detrahebant, nec non Prophetas sanctosque reliquos explodebant. Valdenses Sæculo XIII. nullum Sanctum habebant, nisi Apostolos, nullumque invocabant Sanctum et Canonizationes contemnebant; errabantque dicentes, quod in cælo sancti non audiunt, nec attendunt preces nostras, nec pro nobis orant. Sed his obscuris insanisque tenebrionibus omissis, Calvinismi sectatores antesignanum suum imitati in Sanctorum cultum præceteris debacchati sunt, quibus non pauci ex Lutheranis accessere, inter quos furiosiores fuerunt Beausobrius, Basnagius, Moshemius, Dallæus a Trombellio, et ab aliis Theologis egregiis invictissimè refutati.

XXIII. Ut itaque recensitos omnes hagiomachos revincamus, primo loco statuimus « Sanctos in Cælis regnantes pro hominibus in terris degentibus orare, supplicationesque pro nobis Deo offerre ». Quam thesim ita ex sacris Scripturis apertissimè ostendimus. Nam 1. Judas Machabæus ad populi spem erigendam (Mach. 2. c. 15.) somnium ei exponebat *dignum fide per quos universos lætificavit*, quo ei apparuerant Onias Sum-

mus Sacerdos et Jeremias Propheta, qui orabant pro omni populo Judæorum, ac Onias illi dicere visus est: *Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est qui multum ora pro populo et universa Sancta Civitate Jeremias Propheta Dei.* Quanquam verò id in visione dictum sit, inde tamen apertum est, communem hanc fuisse apud Judæos veteres certamque sententiam, pro nobis sanctos in Cælis orare. Sed cum hoc testimonium hæreticorum jugulum petat, hinc Librum hunc divinum hæretici e Scripturarum Catalogo expungere ausi sunt, ut de nonnullis aliis Libris Canonicis fecere non alia de causa, nisi quia suis erroribus adversabantur. In quo nil aliud nisi propriam nequitiam ostenderunt. Qua enim auctoritate privati et perditi homines universæ Ecclesiæ Doctrinæ et auctoritati refragari ausi sunt, quæ Librum hunc, ut omnes quos in suo Catalogo recensuit, ab Apostolis uti divinitus traditos accepisse testatur? 2. S. Petrus Epist. 2. c. I. 15. spondet fidelibus, se post obitum suum pro iis oraturum, inquiens: *Justum arbitror, quandiu tum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione ... dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis* 3. S. Joannes in Apoc. V. 8. *Vidit viginti quatuor seniores habentes citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum.* Clara hæc sunt, quæ et divinam auctoritatem ostendunt, simulque veterum Christianorum fidem circa intercessionem Sanctorum. 4. Sed nec alia desunt testimonia ex Veteri Testamento, quibus nec ipsi hæretici refragantur, ut quod legitur Jeremiæ XV. 1. *Hæc dixit*

Dominus ad me: si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejice illos a facie mea. Quæ a Deo ipso prolata testantur, quod si aliquando ob populi improbitatem preces Sanctorum Deus non exaudit, eos tamen precari, et non rarò exaudiri. Itaque ibidem subdit Jeremias: *Quis miserebitur tui Jerusalem ... aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Ubi certè supponitur sanctorum aliquem intercedere potuisse. Similem sententiam profert Deus apud Ezechielem c. XIV. 14. q. 5. Jobi XXXIII. 23. dicitur: *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus ... miserebitur ejus*. Zachariæ autem c. I. 12. *Respondit Angelus: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem et Urbium Juda, quibus iratus es?* Angelus Raphaël quoque Tobiæ ajebat (Tob. XII. 12.) *Quando orabas cum lacrymis... ego obtuli Orationem tuam Domino etc*. At si Angelis, cur non et Sanctis nos curæ erimus, ut pro nobis orent? 6. Israëlitæ in captivitate constituti ita Deum orabant Isaiæ Cap. LXIII. 16. *Tu enim Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: Tu es Domine Pater noster, et Redemptor noster*. Quæ precandi ratio absurda esset, si hebræi nunquam credidissent, Abrahamum et Jacobum posse illos apud Deum protectione sua juvare. 7. Christus Dominus Lucæ XVI. 9. ita nos hortatur: *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Id autem qua via præstare Sancti possent, nisi pro nobis intercedendo? 8. Sancti in cælo eandem utique erga nos caritatem servant, qua ardebant in terris;

cur igitur pro nobis orando eandem non exercerent ? 9. Lucæ XVI. 27. inducitur dives, qui Abrahamum rogat ut mittat Lazarum ad fratres suos, ne et ipsi venirent in illum locum tormentorum; cur ergo potius Sancti non essent de salute nostra solliciti ? 10. Patres una voce docent, Justos et Martyres in cælis intercessores esse pro nobis, nosque in illam expectare æternam requiem: ita I. et II. Sæculo S. Ignatius ad Ephesios, Hegesippus apud Euseb. l. 3. c. 32. S. Irenæus l. 4. c. 31. ac Sæc. III. Origenes Hom. 26. in Num. « Quis dubitat, quod Sancti quique Patrum orationibus nos adjuvent ? » ita l. *de Orat. et in Exhort. ad Martyrium*. S. Cyprianus *Epist. LVII. ad Corn. et L. de Mortalitate* « Magnus, inquit, nos carorum illic numerus expectat: parentum, fratrum frequens nos et copiosa turba desiderat jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita »

XXIV. Quare non mirum, si Ecclesia tot stipata momentis in Concilio Triden. decreverit, Fide catholica tenendum esse, Sanctos pro hominibus in cælis orare. At ea de re audiatur Concilii Decretum Sess. 25. ubi « Mandat... ut juxta catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et Sacrorum Conciliorum decreta; in primis de Sanctorum invocatione, intercessione, Reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu (Episcopi cæterique etc.) fideles diligenter instruant, docentes, eos Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum

C. D. N. qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero qui negant, Sanctos, æterna felicitate in Cælo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire... Si quis autem his decretis contraria senserit, vel docuerit, anathema sit ».

CAPUT IV.

RECTA SANCTORUM INVOCATIO PROPUGNATUR.

XXV. Vigilantius ut jam dictum est, quam S. Hieronymus dormitantium meritò vocitabat, Vigiliantius, inquam, omnium primus juxta Bellarmini sententiam, Sanctos non esse invocandos arbitratus est. Wiclefus autem id non quidem illicitum, at inutile dictitabat, atque impuris phrasibus antiquum hunc Christianorum morem spernebat. Ex turbidis hisce fontibus Lutherani et Calvinistæ invectivas suas in Sanctos hausere. Calvin. l. 3. Inst. c. 20. Catholicos calumniabatur, quod in suis precibus mortuos exorent, neglecto Christo Domino Mediatore nostro, et ignorare fingit iste impostor, eos preces aut exordiri a Dei et Christi nomine, aut eas concludere. Quid aliud agimus cum precamur: *Kyrie eleison*, *Christe eleison* ? Est ne ulla Ecclesiæ Oratio

aut hymnus qui non desinat in gloriam Dei ? An ullæ Ecclesiæ preces quæ non terminentur, *Per Christum Dominum nostrum ?* Oportet hæreticos argumentis destituti, si ad mendacia confugiunt. Quanquam non pauci inter heterodoxos rei veritate convicti fateri coacti sunt, Sanctos pro Ecclesia orare, inter quos ipse Calvinus in Epistola ad Jac. Sadoletum; at ex hoc eorundem invocatio per se descendit. Hinc alii heterodoxi licet cum limitatione aliqua hanc invocationem non diffitentur, ut Jo. Molanus, qui id concedebat, dummodo profiteremur, ad Sanctos directas preces quibuscumque verbis conceptas non aliter esse intelligendas quam ad eorum intercessionem apud Deum postulandam. Cui Bossuetus respondebat « Non invocamus Sanctos ut bonorum auctores et datores: Absit: Sed ut amicos Dei ac propinquos nostros invitamus, ut nobis apud communem Patrem per communem Mediatorem præbeant fraternæ ac piæ deprecationis auxilium; quod bonum et utile Synodus Tridentina prædicat; nec quidquam amplius « Hinc cadunt convicia omnia et calumniæ, quibus hagiomachi contra catholicos invehuntur; ut fit in *Apologia confessionis Augustanæ Art.* 21. ubi illi apostatæ de Catholicis scribere non verentur » Faciunt de Sanctis mediatores redemptionis: fingunt Christum duriorem esse, et Sanctos placabiliores, et magis confidunt misericordia Sanctorum quam misericordia Christi; et fugientes Christum, quærunt Sanctos » Quæ certè in suo depravato cerebro sibi commiscuntur hæretici, nulloque modo ex laudabili catholicorum praxi, quorum alia mens est, alius animus. Qui non ex diffidentia erga Deum aut erga Mediatorem

Christum, sed ex diffidentia suiipsorum in societatem precum ad Deum Sanctos adsciscunt. Verentur quippe ne ob mala sua merita et indignitates, ne ob precum languorem, ac fidei, spei, et caritatis defectum jure a divina justitia repellantur; et ideo coadjutores et comprecatores invitant, quos Deo esse gratos noverunt, ut ad Thronum gratiæ simul adeant et virtutum incrementum obtineant. Ita humilitatem suam testantur, et præsumptionis ac audaciæ notam fugiunt, dum se immeritos profitentur divinæ misericordiæ thronum immediatè adire; simulque ex Sanctorum exemplis majorem in se devotionem et fervorem accendunt. Quæ quisnam non optima censeat? Hinc ipsemet Leibnitius licet lutheranus in hac praxi nihil a Religione alienum videbat, qui in *Systemate Theologico* (Opere posthumo edito Parisiis 1819. in 8.) plura habet in defensionem hujus Sacri Cultus, inter quæ pag. 160. « Cum invocantur Sancti, auxiliumque eorum expetitur, semper subintelligendum, consistere auxilium eorum in precibus, quas pro nobis magna efficacia fundunt, ut Bellarminus notavit: ex g. juva me Petre aut Paule, nihil aliud significare debere, quam ora pro me, aut juva intercedendo pro me ».

XXVI. Sed et hæc Sanctorum invocatio plurimis Scripturarum exemplis nititur, ut statuenda sit catholica veritas, nempe « Licitam esse, imo bonam atque utilem Sanctorum invocationem, ut pro nobis apud Deum orent » Nam 1. Angeli in sacris Literis in auxilium nostrum sæpe invocaptur, ut cum Jacob benedicens Filiis Joseph Genes. XLVIII. orabat: *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac:*

Deus qui pascit me ab adolescentia mea . . . Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac. Clarior optari locus non posset pro adstruenda Angelorum Sanctorumque invocatione, ubi adnotandum, Dei benedictionem cum Angeli benedictione Jacob conjunxisse, ac sub protectione SS. Patriarcharum filios Josephi posuisse; quod tamen servata interni cultus distinctione inter Deum et ejus Sanctos fecisse tenendum est. Desipiunt autem hæretici, cum volunt hoc loco nil aliud significari, quam pueros illos Jacobi, Abrahami et Isaaci nomine vocandos fuisse: nullibi enim legitur Ephraim et Manasse eorum nominibus fuisse appellatos. Sed Angeli invocatio aperta et clara est; cur ergo Sancti simili gloria a Deo donati non invocabuntur? 2. Non desunt exempla alia ejusmodi invocationis, ut Danielis c. 3. ubi tres pueri per sanctorum intercessionem divinam implorant clementiam his verbis: *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.* Ut quid ergo hæretici catholicos damnant, quod illustria hæc exempla sectentur? Quin et inde sequitur, invocationem hanc a Deo ipso probari, imo utilem et commendatam haberi. 3. Nec desunt in Novo Testamento exempla, ut cum Joannes Apocal. 1. ait: *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est: et a septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, et a Jesu Christo qui est testis fidelis . . . et princeps regum terræ.* Videant hîc efflagitari apud Deum SS. Angelorum intercessionem. 4. Justi licitè ac

utiliter invocantur etiam cum vivunt; potiori ergo jure postquam ad cælestem Patriam pervenerint utiliter invocabuntur. At id luculenter Scripturæ docent, ut cum 1. Reg. c. 7. filii Israel Samuelem rogant: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manibus Philistinorum*. Et Jobi c. ult. Deus ipse ait ad Jobi amicos: *Ite ad servum meum Job: ille orabit pro vobis, et faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia... Et suscepit Deus faciem Job.* Et Apostolus ad Rom. V. *Obsecro vos fratres ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*. Quod et alibi sæpe facit. An hi omnes cum sanctis se commendabant, idque Dei ipsius jussu, injuriam forsan Deo irrogabant? hoc argumentum tanti est ut nunquam adversarii aliquid ei respondere nisi insulsè potuerint, ut cum Calvinus ajebat, aliam esse rationem vivorum, aliam mortuorum, quia viventes sunt membra ejusdem Ecclesiæ, ut alii pro aliis orare possint. At unde noverat Calvinus, id pro Sanctis vetitum a Deo fuisse? Præterea nonne Sancti cælites ad eandem Christi Ecclesiam pertinent? Denique si nulla Christo injuria infertur adhibere apud ipsos deprecatores sanctos in terris viventes, cur erit injuria Sanctos interponere jam in cælo regnantes? De illis quippe dicitur: *Accessistis ad Jerusalem cœlestem et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et ad multorum millium Angelorum frequentiam*. Videat Calvinus, an horum conditio præstantior iis sit qui in terris degunt.

XXVII. At hæc omnia non ne confirmat usus veteris Ecclesiæ, cujus vox per Concilia loquitur et per Patres? Oecumenica Synodus Chalcedonensis Act. 2. habet:

« Omnes hæc ipsa dicimus: Flaviano æterna memoria: Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat ». In Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imp. habetur « S. Proterium in choro et ordine SS. Martyrum ponimus, et ejus intercessione Deum propitium habere speramus ». Eadem est sententia Synodi VI. Generalis, et plurium particularium, quæ ante annos mille celebrata sunt. Nubes autem Patrum, et monumenta innumera afferri possent, quæ adducuntur a Bellarmino, Trombellio, Genero, aliisque; ut Origenes, Cyprianus, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius etc. Basilius itaque ajebat *Homil. in XL. Martyres* « Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret » S. Cyrillus Hierosolym. *Catechesi V.* ait « Cum hoc Sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras » S. Greg. Nazianzenus *Orat. XXIV. de laudibus S. Cypriani Martyris* historiam narrans S. Justinæ quæ in magno versabatur periculo virginitatem amittendi, habet: « Hæc Virginem Mariam supplex obsecrans, victrix e certamine discessit » In fine autem S. Cyprianum compellans clamat « At tu nos e Cælo benignus aspicias sermonesque nostros ac vitam guberues » Ambrosius verò l. *de Viduis* scribit « Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis in præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi etc. » Atque ita Chrysostomus, Augustinus, aliique passim. Sed et ipsa ratione idipsum conficitur. Ut enim ratiocinabatur S. Hieronymus adversus Vigilantium, qui viventes tantum mutuo pro se invicem orare posse dabat « Si Apostoli, respondebat, et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc

debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, et triumphos » Deinde Communio inter Ecclesiam triumphantem et militantem, unam societatem unumque mysticum corpus sub Christo capite constituit; ut propterea partes singulæ mutuo sollicitæ sint oporteat. Denique arctissimo caritatis vinculo Cælites sunt nobiscum conjuncti; ut fieri nequeat, quin benevolentiæ signa præcipue cum rogantur, apud Deum testentur. Hæc adeo clara sunt, ut ipsi novatorum antesignani Lutherus, Oecolampadius, Melancton, Brentius a Sanctorum invocatione se minimè alienos ostenderint.

XXVIII. Ex jam delibatis ergo invictissimè infertur, doctrinam de intercessione ac de invocatione Sanctorum fuisse omnium temporum, omniumque locorum. Nam quarto Ecclesiæ Sæculo Patres sive Græcos sive Latinos in id consensisse non minus ex illorum scriptis quàm ex adversariorum confessione constat. Hos verò in hanc doctrinam de repente non concurrisse, sed eam a tertii sæculi disciplina et praxi hausisse et ex auctoritate Patrum quarti Sæculi, et ex monumentis patet Sæculi Tertii, Origenis præ cæteris et Cypriani. Hos tandem doctrinam hanc a Sæculo Secundo accepisse Eusebius, Irenæus, Tertullianus et Ecclesia Smyrnensis, quorum auctoritates mox afferentur, dubitare non sinunt. His accedunt expostulationes ab ethnicis, hebræis et hæreticis contra Catholicos factæ propter hunc Sanctorum cultum, quem cum non intelligerent, pessimè interpretabantur. Communis fuit igitur et perpetua hæc Ecclesiæ praxis, et ab Apostolicis proculdubio ducta temporibus quæ nihil innovare præcipue in re tanti momenti cogitasset, juxta antiquam regulam qua semper usa fuit « Nihil innovetur, nisi quod traditum est ».

CAPUT V.

DE CULTU SACRO SANCTIS LICITÈ EXHIBENDO.

XXIX. Quæ hucusque disputata sunt, abundè sufficerent, ut controversia de licito aliquo cultu Sacro erga Sanctos cælites finita haberetur, atque ut hujus cultus utilitas ac rectitudo constaret. Revera si, ut ostensum est, Sancti in Cælis pro nobis orant, iisque supplicare fas est, precesque ad Deum pro nobis fundunt, quid ni licebit aliqua eos veneratione prosequi? At hæretici nos cogunt ulterius protrahere disputationem, qui sophismata innumera in rem hanc congessere, nosque accusant, quasi honorem soli Deo tribuendum Sanctis velimus impendere. Et quamvis calumniosè id affirmare pergant, tamen putida hæc mendacia gregalibus suis insussurare non cessant, quo per fas aut nefas eos animo a nobis aversos faciant. Operæ igitur pretium est, ut has ineptas accusationes, quibus turpem suam defectionem a Sancta Ecclesia matre nituntur contegere, longe, datis vadibus, propulsemus. Statuendum igitur est: «*Licere Sanctis in Cælo regnantibus cultum deferre Sacrum, civili nempe majorem, et multo inferiorem eo qui Deo debetur*». Id verò ex Sacris Literis 1. ostenditur. Nam Josue C. V. 15. cum Angelus huic duci apparuisset, eique dixisset: *Sum princeps exercitus Domini . . . Cecidit Josue pronus in terram et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Tunc autem tantum abfuit, ut hunc honorem Angelus recusaverit, qui potius jussit Josue,

ut solveret calceamentum de pedibus suis, inquiens: *Locus enim in quo stas, sanctus est: Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum*. Legitur quoque Numer. XXII. 31. Balaamum *pronum in terra Angelum adorasse*. Hæc autem veneratio nec merè Civilis esse poterat, neque latriæ, sed media inter utramque, qualis sanctis cælitibus tribuenda esse asseritur. Hic ut vim declinent tantæ auctoritatis hæretici illud effugium imaginati sunt, ut dicerent, tunc Filium Dei fuisse; qui Patriarchis apparuerat. Poterat quidem id esse; at id haud noverant Patriarchæ illi, neque de ea re Deus illos commonefecerat: imo neque Angeli id manifestarunt unquam. Quid? Nonne Deus ipse Israëlitas certiores fecerat *Exodi C. XXIII.* 20. Angelum suum eos præcessurum fore? *Præcedetque te*, inquit, *Angelus meus: observa eum, et audi vocem ejus: nec contemnendum putes. ... Est enim nomen meum in illo*. Videant ergo hagiomachi Deum ipsum nobis erga Angelos suos venerationem jubere, quibus de nobis mandavit. Cur ergo non etiam erga Sanctos suos?

XXX. Sed et pro Sanctis prostrant in Scripturis exempla. Et 1. legitur Regum c. 28. quod rex Saul conspecto Samuele, quem pythonissa crediderat evocasse, *inclinavit se super faciem suam in terra et adoravit*. Hic cultus merè civilis esse non poterat, quippe qui a Rege suo subdito præstabatur; sed neque hic cultus improbatus in Scriptura legitur. 2. Homines quoque Sancti dum viverent, cultu hoc adorati leguntur, ut 3. *Regum* C. XVIII. 7. Elias propheta ab Abdia dispensatore Domus regis Achab, qui vir erat timens Deum; cui cum Elias occurrisset, et ille eum cognovisset, *Cecidit*

super faciem suam, et ait : Num tu es, Domine mi, Elias? Nec ibi legitur, venerationem hanc Prophetam respuisse 3. *Libro IV. Reg. c.* 2. 15. Filii prophetarum cultu certè plusquam civili Eliseum venerati sunt, cum legatur ibi : *Videntes autem filii prophetarum dixerunt : Requievit Spiritus Eliæ super Eliseum; Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.* 4. Idem c. 4. 27. ejusdem libri dicitur de Sunamitide, quæ corruit ad pedes ejusdem Elisei, et *adoravit super terram.* Quare si nefas non erat sanctos Prophetas ac Dei amicos viventes prosequi religioso cultu in terris; cur nefas erit idipsum cum iis agere, postquam cælesti Regno donati sunt?

XXXI. Hoc ipsum evincitur ex vetusta Traditione et Ecclesiæ praxi, qua cultu sacro consuevit memorias sanctorum solemniter celebrare. Et 1. Justinus Martyr *Apologia* 2. scribit « Nos Deum Patrem, et ejus Filium, bonorum Angelorum exercitum . . . colimus et adoramus; verboque et re veneramur ». 2. Ecclesia Smyrnensis in Epistola encyclica de martyrio S. Polycarpi habet, « Natalem ejusdem martyrii diem cum hilaritate et gaudio fuisse celebratum » 3. S. Cyprianus Epist. V. ait « Martyrum passiones anniversaria commemoratione celebramus » et Epist. 37. præcipit, ut notentur tempora, quibus Christi Martyres iu Dei honorem occumbebant, ut eorum memoriæ celebrari possent. 4. Eusebius Lib. IV. *De Vita Constantini* cap. 60. scribit, in Templo in Memoriam SS. Apostolorum Constantinopoli ab Imperatore extructo « *precationes in honorem* eorundem Apostolorum celebratas fuisse etc. » 5. Idem Eusebius *Hist. Eccl. l. VII.* c. 19.

scribit, summa reverentia servatam fuisse S. Jacobi Apost. Cathedram, cujus rei rationem reddit inquiens « Satis perspicuè declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani, Viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur » An hæc hæreticis non videtur justa causa honoris ? 6. S. Hieronymus *Epist. ad Riparium* contra errores Vigilantii, ait « Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: *qui vos suscipit, me suscipit* ». An neque hunc rectè sensisse putabunt ? Sed et ei consonat S. Ambrosius *Serm.* 6. cum ait « Quisquis honorat Martyres, honorat et Christum, et qui spernit sanctos, spernit et Dominum ». 7. S. Augustinus l. XX. *contra Faust.* c. 21. habet: « Populus Christianus Memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat ... Colimus Martyres eo cultu dilectionis et Societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei ... At eo cultu qui græcè λατρεια dicitur, latinè uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus nisi unum Deum « Atque ita passim Patres Sanctorum cultum commendant, atque declarant. 8. Concilia eandem doctrinam testata sunt, ut Carthaginense I. Gangrense etc. Nicænum verò II. Generale decernit « Apostolicas Ecclesiæ Traditiones, quibus veneratio culturaque Sanctorum docetur, recipimus et veneramur: Eos autem uti Ministros, amicos et filios Dei existentes honoramus ... Sancti enim in Dei manu sunt, et ob id *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* ». Itaque Fidei Catholicæ professio in

Tridentino Conc. sancita, Sanctos venerationem decere statuit, in qua dicitur: *Constanter teneo . . . Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre.*

XXXII. His omnibus duplex accedit ratio 1. Sicut honor civilis et cultus ob naturales dotes et politicas debetur hominibus, Principibus, Magistratibus, Sapientibus etc. qui ex protestantium etiam confessione licitus est; ita cultus plusquam civilis Sanctis est impendendus ob supernaturales eorum dotes, quibus in Empyreo Beati præfulgent. 2. Sancti illi sunt a nobis honore afficiendi, quos Deus ipse gloria et honore coronavit et extulit. Tales sunt Beati cum Christo regnantes, quibus eximiam gloriam Deus pollicitus est (1. *Regum II.* 30. *Lucæ XXII.* 29 *Joannis XII.* 26. *ad Rom. II.* 10. *Apocal. III.* 21.) Honor itaque a nobis utpote inferioribus est eis deferendus. Revera dicitur in Psalmis: *Mirabilis Deus in Sanctis suis: Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Imo Deus ipse dicitur Jo. XII. honoribus sanctos augere, ubi Christus ait: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus:* Et c. XVII. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum*. Et Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo meo, et scribam super eum nomen meum . . . Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in Throno meo*. Et rursus Jo. XII. 26. *Ubi ego sum, illic et Minister meus erit*. Matth. verò XIX. 28. ait Dominus: *Vos qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in Majestate sua, sedebitis et vos super Sedes judicantes . . .* Quas dignitates verè eximias cum Regius Psaltes olim contemplaretur Psal.

CXXXVIII. exclamare coactus est : *Nimis honorificati sunt Amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum!* Atque rursus de iis dicitur : *Et regnabunt in sæcula sæculorum.* Sapientiæ verò c. V. 17. de eorundem gloria habetur : *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum ... ideo accipient Regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio Sancto suo defendet illos ...*. Num ergo qui tantopere exaltati sunt, quosque Deus ipse tot muneribus locupletavit ut essent honore digni ac veneratione, honorandi non erunt? Quis audeat ut dicat, non esse colendos, quos Deus ipse honorificavit, ac imperio, regno et principatu super omnem terram adauxit? Quapropter invidos ac prorsus iniquos se protestantes produnt in Sanctos, cum eum cultum damnant illis exhibitum, quem ipsemet Deus splendidè adeo commendat, quemque B. Virgo Maria sibi a fidelibus fore deferendum vaticinata est, cum Lucæ c.II. canebat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes etc.* Ac de sanctis aliis dicebat : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*. Jure igitur Concilium Gangrense anno 324. in Paphlagonia celebratum Sanctorum contemptores execratum est Can. XX. definiens « Si quis ... Conventus abominatur qui ad Confessiones Martyrum celebrantur, et ministeria quæ in eis fiunt, simul cum eorum Memoriis execratur, anathema sit » Videat ergo impius Calvinus, qui impudentissime Sanctos Cælites *larvas* vocabat, *mortuos*, *umbras*, *colluviem*, et catholicos deridebat, quod mortuos exorent; videat, inquam, quosnam spernebat;

eos nempe, quos Christus Dominus in Throno suo sedêre facit, eos qui judices illius erunt, et quorum contemptus in ipsum Deum redundat, qui eos sanctificavit et cum quo regnabunt in Sæcula æterna.

CAPUT VI.

ADVERSARIORUM OBJECTA CONTRA SANCTORUM CULTUM ET INVOCATIONEM DILUUNTUR.

XXXIII. Hæreticos Lutheranos et Calvinistas sicut in cæteris ita et in articulo de Sanctorum Cultu et Invocatione valde inter se discordes ac repugnantes esse ex illorum actis et scriptis abundè cognoscitur. Alii quippe cultum simul improbant et invocationem: alii venerationem dant quidem, at damnant invocationem: alii ipsam quoque invocationem concedunt, at illam quasi inutilem respuunt: alii mitiores demum ac moderatiores probant utrumque, dummodo, ajebat Jo. Molanus, hæc invocatio per modum fiat intercessionis: nempe ut intelligamus, quæ a Sanctis petimus, ea nobis precationibus suis a Deo impetrare, atque efflagitare. Verum hæc est mera ac simplex catholicæ Ecclesiæ doctrina, quæ optimè novit, Deum bonorum omnium esse largitorem, atque omne datum optimum ac donum perfectum desursum esse descendens à Patre Luminum. Itaque opus non erat, ut tot impiis declamationibus adversus Ecclesiam sanctam insurgerent Veritatis columnam, magistram, et firmamentum. At quid expectabis ab iis, qui viam Veritatis deseruere, ut odio insano, suisque opinamentis locum darent? Inter quos

hæreticos furiosiores meritò recensendus est Jo. Franciscus Buddeus homo Lutheranus (*Inst. Theol. Dog. l.* 2. *c.* 3. §. 20.) qui Urbano Rhegio dicenti « Honorare Sanctos debemus, sicut vetus Ecclesia eos honoravit » : subdolè ita respondet : « Ut eos adoremus, cultuque religioso prosequamur aut invocemus, meritò religioni nobis ducimus, cùm hunc honorem solus sibi Deus vindicet... In quancumque autem partem se vertant Romanenses... ab idololatriæ crimine se liberare nequeunt « En qua fronte Lutheranus iste æquivocis rem tantam involvens, eam veluti ex tripode dirimere sibi arrogat, majoresque suos, totamque veterem ac recentem Ecclesiam temerarius homo calumniatur ac damnat. Vult itaque Buddeus ut cultus iste merè civilis habeatur, ac uti puris creaturis datus, quæ nullis supernaturalibus donis sint exornatæ, secluso prorsus ab eis Deo ac longè semoto, qui Sanctos facit : aut quasi cultus iste ex sono vocabulorum sit æstimandus, non ex intentione ac voluntate colentium. At hæretici hujus tricæ dissipantur observando, Cultum eis exhibitum *religiosum* dici, non quasi immediatè a virtute Religionis oriatur ; verum ita fuisse appellatum, quod intuitu religionis fiat, et ab ea aliquo modo jubeatur. Quid ? Nonne Lutherus *in c.* 2. *Epist. ad Gal.* ipsum civilem cultum Dei jussu Magistratibus et ipsis doctoribus exhibitum *religiosum* habet ? Sed Buddeus qui ab eo nomine adeo abhorret, audiat Hugonem Grotium utique ipso doctiorem *in Animadv. contra Rivetum* ita scribentem « Ambiguam esse hanc religiosi cultus appellationem ; nam et religiosus est honos qui soli Deo defertur, et religiosus est qui ob Deum defertur Angelis et

Apostolis: Neque enim is honos ad communem civilemque vitam pertinet » Ut quid ergo hæretici apud ignarum vulgus Orthodoxos jugiter insectantur, quasi eo cultu Deo injuriam inferant? Ingeminant quidem et insussurrare perpetuò suis gregalibus audent, hujus cultus in sacris literis nec vestigium nec volam haberi; at ea nobis velle seriò obtrudere impudentissimæ insaniæ est, cum luculenter contrarium jam ostenderimus. Sed et alia plura afferri possent, si esset opus, ut *Geneseos* XIX. 21. ubi Lot Angelum exorat, ut salvet civitatem Segor, quod impetravit. *Oseè quoque c.* XII. legitur Jacobum Patriarcham Angelum Dei rogasse (ut habetur Gen. c. XXXII.) ac de eo dici: *Et in fortitudine sua directus est cum Angelo, et invaluit ad Angelum, et confortatus est, et flevit, et rogavit eum.* En Angeli qui rogantur ab hominibus, exaudiuntque hominum preces utique per intercessionem apud Deum. Quod si Angeli, cur non et Sancti viri in cælum elati, de quibus ajebat Christus Matth. XXII. Quod *erunt sicut Angeli Dei in Cælo?* Sed jam adversarii audiantur.

XXXIV. Ajunt itaque 1. Religiosum cultum soli Deo deberi, ut inquit Apost. 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor et gloria*. Et Matth. c. 4. 10. hoc ipsum jubetur, et alibi. 2. Cum S. Joannes Apost. *Apocal.* XIX. 10. ad pedes Angeli cecidisset ut eum adoraret, Angelus id vetuit, inquiens: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum . . . Deum adora*. Quod alia vice prohibuit idem repetens c. XX. 3. Paulus et Barnabas *Actor.* XVI. non siverunt, cultum sibi deferri ab hominibus, quibus ajebant: *Viri fratres, quid facitis? Et nos*

mortales sumus etc. Id et S. Petrus *Actor.* X. non permisit Cornelio, cui dixit: *Surge et ego ipse homo sum.* 4. Mardochæus *Estheris c. XIII.* 12. ita Deum alloquebatur: *Scis quia non pro superbia fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum... sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem etc.* 5. Apostolus *ad Coloss. c.* 2. 18. ait: *Nemo vos seducat in humilitate et religione Angelorum.* 6. Cultus religiosus creaturæ exhibitus mera est idololatria; at Sancti meræ sunt creaturæ, eorum ergo cultus reprobandus est. Atque ita plura indigesta oratione agglomerant, nihil distinguere volentes, neque circumstantias ponderare. Hæc tamen tanto apparatu congesta facile dispelluntur. Nam quæ 1. loco ab Apostolo et apud Matthæum dicuntur, supremum Latriæ Cultum soli Deo vindicant, at non excludunt cultum inferioris ordinis, quo Sanctos prosequimur. Hinc Apost. Rom. 2. ait: *Gloria et honor omni operanti bonum.* Non ergo honorem quemlibet, at divinum dumtaxat submovet a creaturis. Ita et Christus qui dixit: *Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; de cultu Latreutico locutus est, quem diabolus sibi arrogare tentabat, et quem nefas est creaturis impendere; quare et ipse de suis ministris ajebat: *Qui vos recipit, me recipit: et qui vos spernit, me spernit.* Ut hinc pateat, hunc inferiorem cultum esse Deo acceptum, utpote qui ad ipsum Deum referatur. Itaque S. Thomas 2. 2. q. 82. a. 2. « Devotio, inquit, quæ habetur ad Sanctos Dei vel mortuos vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum; in quantum scilicet in ministris Dei, Deum veneramur » Cum igitur Patres tu-

entur, Uni esse Deo serviendum, et hoc veræ Religionis signo nos a gentilium superstitione distingui, id cum praxi Ecclesiæ facilè conciliatur. Nec ratio adest, cur adversarii a nomine etiam *cultus religiosi* abhorreant; cum talis nuncupetur, non quasi immediate a virtute Religionis eliciatur, sed quia motivo fiat ac intuitu Religionis. Hoc sensu ajebat S. Jacobus c. 1. *Religio munda et immaculata hæc est ... visitare pupillos* etc. Id intellexere heterodoxi mitiores, ut Gull. Amesius l. 6. c. 5. § 33. ubi ait « Honorandæ sunt creaturæ Dei ex religione ergà Deum, non religione erga ipsas: Sic religio imperat, non elicit istum honorem » Religiosus quoque cultus iste appellari solet, ut a civili secernatur, ut ipse Grotius probat supra relatus.

XXXV. Nec majoris molis sunt argumenta cætera: Nam ut 2. occurramus, quo Dalleus ineptè triumphum canit, respondetur, Angelum præ modestia non permisisse ut honore a Joanne afficeretur; non quod ut illicitum damnaverit cultum illum. Sanè Joannes iterum voluit Angelum adorare; quod tantus Apostolus utique non tentasset, si cultum illum inferiorem ut illicitum prohiberi sensisset. At; non ne vidimus, Angelos non semel permisisse, ut tali afficerentur honore? An non, si illicitus esset, illum semper respuissent? Ad 3. Quis ex contextu non agnoscit, cultum quem Lycaonii Paulo et Barnabæ impendere contendebant, idololatricum apertè fuisse? Meritò itaque ut profanum respuere illum debuere. S. Petrus autem vel timuit divinum sibi cultum deferri a Cornelio adhuc gentili; vel præ modestia eum recusavit. Hæc itaque exempla ad cultum Cælestium trahenda non sunt. Nam Sancti in terris ita se

modestè gerere debuerant, ut de Petro habet Chrysostomus Hom. XXIII. « Hoc faciens, inquiens, humilitatem suam ostendit, et alios docuit » Ad 4. Putabat Mardochæus Amanum ambiisse honores divinos, vel quales ex religionis motivo sanctis tribuuntur, qui, ut dictum est, referuntur in Deum sanctitatis auctorem; hinc jure ajebat: *Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*. Sed eruditi observant, genuflexionem apud orientales coram regibus non fuisse adhibitam, eo quod signum esset cultus, qui soli Deo dabatur. Ad 5. Norunt omnes, Apostolum eo in loco damnare superstitiosum spirituum et geniorum cultum juxta gentilium philosophorum errorem, quem Cerinthiani adoptaverant, quique docebant in his spiritibus seu angelis omnem fiduciam esse locandam, quasi illi nos ad Deum ducerent, ut Mediatore Christo non opus esset: itaque ait Apostolus: *Nemo vos seducat in religione angelorum . . . et non tenentes caput*, nempe Christum Dominum. Ita de quadam superstitione erga Angelos locuti sunt nonnulli Patres, ut Theodoretus, et Concilium Laodicenum can 35. Qui non rectum cultum damnant, ut ex eorum dictis elucet, sed idololatricum cultum. Cæterum obscura quædam dicta, apertam rectamque doctrinam supra ostensam infirmare non queunt. Ad 6. verò, Ultrò concedimus, divinum cultum creaturis impensum esse idololatricum; minimè verò cultum inferiorem ac Deo subjectum. Sed jam Ecclesiæ mens nota est omnibus, ut jam pluribus verbis opus non sit. Sanctos colit, ut Dei servos et amicos; solum autem Deum adorat ut supremum Dominum hominum et Angelorum. Quo sensu scribebat Hieronymus in Vigi-

lantium « Quis enim, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? » Eandem calumniam a Fausto Manichæo Ecclesiæ impactam ita dispellebat Augustinus lib. 2. contra eund. c. 21. « Nobis calumniatur Faustus, quod Martyrum Memorias honoremus, in hoc dicens, nos idola convertisse.» Ubi fatetur quidem ab Ecclesia Sanctos coli ut eorum orationibus adjuvemur; at negat ipsis latriæ cultum deferri « Quis enim Antistitum, inquit, assistens Altari aliquando dixit, Offerimus tibi Petre et Paule?... Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit ... Latriæ itaque cultu nec colimus, neque colendum docemus, nisi solum Deum ».

XXXVI. Nec minus inepta sunt quæ opponunt heterodoxi contra Sanctorum invocationem. Ajunt ex. g. 1. Tridentini doctrinam contrariam esse illi Apostoli sententiæ 1. ad Timoth. 2. 5. *Unus Deus, unus est Mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus*. Dum ergo, ajunt, mediatores inducuntur Sancti, Christo infertur injuria; quod et Augustinus probat *Lib. 2. contra Parmenian. c.* 8. scribens « Si esset mediator Paulus... sic multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat etc. » 2. Sancti, ajunt, non sunt objectum nostræ fidei; ergo nec esse possunt nostræ invocationis objectum; dicit enim Apost. *Rom.* X. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Sed in Sanctis non creditur non ergo invocandi. 3. Christus orandi formam præscribens Matth. VI. 9. solum esse Deum orandum docet: *Orantes dicite: Pater noster qui es in Cælis etc.* Non ergo Sancti orandi sunt. Atque ita paralogismos congerunt, quibus non difficilis

responsio est. Ad 1. enim jamdiu responsum dederat S. Thomas 3. P. Q. 26. A. 1. Solum nempe Jesum Christum esse *perfectum* Dei et hominum Mediatorem; quod non impedit quin alii dicantur mediatores *secundum quid*, prout cooperantur ad unionem hominum cum Deo vel *dispositivè*, *vel ministerialiter*, vel per *modum intercessionis*, ut Sancti; qui non per propria merita nobis Dei Gratiam conciliant, sed virtute Meritorum Christi, a quibus omnes nobis gratiæ effluunt. Christus ergo est Unus Mediator Redemptionis primarius et propriè dictus: Sancti verò mediatores impropriè dici possunt suo modo, nempe mediatores secundarii atque intercessionis, uti Moyses hoc sensu mediator dictus est, *ad Galatas Cap.* 3. Sed protestantes sentiunt non detrahere Christi meritis mediationem sanctorum viventium; cur igitur ei injuriam afferet invocatio Sanctorum jam in cælis regnantium? Loco autem objecto S. Augustinus Donatistas oppugnabat, qui Sacramentorum efficaciam a sanctitate ministrorum pendere volebant, quos mediatores faciebant inter Deum et homines. At ubi S. Doctor ostendit Jesum C. esse officio et natura Mediatorem nostrum, sanctos non excludit, qui licet mediatores imperfecti, suo modo prodesse queunt. Cæterum tantum abest ut invocatio sanctorum injuriam irroget meritis Christi Jesu, ut magis potius tanti Mediatoris merita splendidiora faciat, quæ ut a Capite in alios sanctos fluunt, a quo et ut sancti sint, et ut prodesse nobis valeant, accipiunt.

XXXVIII. Quod 2. loco ex Apostolo proferunt adversarii, perperam sane adducitur. Nam ibi de fide sermo est in Jesum Christum, qui cum sit invocandus

ut Redemptor et verus Mediator noster; atque uti immediatum objectum fidei nostræ, dubio procul ejus fides invocationem præcedat necesse est. Quare illius invocatio non modo licita, sed necessaria est ad salutem. At Sanctorum invocatio licita quidem et utilis est, non tamen directè et expressè ab Ecclesia præcepta, nisi qui Sacris Liturgiis operam dare jubentur; atque inde singulis etiam fidelibus implicitè atque indirectè præcipitur quatenus publicis precibus interesse tenentur, quibus cultus et invocatio Sanctorum ab immemorabili continentur. Quin S. Hieronymus ea explicans Apostoli verba *ad Philemonem v. 4. Gratias ago Deo meo ... audiens caritatem tuam et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes Sanctos*: eam invocationem aliquo modo ad fidem pertinere sentiebat: ita ut una eademque fides licet motivo diverso in Deum referatur et in Sanctos, uti dictum fuerat *Exodi* c. XIV. 31. de Israëlitis: *Crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.* Et certè nemo potest recipere Dei fidem, nisi simul credat in Sanctos ejus. Fide autem unusquisque credere tenetur, *bonum esse ac utile Sanctos suppliciter invocare*, ut in Tridentino definitum est Sess. XXV. Sancti igitur non sunt invocandi ut supremus Dominus fons omnium bonorum; at eos ut apud Dominum intercessores invocare, utile ac laudabile est. Ad 3. Imbecilla sane est ea difficultas: Nam ibi Dominus formam orandi præscribit quantum ad ea quæ sunt petenda et quantum ad petendi modum; at non omnes, qui exorari possunt, definit; alioquin nec Filius nec Spiritus Sanctus exorari possent, cum de solo Patre ibi mentio fiat. Verum si Sancti cælites ob id exorari non possent; cur

licitum habent hæretici deprecari sanctos adhuc in terris degentes ?

XXXIX. Volunt præterea inutile esse, sanctos exorare, 1. Quia, ut ajunt, sancti non audiant preces nostras nec eas valeant agnoscere; ut enim habetur 3. Regum c. 8. 39. *Solus Deus scrutatur renes et corda*. Et Eccl. IX. 5. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui verò nihil noverunt amplius*. 2. Deus, inquiunt, semper est paratus preces nostras audire, ut frustra Sanctos adeamus eosque invocemus. 3. Ecclesiæ veteris doctrina fuit, ut Deum Patrem precemur, nobisque propitium reddamus: ita Cyprianus, Hieronymus, Hilarius etc. 4. Juxta Origenem *l.* v. *contra Celsum n.* 5. « Angelos a nobis invocari recta ratio non patitur ... ut Angeli nobis propitii sint ... satis est si erga Deum ita simus affecti ac illi ». Quod si Angelos invocare non licet multo minus Sanctos. 5. In vetustis Liturgiis preces leguntur pro sanctis ipsis; veteribus igitur persuasum erat, orationes nostras sanctis prodesse, non illorum nobis. Hæc tamen dissipare non valde operosum erit. Et quidem ad 1. S. Augustinus jamdiu respondebat *l. de Cura pro mortuis*: Quod etiamsi Sancti in cælis preces nostras nec audirent, nec perspectas et cognitas haberent, possunt tamen pro iis orare a quibus exorantur et invocantur; sicuti nos in terris pro defunctis oramus, quamvis nec ubi sint noverimus; neque quid agant, nec utrum nostris egeant precibus. Sed inepta hæc difficultas pluribus resolvi potest. Nam satis est, Deum has preces audire, ut Sanctorum meritis, quæ optamus; nobis conferre dignetur. Denique quamvis Sancti a nobis distantes per se ipsos non possent preces audire, nihil

impedit, quominus eas vel per revelationem cognoscant ipsius Dei, vel in Verbo divino, in quo ea videre quæ ad ipsos pertinent, consentiunt omnes. Hinc ex Evangelio scimus, Angelis multa esse nota quæ in terris fiunt ut Lucæ XV. 10. ubi ait Christus: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Et Apost. ad Corinth. c. IV. ajebat: *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus*. Sed et Abraham audiebat epulonem rogantem Lucæ XVI. cui respondebat: *Filii, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala*. Nostra igitur sancti agnoscunt. Verum cum Deus voluerit, ut sancti invocari possent, profecto voluit etiam ut ad eorum cognitionem ea pervenirent, quæ ad eos spectant, licet qua via illa cognoscant, essemus ignoraturi. Itaque *Solus Deus corda scrutatur* per se et scientia propria, Sancti verò ex cognitione eis a Deo concessa. Et si dicitur quod *Mortui nihil noverunt amplius*; dictum id est de naturali scientia ac propria quam habebant in terris; at plura ipsi noverunt scientia supernaturali, et revelatione acquisita. Ibi tamen loquitur Sapiens de scientia quæ ad bene moriendum utilis est, ad quod se non amplius parare queunt.

XL. Sed quæ ulterius adversarii opponebant, videamus. Ajebant 2. Deum ad exaudiendum semper esse paratum: Quis id ignorat? At verò confidimus, Deum ad preces nostras audiendas magis esse inclinatum, cum Sanctorum ope juvantur. Sed nonnulla hic notanda occurrunt. Et 1. Sanctorum intercessionem semper Christi invocationem includere, cum illos intuitu precemur meritorum ipsius Christi. 2. Docere Ecclesiam

Sanctorum cultum non in invocatione tantum, sed præcipue in illorum imitatione consistere, qua Deo accepti reddimur. 3. Cum B. Virginem exempli causa oramus «Solve vincla reis, profer lumen cæcis» ab Ecclesia intelligi, ut B. Virgo sit causa tantum moralis, seu peccata solvere intercedendo, non autem per se ac sine meritis Christi. 4. Ecclesiam omnes reprobare abusus, qui in hac praxi irrepere possent, nec privatorum formulas probare, quæ parum essent Deo dignæ. 5. Etsi non sit de fide, esse necessarium ad salutem Sanctos deprecari, cum id a Tridentino bonum tantum et utile definiatur, esset tamen suæ salutis neglector qui id omitteret, et peccaret qui ex contemptu usum adeo pium negligeret ac semper habitum laude dignum. Quod verò 3. loco afferebant, curandum nempe ut Deum nobis propitium reddamus, abundè jam in præcedenti responsione evacuatum est. Et ad Patres quod attinet, non de præsenti vita loquuntur, at de altera, in qua *unusquisque onus suum portabit*, ut Apostolus ait ad Gal. 6. 5. Nam hi Patres alibi de Sanctorum intercessione apertè locuti sunt, ajuntque in præsenti sæculo nos posse aliorum orationibus adjuvari; at non amplius apud Tribunal Christi. Ad 4. Mens est Origenis, Angelos non esse invocandos ea ratione, qua invocatur Christus Mediator noster, qui alibi et Angelum suum sanctum invocat, et Sanctorum patrocinium laudat, ut supra vidimus. S. Hieronymus Homiliam Origenis *De conversis ad fidem* in latinum transtulit, ubi inter alia habetur: « Tu heri sub dæmonio eras, hodie sub Angelo » Ad 5. In allatis Liturgiis in Missæ Sacrificio adhibendis memoriam fieri tum Sanctorum in cælo regnantium, tum alio-

rum etiam defunctorum: pro his Deus exoratur, sed pro illis glorificatur. Itaque in Liturgia S. Jacobo Apost. tributa habetur « Sanctissimæ, inviolatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ Dei genitricis et semper Virginis Mariæ et omnium Sanctorum ac justorum memoriam facimus, ut precibus ac intercessione ipsorum omnes misericordiam consequamur » In Liturgia verò S. Joannis Chrysostomi legitur «In honorem et memoriam superbenedictæ et gloriosæ Dominæ nostræ Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ, cujus intercessionibus suscipe, Domine, Sacrificium hoc in supercœleste tuum Altare etc. »; Videant hinc adversarii, an hæ Liturgiæ sibi, vel potius nobis faveant; et aliquando a clamoribus cessent.

CAPUT VII.

ALII ECCLESIÆ CATHOLICÆ RITUS CIRCA SANCTORUM INVOCATIONEM VINDICANTUR.

XLI. Quanquam ea, quæ hucusque de Cultu et Invocatione Sanctorum pertractata sunt, abunde sufficiant, ut orthodoxæ Ecclesiæ doctrina et praxis vindicatæ et probatæ habeantur; nihilominus ut omnis calumniandi prurigo et ansa hæreticis adimatur, ad peculiaria nonnulla descendere visum est. Interim cum non pauci cum Dallæo exprobrent Catholicis circa hunc Cultum abusus quosdam qui apud rudes invalescunt, aut qui etiam in quibusdam Ecclesiis particularibus viguerunt; Nos Dalleo et ejus asseclis respondemus, Ecclesiæ doctrinam non a privatorum praxi, nec a nonnullis scriptoribus, qui rem minus accuratè tractarunt, esse de-

sumendam, at verò ab ipsius Ecclesiæ Decretis. Nulla quippe est praxis ut ut recta et sancta, qua abuti imperiti non valeant. Itaque ut in Cultu Sanctis exhibendo *per defectum* heterodoxi errarunt, idque propria malitia et perversitate fecere, Ecclesiæ decretis ac doctrinæ obsistendo; ita *per excessum* alii, innocenter licet, errare potuerunt; quos tamen Ecclesia mandat ut instruantur, et ad ordinatum cultum exhibendum revocentur. Revera Conc. Tridentinum Sess. XXV. hæc habet « In has autem sanctas et salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit . . . Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro cultu tollatur etc. etc. « Audiendus præterea *Catechismus Romanus* Par. IV. c. 6. ubi catholicam ita doctrinam declarat » Confugimus ad auxilia Sanctorum qui in Cælo sunt, quibus etiam preces esse faciendas ita certum est in Ecclesia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio possit accidere ... Sed ut tollatur omnis error imperitorum, operæ pretium erit docere fidelem populum, quid intersit inter hanc invocandi rationem. Non enim eodem modo Deum et Sanctos imploramus. Nam precamur Deum ut ipse vel bona det, vel liberet a malis: a Sanctis autem, qui gratiosi sunt apud Deum, petimus ut nostri patrocinium suscipiant: ut nobis impetrent ea quibus indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes: ad Deum enim propriè dicimus: *Miserere nobis: Audi nos*: ad Sanctos: *Orate pro nobis*. Quanquam licet etiam alia quadam ratione petere a Sanctis ipsis ut nostri misereantur; sunt enim maximè misericordes,

Itaque precari possumus eos, ut conditionis nostræ misericordia permoti, sua nos apud Deum gratia ac deprecatione juvent, quo loco illud maximè cavendum est omnibus, ne, quod Dei proprium est, cuiquam præterea tribuant. Imo verò cum ad Imaginem Sancti alicujus quis Dominicam orationem pronuntiat, ita tum sentiat, se ab illo petere, ut secum oret, sibique postulet ea, quæ Dominicæ Orationis formula continentur, et sui denique sit interpres ac deprecator ad Deum; nam eos hoc fungi officio docuit S. Joannes Apost. in Apocalypsi c. VIII. « Hæc licet longiora excripta sunt, ut Novatores, qui hæc forsan non legerunt unquam, tandem noverint, quænam sit Romanæ Ecclesiæ doctrina, quam imperiti adeo facile insimulant. Inde ergo luculenter elucet, quasdam formulas, quibus precamur sanctos, quo in sensu accipere debeamus; nempe ut eorundem intercessione ea nobis a Deo donentur: Nam cum oramus B. Virginem ex. gr. « Nos culpis solutos mites fac et castos « : addimus etiam « Bona cuncta posce : sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus » : ut hinc nonnisi intercessionem nos efflagitare constet. Quod si hæretici doctrinam hanc nihilo secius damnare pergant, laborabunt *petitione principii*, cum hanc doctrinam non solum ex Apostolica traditione demonstraverimus, sed et ipsis Scripturis sacris, quas ipsi ut divinas agnoscunt. Hinc dum hanc doctrinam impugnare conantur, ad calumnias et ad sensus confictos et absurdos se convertant necesse est.

XLII. Quæritur itaque 1. Utrum Eucharisticum Sacrificium in Sanctorum honorem Deo offerri possit? Et respondetur: A priscis usque temporibus consuevisse

Ecclesiam Sacrificium Eucharisticum in Sanctorum honorem Deo offerre; ut ei nempe gratias ageret ob victorias a SS. Martyribus cæterisque cælitibus divina virtute relatas, illorumque intercessionem apud Deum bonorum omnium largitorem efflagitaret. Inter hujus antiquæ praxis exempla innumera Tertullianus *De corona Militis cap.* 3. ait « Oblationes pro Natalitiis annua die facimus » Sive ut habet S. Cyprianus ejusdem patriæ Carthaginis Episcopus Epist. XXXIV. « Sacrificia pro eis (nempe pro illorum memoria) semper offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus » Et Epist. XXXVII. *ad Clerum suum* diligenter adnotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari, ut, inquit, « celebrentur hic a nobis oblationes et Sacrificia ob commemorationes eorum » Quo Tertii Sæculi testimonio nullum præstantius. Confirmant hujus ritus antiquitatem Sæculo secundo fideles Ecclesiæ Smyrnensis in Epistola, qua S. Polycarpi martyrium describunt *apud Eusebium L. IV. Historiæ Ecclesiasticæ c. XV.* ubi ejusdem Ossa collegisse ajunt, et in loco decenti condidisse, ac in eodem loco Natalem ipsius hilari conventu (qui sine sacrificio non erat) quotannis celebraturos. His subscribit Augustinus L. VIII. *de Civitate Dei c.* XXVII. ubi docet, non SS. Martyribus, sed Sacrificium Deo offerri, cum Sacerdotes in eorum honorem Sacrum faciunt « Quis, inquit, audivit aliquando stantem Sacerdotem ad Altare etiam super sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? Cum apud eorum Memorias offe-

ratur Deo, qui eos et homines et Martyres fecit » Quare et apud Cyprianum de Sacrificio Missæ sermonem fieri dubium esse nequit, licet Dallæus id esse negandum sibi confingat. Rhenanus quoque infirmare nititur allatum Tertulliani locum, quem misere detorquet ad cujusque diem natalem ethnicorum more significandum; quod non tantum alienum esset a spiritu Christianorum illius ævi et a Tertulliani severitate; sed præterea Cyprianus ei coævus, conterraneus et interpres illius quid ea phrasi notetur apertè declarat. Demum adnotare juvat, Missam alicujus Sancti eam dici in qua peculiaris illius memoria fit, ac intercessio imploratur.

XLIII. Est II. inquirendum: An Templa et Altaria Sanctorum nominibus insigniri queant? Cui ut satis fiat, monendum est, hæreticos homines non semel Catholicam Ecclesiam calumniatos esse, Templa, Altaria, Sacerdotes Sanctis dicasse. Quæ vetus est cantilena a SS. Hieronymo et Augustino jamdiu refutata. Nam cum Sacrificia soli Deo facienda sint, hinc Templa, Altaria et Sacerdotes ad sacrificia offerenda ordinata soli Deo dicantur. At nihil prohibet, quin Templa et Altaria Deo erigantur sub Sanctorum invocatione. Vetustum esse in Ecclesia hunc morem monumenta plurima ostendunt, ita ut Binghamus ipse adnotaverit Templa antiquitus non modo fuisse *Dominica* appellata, sed et *Martyria*, *Apostolæa*, *Prophetæa*, cum ut plurimum super Sepulchra, et Memorias Martyrum, aliorumque Sanctorum essent extructa. Eusebius Cæsarien. memorat Basilicas in Sanctorum honorem erectas ut cum *L. IV. de Vita Constantini* Templum describit splendidum ab eo Imperatore Constantinopoli extru-

ctum in Memoriam Apostolorum ; et cum c. LX. eo in Templo precationes in Apostolorum honorem celebratas fuisse affirmat, *eamque Ædem in Memoriam et honorem Apostolici Collegii fuisse erectam et consecratam*. Sed et Patres Concilii Ephesini I. Anno 431. celebrati, ajunt se convenisse in sanctissima Ecclesia, quæ dicitur *Mariæ*. Concilium Gangrense sub initium Sæculi IV. Canone XX. loquitur de Martyrum Basilicis, easque approbat. Patres Chalcedonenses an. CCCCLI. dicuntur congregati in Martyris SS. Euphemiæ Ecclesia. Denique ne plura congerantur, S. Augustinus *L. VIII. de Civ. Dei* c. 27. narrat, in multis Ecclesiis Sanctorum nominibus insignitis dæmones a corporibus fugatos fuisse, subditque « Nec tamen nos eisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra et Sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam Sanctorum hominum Dei ... ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt Memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum « Hæc scitè Augustinus, quæ audiat hæreticus ac tandem sapiat. Plura de his legantur apud Card. Bona *De Ritibus Liturgicis L. I. C.* 15.

XLIV. Statuendum III. loco est: Num liceat Sanctorum Natalitia pio cultu recolere? Sed ex jam dictis manifestum fit, hunc fuisse vetustum Catholicæ Ecclesiæ Ritum, ut ex adductis Tertulliani, Cypriani, et Augu-

stini textibus. Eusebius quoque L. IV. Hist. Eccl. c. 15. hoc ipsum testatur, ubi Ecclesiæ Smyrnensis Epistolam refert supra notatam; nam ibi Smyrnenses scribunt: « Quo etiam in loco nobis, ut fieri poterit, congregatis in exultatione et gaudio præbebit Dominus Natalem Martyrii ejus (scilicet S. Polycarpi) diem celebrare tum in memoriam illius, tum in memoriam illorum qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem et alacritatem ». En festi dies in Sanctorum honorem ab ipso ferme exordio Ecclesiæ celebrati. Origenes quoque sub initium Tertii Sæculi *Homilia* 3. *in diversos Novi Testamenti locos*, ait, quotannis Sanctorum Innocentium memoriam celebratam fuisse «Quorum, inquit, Memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur secundum integrum ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum» En primis Ecclesiæ Sæculis, quæ purissima ab ipsis hæreticis habentur servatam disciplinam circa Natalitia Sanctorum in Cælis, quam modo servat Catholica Ecclesia. Plura hac de re habet S. Paulinus Nolanus Episcopus et S. Augustino coævus in suis *Natalibus* seu Poëmatiis in honorem S. Felicis Martyris conscriptis, ut *Natali XIII.* habet:

Et meritò Sanctis iste Natalis dies
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in superna Regna nascuntur Deo.

Sed consulatur Lud. Ant. Muratorii Dissertatio in Poëmata S. Paulini ab ipso primum edita, quæ est num. XIX.

Beausobrius tamen impudenter hæc festa reprehendit. 1. Quod nimis frequenter habeantur. 2. Quod hi festi

dies distinguantur ab aliis præjudicio quodam sanctitatis quæ ipsis inhæreat. Sed quantum ad 1. attinet, id Christianam Religionem commendat, cujus plures inventi sint, qui et actibus et ipsa sua morte honorem Deo debitum testarentur. Quanquam ex his diebus pauci sunt in quibus ab operibus vetitnm sit abstinere: qui verò jubentur prudenti œconomia sunt instituti. Ad 2. Festos dies sanctos appellare ex Sacris Scripturis Ecclesia didicit, ut ii qui Divino cultui præcipuè sint consecrati. Quare *Levitici XXIII.* v. 2. legitur: *Locutus est Dominus ad Moysen: Hæ sunt Feriæ Domini, quas vocabitis Sanctas*. Atque ita sæpe. Quis autem ignoret, Festa quoque in honorem Sanctorum instituta ad Cultum Dei referri, cui pro illorum gloria gratiarum redduntur actiones?

XLV. At IV. loco quæstio movetur, An liceat quoque Sanctis vota nuncupare, ac votivas tabellas ad illorum memorias et Sepulcra appendere? Circa quod adnotandum venit; quod votum propriè dictum de meliori bono faciendo, cum Actus sit religionis ac latriæ, hinc soli Deo fit, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3. omnes consentiunt. Quare qui spondent, aut vovent B. Virgini aut Sanctis, censentur implicitè vovere Deo coram Sanctis, aut in Sanctorum honorem, qui aut veluti testes advocantur bonorum operum quæ promittuntur, aut intercessio illorum imploratur et patrocinium ad vota implenda; qua ratione rudes communiter vovere censentur. Quod si quis vellet expressè alicui Sancto vovere, non interposita voti religione erga Deum, aut nihil de Deo cogitando, tunc vota propriè habenda non essent sed simplices religiosæ promissiones, quæ non ad latriæ

sed ad cultum duliæ pertinerent, quæ tamen obligarent, licet possent ab Episcopis dispensari. Veteres Patres de his Votis, quæ Sanctis nuncupantur, non raro locuti sunt; ut cum Eusebius *L. XIII. Præparationis Evangelicæ* scribit « Nam et eorum Sepulcra celebrare, et preces ibi, votaque nuncupare .... consuevimus » S. Damasus Papa Epigrammate in S. Felicem Nolanum, canit:

Te duce servatus mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Et Prudentius in Hymno de SS. Hemeterio et Chelidonio hæc habet:

Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant observantes voce, votis, munere.

S. Gregorius Turonensis *Lib. 2. Hist. c. 37.* scribit: « Domino gratias agentes et Vota B. Confessori Martino promittentes, læti nunciaverunt Regi etc. » Plura de his Votis in venerationem Sanctorum factis habet S. Paulinus in *Natalibus S. Felicis M.* de quibus videndus laudatus supra Muratorius dissertatione XVIII. in ejusdem S. Paulini Carmina, quæ habetur inter *Anecdota Latina* ab eodem edita Tomo I.

Votivas quoque Tabellas vel alia Signa ad illorum Memorias suspendere in monumentum beneficiorum quæ a Deo illorum ope ac patrocinio accepimus, a tempore immemorabili servatum in Ecclesia habemus, idque ratum censuit. Hujusmodi Votorum illustris memoria adest apud S. Paulinum supra recensitum in *Natali Tertio S. Felicis M.* a L. A. Muratorio loco notato, qui et illum restituit, ubi inter alia habetur:

Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes
Vota dicant sacris rata postibus, omnia gaudent

Sed non prætereundumTheodoreti Cyri Episcopi splendidum testimonium *Sermone VIII. de Martyribus ad Græcos*, ubi legitur: « Piè verò fideliterque precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt; manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia: Nam alii quidem oculorum, alii verò pedum, alii porrò manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta.... » Videantur alia quæ ibi habentur. Quis itaque consuetudinem adeo vetustam et a viris sanctis eruditisque laudatam carpere aut criminari audeat; potissimum cum mos iste, nihil nisi gratum erga Deum animum probet, et Sanctorum cælitum patrocinium testetur? Stultè ergo errat Erasmus *in Dialogo Naufragium*, qui fidelium usum Vota emittendi ac Donaria suspendendi in accepti beneficii signum et recordationem deridet, quasi grati animi testimonium ponere nefas esset.

XLVI. Demum V. loco quæritur: Quid sit de iis censendum, qui Canonizatione inter Sanctos cælites relati sunt? Qua de re, etiamsi ad fidem supernaturalem non pertinere censendum sit, eos, qui vel a Conciliis, vel a Sede Apostolica solemni Canonizatione in Sanctorum Albo adscripti sunt, hac prærogativa reverà frui; cum de re facti agatur, quæ a testium humanorum auctoritate pendet, circa quam propterea posse Ecclesiam errare, omnes fermè consentiunt; tenendum tamen omnino est, nunquam errasse, nec unquam erraturam fore, eo quod Divina Providentia non patiatur, ab Ecclesia spiritu Dei directa eos honorari uti Sanctos qui tales revera non sint. Quare ab hæresis suspicione non ille vacaret, ac temeritatem pœnis dignam præ se

ferrent; qui ritè Cælitum catalogo adscriptos exploderet, aut in iis canonizandis Ecclesiam reipsa aut Romanum Pontificem errasse affirmaret. Interim hîc adnotandum est; quod etiamsi daremus, contingere potuisse ut nonnulli antiquitus vel a populo vel ab Episcopis inter Sanctos relati, tales revera non essent; aut etiamsi ratæ et sinceræ non essent nonnullæ Sanctorum Reliquiæ cultu publico decoratæ, grave inde malum in Ecclesiam non caderet. Esset enim materialis tantum error, qui nec Fidei substantiam, nec periculum animarum attingeret. Atque nisi contrarium clarè et apertè constaret, expediret potius rem intactam relinquere, quam inconsulta prudentia populorum religionem probabili ratione innixam turbare. Etsi enim non necessariò, piè tamen credendum est, ut inquit S. Thomas, quod neque in iis judicium Ecclesiæ aberret.

CAPUT VIII.

SACRARUM RELIQUIARUM CULTUS PIUS AC LAUDABILIS JUXTA FIDEM CATHOLICAM VINDICATUR.

XLVII. Ut jam adnotatum est, cum Vir aliquis pietate insignis in Album Sanctorum recensetur, Sanctum illum et canonizatum nuncupamus. Est itaque *Canonizatio* « Decretum, quo Summus Pontifex declarat pium aliquem hominem virtutes evangelicas exercuisse, atque ad illius invocationem ac intercessionem miracula Deum operatum esse, et quo propterea judicat, uti Sanctum ac cælesti gloria fruentem esse honorandum » Hinc sinit, illius Reliquias venerationi fi-

delium exponi posse, eumque invocari, atque etiam sacrificium Missæ et Officium in ejus honorem celebrari. *Canonizationem* hanc ut plurimum Decretum *Beatificationis* præcedit; quarum discrimen est, ut hæc tantum sit cultus permissio: illa verò solemnis declaratio, qua Ecclesiæ universæ Sanctus ille colendus invocandusque proponitur.

Hic honor Martyribus primum a fidelibus solemni cultu deferebatur, ut ex Actis Martyrii SS. Ignatii et Polycarpi erudimur. Pietas itaque populorum primitus morem hunc invexit, quem deinde Ecclesia sanxit et ratum habuit, non pro Martyribus tantum, sed et pro aliis viris virtutibus eximiis, quos inter S. Martinus Turonensis Episcopus primus habetur, qui ob gloriam miraculorum illo honore decoratus sit. Quare Canonizationis ritus institutus est, ne indiscretæ populorum devotioni daretur potestas cuiquam sacros honores decernendi. Hanc igitur Ecclesiæ prudentiam non deridere, at verò summopere commendare arrogantes hæretici debuissent. Tanta enim diligentia, tantoque accurato examine hæ Canonizationes instituuntur, sive in his quæ ad acta, sive in his quæ ad miracula pertinent, ut nihil sedulius, nihil majori cura digestum exoptari queat. Primus, qui hoc ritu in Sanctorum Canonem relatus est, fertur S. Svuibertus Sæculo IX. a Leone III. rogatu Caroli Magni Albo Sanctorum inter Missarum solemnia cooptatus.

Sed ut hæretici sentiant, quanta cum injuria hanc Ecclesiæ Catholicæ pietatem suggillent, videant morem hunc Sanctos Cælites laudandi ac celebrandi in Veteri quoque Testamento frequentatum, ut in *Libro Eccle-*

siastici a Cap. XLIV. ad L. ubi Sanctorum laudes magnificè recensentur eo exordio : *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros etc. Dilectus Deo et hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est* etc. In Novo autem Testamento legantur Sanctorum laudes *in Epist. ad Hebræos* cap. XI. quorum merita ita clauduntur : *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones etc.* Quæ veluti Canonizationes divina auctoritate peractæ utique habendæ sunt.

XLVIII. Quanquam verò, quæ hucusque de Sanctorum honore delibavimus vera et rite constituta censenda sint; tamen animadvertendum est, nonnulla ad catholicæ fidei dogmata non pertinere. Nam 1. non est fidei articulus, Sanctos in cælis preces nostras audire; cum nec nostra Fidei Professio, nec Tridentinum id habeant aut proponant expresse credendum. 2. Eadem de causa de fide non est, eosdem *mediatores nostros* esse vocandos 3. Neque de fide statutum est, Cultum Sanctis exhibitum, aut eorum Reliquiis et Imaginibus esse *religiosum* dicendum. 4. Multoque minus de fide est, has vel illas Reliquias esse illius Sancti, de quo proponuntur colendæ. 5. Nec ad fidem pertinet, has Reliquias per se esse venerandas, et non potius cogitatione conjuncta cum eo cujus Reliquiæ sunt; ut *relativus* magis cultus, quàm *absolutus* dici possit. 6. Catholicum dogma non est, seu non fide supernaturali tenendum, ut innuimus N. XLVI. Sanctorum Canonizationem esse infallibilis veritatis, seu sanctos ipsos quos invocamus, sanctos revera ac beatos esse, iis exceptis qui uti tales in Sacris Literis nobis exhibentur, ut B. Virgo, S. Joseph ejus

sponsus, Apostoli, S. Jo. Baptista, S. Stephanus de quo dicitur: *Et obdormivit in Domino*; atque alii plures. De reliquis enim neque in Verbo Dei scripto, neque in divino tradito est aliquid, ex quo Dogma catholicum statui possit: Nec Concilia, nec Romani Pontifices eas Canonizationes proponunt uti Fide divina credendas; eæ enim pendent a factis humanis particularibus, et ex testimoniis et informatione hominum, quibus error aliquando subesse posset. Gravissima tamen, ut supra dictum est, auctoritas jure habetur ex ea Canonizatione profluens, ac temerarius omnino et plectendus foret, qui post Actum illum tanta diligentia confectum, illum canonizatum esse Sanctum negaret, aut etiam dubius hæreret. Etsi enim ad Fidei dogmata id non pertineat, quod tamen a summo Pontefice toti Ecclesiæ agendum proponitur; validissimæ auctoritatis est; cum Ecclesia speciali semper divina adsistentia ac providentia regatur: Itaque non modo non culpanda est, aut incerta habenda Ecclesiæ praxis, Sanctum illum ita declaratum invocandi, quinimo honesta, licita est ac laudanda. Si enim plures Ecclesiæ etiam Universalis praxes in opinione tantum probabili, ut usuvenit, fundari queunt; quanto magis in Canonizatione, quæ rem moraliter certam reddit; ut propterea bonum atque utile illos sanctos invocare Concilium Tridentinum decreverit. Quare si qui ad Horas Canonicas persolvendas tenerentur, non eis sufficeret, ut ab ea invocatione se excusarent, obtendere, non esse fidei dogma, quod ille revera sanctus sit. Nam praxes et præcepta ex probabili etiam sententia manant, ac suam habent obligandi vim.

XLIX. Interea ad cultum Reliquiarum quod attinet, harum nomine non tantum Sanctorum Corpora, ossa, et cineres intelliguntur, sed vestes quoque et alia, quibus dum viverent utebantur; nisi forte indecorum aliquid inde appareret: Adversus cultum hunc insurrexerẽ Sæculo IV. Eunomiani, et Vigilantius cujus librum S. Hieronymus refutavit. Constantinus Copronymus anno 743. eò impietatis devenit, ut SS. Corpora et reliquias comburi jusserit. In eundem errorem postremis temporibus lapsi sunt Lutherani ét Calvinistæ, qui hunc cultum Catholicis exprobrare sunt ausi: At Dalleus licet Calvinista in hunc cultum consentit; tanta vis est veritatis. Sed quam immerito cæteri in cultum hunc insurrexerint, modo est ostendendum; statuendo scilicet « Pium ac laudabilem de fide catholica habendum esse sacrarum Reliquiarum Cultum » Nam 1. ea colere pium ac laudabile est, quæ Deus honoravit, pluribusque miraculis commendavit, ut ex S. Scripturis evincitur. 1. Enim de Josephi Patriarchæ Reliquiis dicitur *Ecclesiastici* c. XLIX. *Ossa ipsius post mortem prophetaverunt*. 2. *Regum* l. 4. c. 2. Voluit Deus, ut aquæ Jordanis Eliæ pallio percussæ in gratiam Elisei dividerentur. 3. Ibid. c. 13. Deus insigni miraculo cadaver Elisei illustravit, cum ad ejus contactum mortuo vitam restituit. 4. *Ecclesiast.* c. 46. 14. de Judicibus qui laudantur, habetur: *Sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in æternum*. Et c. 49. 12. *Et duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo*. 5. Narratur *Matth.* IX. hæmorrhoissam tactu vestis Christi sanatam esse. 6. *Actorum V.* habetur, per ipsam S. Petri umbram sanatos

infirmos. 7. Ibid. c. xix. 12. de S. Paulo legitur: *Virtutes quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a Corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Si ergo Deus ipse Sanctorum Reliquias tam frequenter honore affecit, quisnam dicere audeat, non oportere nos, eas cultu prosequi et venerari?

L. Id quoque ostenditur ex Veteris Ecclesiæ consuetudine et usu. Nam 1. scribit Eusebius *Hist. Eccl. L.* VII. c. 19. S. Jacobi Apostoli Cathedram summa cum veneratione fuisse in Hierosolymitana Ecclesia servatam. 2. Reliquiæ S. Ignatii M. a Presbyteris et Diaconis Ecclesiæ Antiochenæ collectæ peculiari honore cultæ fuere. 3. Smyrnensis Ecclesia in Epistola ab Eusebio relata L. IV. *Hist. Eccl.* c. 15. de Reliquiis S. Polycarpi scribit «Nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuimus» 4. S. Gregorius Nyssenus *Oratione in S. Theodorum M.* narrat, quo studio, quo fructu hujus Martyris Reliquiæ a fidelibus venerarentur. 5. S. Cælestinus Papa *Epist. ad Conc. Ephes.* ita illius Concilii Patribus gratulatur «Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini» 6. Teste Rufino *L.* 2. *Hist. Eccl. c.* 26. S. Joannis Baptistæ Reliquiæ honore summo Sebaste servabantur. 7. Chrysostomus *Homilia in Juventinum et Maximum MM.* ita populum hortabatur: «Eos sæpe invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum complectamur ut inde benedictionem aliquam assequamur» 8. S. Ambrosius Epist. XXII. refert, se, Deo revelante, SS.

Gervasii et Protasii Mediolani reperisse, eorumque contactu sub ipsius oculis miracula fuisse patrata. 9. S. Augustinus *L. XXII. de Civit. Dei* c. VIII. prodigia narrat, quæ per Reliquias S. Stephani non ita pridem repertas edita fuere, et quorum extiterat oculatus testis. Sed innumera omittere cogimur testimonia S. Cyrilli Hierosol. S. Gregorii Nazian. S. Hieronymi etc etc. quæ hanc rem abunde confirmant. Sed Concilia tandem Generalia audiamus. Nicænum II. Actione 3. inquit » **Salvator noster J. C. fontes salutares Sanctorum Reliquias nobis reliquit » Concilium autem Tridentinum Sess. 25. definivit « Sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et Templum Spiritus sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis implorandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omninò damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia » Quisnam igitur uti pium ac laudabilem Cultum hunc non recipiat, et amplectatur?**

LI. Plura congerunt adversarii, sanè debilia, ut tantam pessundent veritatem; ajunt 1. Deum voluisse occultum Corpus Moysis, ne illud Judæi adorarent. 2. Christum ipsum improbasse cultum hunc erga sepulcra prophetarum tum Lucæ XI. 47. tum Matth. XXIII. 29. *Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumen-*

ta justorum. 3. Concilium Illiberitanum Can. xxxiv. prohibuisse ne cerei accenderentur ante Corpora Sanctorum « Cereos placuit in Cæmeterio non incendi; inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt» 4. Licitus haberi nequit cultus ille, qui sit superstitioni obnoxius; talis est cultus hic Reliquiarum, cum harum multæ falsæ sint. 5. Denique si quædam ob contactum essent adoranda, foret adoranda Deipara, quæ Christum gestavit, imo et asina quæ portavit Christum, et labia Judæ, quæ osculata sunt eum, et manus militis, qui dedit ei alapam; quæ dicere, absonum esset. Quibus omnibus obvia responsio est. Et ad 1. facile noscitur, voluisse Deum Moysis corpus absconditum, ne illud Judæi colerent latriæ cultu, non verò, ne cultu duliæ ac respectivo illud prosequerentur. Tunc enim erant illi in idololatriam propensi, ut notum est; quare voluit Deus Moysis corpus delitescere, ne ob stupenda prodigia quæ ediderat, ei supremum cultum deferrent; uti se gessere erga serpentem æneum cujus aspectu sanati fuerant, et quam ob causam rex Ezechias illum confregit, ut legimus L. IV. *Regum* c. 18. Cæterum olim Judæi Arcam Testamenti, Manna cæleste, Virgam Aaronis, cultu scilicet relativo, venerabantur; uti cultus est Reliquiarum; cum res inanimes alium non patiantur cultum. Itaque cultus ipse qui ad sanctos refertur, ultimò ad Deum transit, qui sanctos donis cumulavit et auxit. Quantum ad objectum alterum, Christus ibi vituperat quidem illam sepulcrorum ædificationem animo simulato factam; non verò quæ fieret in Prophetarum honorem. Hypocrisim itaque et pravos Judæorum animos hîc unicè Christus redarguit, eo quod Prophetarum

monumenta ornando pietatem affectarent, ne consentire viderentur iis qui illos occiderunt, dum tamen ipsum Messiam prophetarum Dominum crudeliter insectabantur, ac interficere cogitabant. Hinc ibi subdit Christus ipse: *Et dicitis: si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum: itaque testimonio estis vobis metipsis quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.*

Nec erit valde laborandum, ut difficultati fiat satis ex Conc. Illiberitano desumptæ. Nam juxta quosdam ibi prohibetur ne cerei accendantur tempore Celebrationis divinorum Officiorum et cum tumultu; quia tum turbabantur spiritus Clericorum Officia divina canentium. Juxta alios prohibetur ne cerei accendantur, ut gentiles cereos accendebant ad sepulcra suorum, quibus mortuis et lumina deferebant et epulas: qui ritus Sanctis utique displicebat. Sed circa hunc cultum duplex quæstio est, una dogmatis, alia disciplinæ. Prior an liceat honorare cultu sacro SS. Reliquias, circa quam affirmativa sententia dogma catholicum est: Altera quæstio circa modum versatur et circumstantias hujus cultus an accensis cereis sint honorandæ, an collocandæ in thecis, an dividi possint etc. quæ non ad substantiam dogmatis, sed ad disciplinam pertinent quæ est mutationi obnoxia. Hinc Hieronymus etiam illam cereorum accensionem approbasse aliquando non videtur, juxta scilicet ethnicorum morem, etsi Reliquiarum cultum maximè propugnaret. Hic ad Riparium scribens Epist. CIX. ait: « Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus: Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum ». Ad 4. reponimus,

a nobis non defendi Reliquiarum cultum, quæ ab Ecclesia justa de causa non approbentur. Quod si forte nonnullæ falsæ forent, illarum cultus esset materialiter tantum superstitiosus, ac per accidens, et contra intentionem Ecclesiæ exhiberetur, quæ eas diligentias servat ac præcipit, ut moraliter certum sit, sinceras esse Reliquias; quas venerationi proponit (Vid. sup. N. XLVI.). Ad 5. dicendum est, Mariam Virginem absolutè loquendo coli potuisse cultu relativo ut Reliquiam Christi Domini; at cum ipsa capax sit cultus absoluti, ideo consuevit Ecclesia, eam non simplici cultu respectivo, sed cultu hyperduliæ venerari. Licet verò contactus Christi causa sit sufficiens, cur nonnulla honorentur, quædam tamen coli non debent, quoties adsit causa non venerandi. Adest autem in adductis exemplis: nam, ut patet, indecens est ac ridiculum, ut colatur asina, aut venerentur labia Judæ proditoris, aut manus illius qui alapam Christo inflixit, quorum actus fuere sacrilegi; quare nullo modo adorari debent, cum partes sint hominum impiorum; ut si venerarentur, coli viderentur ipsi homines impii cultu absoluto, quod esset absurdum. Hoc autem periculum in rebus inanimatis non contingit, quæ sunt tantum cultus relativi capaces.

LII. Plura verò signa notantur, quibus hunc sacrarum Reliquiarum cultum significamus; ex gr. 1. Quod sollicitè quærantur, et cum honore asserventur. 2. Quod in Ecclesiis honorificè custodiantur. 3. Quod sanctos, ad quos pertinent, in exemplum nobis proponamus. 4. Quod eas osculis, luminaribus, thure, peregrinatione, solemnitate festorum, juxta approbatam ab Ecclesia consuetudinem honoremus. Ut enim S. Augusti-

nus observabat L. 1. *De Civit. Dei c.* 13. « Si paterna vestis et Annulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes est major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt Corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus » Igitur et sanctorum Reliquias, ait S. Thomas l. c. honore congruo in eorum memoriam venerari oportet.

CAPUT IX.

DE SACRARUM IMAGINUM CULTU.

LIII. Celebre est argumentum de cultu Sacrarum Imaginum, circa quem præstat primo loco audire, quidnam de eò docuerit Tridentina Synodus Oecumenica Sessione XXV. Ea itaque hanc doctrinam ita definit « Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus propter quam sint colendæ: vel quod ab eis sit aliquid petendum: vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; Sed quod honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per Imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus: Et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id, quod Conciliorum, præsertim verò Secundæ Nicænæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum » Et quæ sequuntur.

LIV. Memorata verò Nicæna Synodus II. Oecumenica habita fuit adversus *Iconomachos (Imaginum oppugnatores)* et *Iconoclastas (Imaginum fractores)* anno DCCLXXX. imperantibus Constantino et Irene ejus matre, sub Adriano I. Summo Pontifice. Quisnam hujus hæreseos princeps fuerit, ignoratur. A Theophane et Cedreno primus auctor perhibetur Xenajas quidam Persa fugitivus servus, qui nequidem baptizatus dicitur per errorem factus episcopus Hierapolitanus Xenajæ nomine in Philoxenum commutato. Hic ab iisdem Manichæorum etiam princeps appellatur. At quidquid de eo sit, id certò constat, post annum scilicet DCC. eum errorem, quod nefas sit sacras Imagines venerari, serpere cœpisse. Leo enim Isauricus Constantinop. Imperator edicto publico primus jussit, imagines a Templis deleri et complures repugnantes morte mulctavit, unde *Iconomachi* nomen meritus est. Ejus impietatem secutus est ejus filius Constantinus *Copronymus* dictus, seu *stercorarius*, coacta pseudosynodo an. DCCLIV. contra Imaginum cultum. Rebus in Nicæna II. Synodo compositis, rursus post annum DCCC. bellum adversus Imagines instauratum est in Oriente a Leone Armenio, Michaële Balbo, ac Theophilo Impp. Donec an. DCCCXLII. habito Cpoli Episcoporum Conventu sub Theodora Theophili Vidua et ejus filio Michaële Augustis turbæ adversus sacras Imagines finem in Oriente habuere. In Occidente verò non nisi post quinque sæcula, seu an. 1372. Jo. Wiclefus anglus cœpit veteres cicatrices refricare ac rursus proculcare Imagines. Lutheranismo per Germaniam invalescente, primus e Templis Imagines surripuit Carolostadius, quod postea Lutherani et

Calvinistæ Melanchton , Zuinglius, Calvinus aggredi ausi sunt. Nullum est caput Doctrinæ Catholicæ contra quod intolerantius insurgant et insolescant Novatores, rati causas inde injuriarum et conviciorum posse arripere adversus Catholicæ Ecclesiæ doctrinam adeo rectam utilem ac laude dignam, ut eam supra a Tridentino declaratam legere est. Quare adversus hanc Iconomachorum turbam præstat hunc refutare errorem, statuendo nempe « *Licitum atque utilem esse sacrarum Imaginum cultum, uti Catholica Fides docet* »

LV. Et quidem hanc utilitatem, ac proinde licitum ac laudabilem Imaginum sacrarum usum ita ostendit Conc. Tridentinum Sess. XXV. hisce doctrinis: « Illud verò diligenter doceant Episcopi per historias Mysteriorum nostræ Redemptionis picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis Fidei commemorandis et assidue recolendis: tum verò ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam: si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit » Hinc patet utilitas SS. Imaginum, quam experientia ipsa confirmat; ac propterea quod licitus sit debitus eisdem cultus et commendatione dignus. 2. Id confirmatur exemplis ex Sacris ipsis Literis depromptis. Nam *Josue c. VII.* legitur, quod *Josue pronus cecidit in*

terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israël. Ex quo et aliis similibus locis clarum fit, cultum fuisse delatum a viris Sanctis Arcæ Veteris Testamenti, ideoque licitum ac laudabilem fuisse cultum illum. Jam verò Arca et ratione sui, et ratione eorum quæ continebat, aliquod erat inanimatum, ut non propter se, sed propter aliud, nempe propter Deum, ad quem ordinem ac relationem dicebat, cultu religioso coli poterat. Sed et propter cultum quendam Arcæ impertiendum delecti sunt Sacerdotes et Levitæ, Tabernaculum ac Templum erectum, atque eandem cum magna pompa David transtulit in arcem Sion. Cum portaretur Arca admonebat Josue c. 3. *Cavete ne appropinquetis ad Arcam*. Psal. XCVIII. habetur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est*: Ubi per *scabellum* pseudoreformati intelligunt Arcam Fœderis. Cur autem licitum erat Judæis, Arcam licet inanimem tantopere venerari? Non ne quia Religionis instrumentum fuerat, et quia ad illius conspectum procumbere nihil erat aliud, quam Deum ipsum, quem in memoriam revocabat, adorare? At de Christi Imaginibus ac Sanctorum non aliud dicimus neque sentimus. Honores quippe illis impendimus eo quod ad alia referantur, quæ sancta sunt ac veneratione digna.

LVI. Nec innumera desunt hujus cultus adhibiti primis ipsis Ecclesiæ sæculis. Nam licet eo tempore non ita frequens fuerit Imaginum usus in Ecclesiis, eo quod gentiles ab idolis et simulacris, quibus nimis adhærebant, prorsus erant avocandi et ad Sanctam Religionem adducendi in qua Deum verum in spiritu

colerent et veritate; Nihilominus monumenta abundant, quibus, semoto idololatriæ periculo, licitus cultus habitus sacris Imaginibus ostendatur. Imo S. Basilius Magnus *Epist. ad Julian. relata in Nicæna Synodo II. Act.* 4. testatur, usum imaginum originem habere Apostolicam: Habet enim: « Secundum immaculatam fidem . . . Sanctos invoco; ut per eos, hoc est per interventionem eorum, propitius mihi sit misericos Deus ... unde et characteres imaginum eorum honoro et adoro: præcipue cum hoc traditum a SS. Apostolis et non prohibitum sit, quin et in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum » 2. Hinc Tertullianus *lib. de Pudicitia* testatur, in Calicibus insculptum fuisse Christum in forma Pastoris ovem humeris gestantem. 3. Eusebius *Hist. Eccl. l. VII. c.* 18. scribit, se vidisse Imagines Christi, et Apostolorum Petri et Pauli. 4. Philostorgius *L. IV. Hist. c.* 7. narrat, statuæ a muliere hæmorrhoissa Christo Domino erectæ juxta Eusebii relatum L. vii. c. 18. fideles multos detulisse honores. 5. S. Damasus Papa in Vita S. Silvestri scribit, Constantinum in loco Baptismi sui posuisse Agnum ex auro purissimo, ad dexteram vero statuam Christi argenteam, ad lævam S. Joannis Baptistæ. 6. Idem S. Pontifex affirmat, in Ecclesia Lateranensi multas Imagines Salvatori, Apostolis et Angelis fuisse collocatas. 7. S. Gregorius Nazianzenus Epist. 49. *ad Olympium* conqueritur, quod devastata esset urbs Neocæsariensis ubi Templum statuis ipse exornaverat. 8. S. Basilius *Orat. in S. Barlaham* mentionem facit de illius imagine in Templo depicta. 9. S. Gregorius Nyssenus *Orat. in S. Theodorum* meminit ejus martyrii in Æde

sacra figuris expressi, atque addit « solet enim et pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse » 10. S. Paulinus *in Natali S. Felicis* ait:

. . . . . *Sanctasque feramur in Aulas*

Miremurque sacras veterum monumenta figuras:

Sed quis posset antiqua omnia monumenta referre? En ergo quam solemniter mentiatur Calvinus, qui l. 1. Inst. c. XI. se eruditum simulans pronuntiat, primis quinque sæculis nullas in nostris Ecclesiis fuisse imagines. Calvini mendacia verba sunt: « Principio, si quid nos movet Veteris Ecclesiæ auctoritas, meminerimus, quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat Religio et sincerior doctrina vigebat, Christianorum Templa fuisse communiter imaginibus vacua » Sed jam quid sit Calvino in memoriam revocandum supra dictum est.

LVII. Sed licitus et utilis usus sacrarum Imaginum abunde quoque ostenditur ex miraculis, quæ Deus in gratiam hujus cultus plurima patrare dignatus est, quæque recensentur in septima synodo Generali, seu Nicæna II. Actione V. et VI. et quorum alia multa referri possent. At Deus summe verax, summeque Sanctus cultum reprobandum miraculis confirmare non potuisset, Pius est ergo ac laudabilis cultus iste. Id ulterius ostenditur 1. Ex vetustis monumentis, quæ supersunt, collectis ab Aringhio *in Roma subterranea*, a Bonarroto, Boldetto, et aliis in quibus complures habemus sacras Imagines in vasis vitreis depictas e cryptis romanis effossas, quas ad primæva illa tempora referre eruditi non dubitant. 2. Hoc ipsum probatur ea ratione quam affert S. Hieronymus Epistola XLIV. (sive Epist. 17. ad Mar-

cellam) inquiens « Venerabantur quondam Judæi sancta sanctorum, quia ibi erant cherubim, et Propitiatorium, et Arca Testamenti, Manna, Virga Aaron et Altare aureum: Nonne venerabilius tibi videtur Sepulcrum Domini? » 3. Juxta Scripturas nomina sanctorum sunt veneranda; nam, ut ait Apost. ad Philippen. 2. *In Nomine Jesu omne genuflectatur*. Cur non ergo et Imagines, cum non sit pro illis, quam pro his ratio validior? 4. Imaginibus et statuis Imperatorum, protestantibus ipsis fatentibus, civilis cultus exhibendus est. Ut quid igitur Christi, sanctorumque Imaginibus honores non deferrentur? Ab hoc argumento nunquam se extricabunt hæretici. At Dalleus obstrepit, quod hic cultus passim *religiosus* dicatur. Qui tamen aërem verberat. Non enim de nomine disputamus. Quovis nomine cultus hic appelletur parvi refert; nam doctrinæ nostræ summa integra manet: si enim principum statuis ob civilem dignitatem licet civilem cultum impendere, et grande foret nefas eas confringere aut aspernari; pari utique jure licebit sanctorum imagines honorare ob supernaturales illorum dotes, quovis nomine illum cultum appellare volueris. Verum Calvinistæ reverenter Eucharistiam suscipiunt; licet per ipsos sit tantummodo figura Corporis Christi. Cur non ergo similiter Imagines sanctorum, ac præcipue Christi Domini venerari licebit? Et quidem in catholicam hanc doctrinam consentientes Græcos ipsos dissentientes habemus, qui sacras Imagines debita semper veneratione prosecuti sunt; ut cum a Lutheranis sollicitarentur ut sibi adhærerent, circa hunc articulum eis respondebat Jeremias patriarcha Cpolitanus « Adoramus imagines eo modo, ut non ipsi materiæ exhibea-

mus reverentiam ; sed imaginum interventu illis, qui per ipsas significantur, honor qui imagini exhibetur, ad prototypon transeat, sicut divus Basilius dicit ».

LVIII. Sed heterodoxorum sunt modo querelæ audiendæ. Ajunt, quod illicitus sit cultus ille, quem Deus graviter prohibuit, ut Exodi Cap. XX. *Non facies tibi sulptile, neque omnem similitudinem*. Et Deuteronomii C. IV. *Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ Deus fieri prohibuit:* Hinc inferunt, nefas esse sacras colere imagines. Cui difficultati, quæ Achilleum est eorum argumentum, multiplici responsione occurritur. Nam 1. alii respondent: Eum tantum imaginum cultum a Deo fuisse judæis vetitum, qui sit latriæ, ac soli Deo debitus, ut ex contextu colligi potest. Nam præceptum ita exorditur Exodi XX. *Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile nec omnem similitudinem ... non adorabis ea neque coles*. Inde sequitur: *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*. Et Levitici c. XXVI. præcipitur: *Non facietis vobis idolum et sculptile ut adoretis*. 2. Alii probabilius reponunt: Omnem imaginum usum fuisse judæis vetitum, ut removeretur idololatriæ occasio, in quam proclives erant, ut facile imagines esse per se colendas putarent, ac præcipuè Dei imagines ejus formam exprimere arbitrati essent, ac Deum esse corporeum, ut dii gentium inter quas versabantur. Id ex Philone colligitur in *Legatione ad Cajum*, et ex Josepho *L. 1. contra Apionem*, ubi testantur, omnes imagines interdictas Judæis fuisse. Quare cum Pilatus, teste Josepho, signa quædam cum Cæ-

saris effigie in urbem Hierosolymam intulisset, Judæi se potius obtulerunt ad mortem quam id paterentur. Hinc ea ita solvitur difficultas: Licitus non est cultus ille quem Deus prohibuit lege perpetua, concedimus: lege ad tempus lata, negamus. Etsi ergo lex illa de omni imaginum genere intelligeretur, nihil inde tamen colligi posset adversus hodiernam de retinendis imaginibus Ecclesiæ disciplinam; quæ cum Magistra sit Veritatis, et peculiari Dei providentia regatur, (ut alibi demonstratum est) in legitimo cultu ordinando et in sacris scripturis intelligendis aberrare non potest. Lex ergo illa ad tempus instituta ut falsi cultus periculum amoveretur, modo non obligare certum est. Imo Deus ipse huic legi derogasse legitur *Numerorum c. XXI.* cum erigi jussit Serpentem æneum, qui figura erat Messiæ venturi; et cum ibidem c. xxv. duo Seraphim super Arcam poni voluit; et quibus alia duo addidit Salomon (*L.*3. *Regum c.* 6.), quorum altitudo decem erat cubitorum. Ecclesia igitur submoto idololatriæ periculo sinere potuit, ut imagines ritè colerentur, sicuti a lege abstinendi sanguine et suffocato potuit fideles eximere. Revera nisi lege positiva mutationi subjecta id vetitum fuisset; cur protestantes statuas admitterent ac imagines, civilemque cultum eisdem deferrent, a quo prorsus Judæi abhorrebant? Calvinus reponebat quidem, datas responsiones supponere, gentiles verè imagines adorasse, quod ipse inficiatur; cum nemo sit adeo stupidus, ajebat, ut ligna et metalla adoret, opera manuum hominum. At etiamsi gentiles simulacra non adorassent, et deos suos tantum in simulacris expressos, reprehensione tamen digni fuissent ob cultum ad turpia ac men-

dacia numina. Sed dato etiam ethnicos acutiores, ut Socrates, Plato, Cicero, Seneca, simulacra non adorasse, negari saltem nequit, quin vulgus ipsa deorum simulacra verè coluerit, et quandam ipsis inesse virtutem crediderit, ut Lactantius, Arnobius aliique illis exprobrarunt. Cæterum idem non est *Imago* et *idolum*: illa convenit rei repræsentatæ: hoc autem non convenit, ut cum Mars pingitur sub ratione Dei, cui non convenit ratio hæc; quare longè discrepat imaginum cultus ab idololatria.

LIX. Præterea in medium proferunt Concilium Eliberitanum (sive Illiberitanum aut Elibertinum) in Hispaniis an 324. celebratum, a quo statutum est Can. XXXVI. « Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. » Cui jam abunde responsum est; nempe id factum fuisse, quia locus et tempus id postulabant; non quod per se illicitus esset Imaginum cultus; Agitur enim de re quæ per se est indifferens, et quæ permitti aut prohiberi potest secundum temporum, locorum, aut personarum circumstantias. Tunc igitur ita se gessit Concilium illud particulare, quia idololatriæ periculum facile imminebat, ut ex Actis illius Synodi apparet, ubi de iis agitur, qui in illud crimen lapsi fuerant. Sed et ex illo Canone infertur, usum imaginum in Templis jam invaluisse; alioquin vetitæ non fuissent picturæ illæ. Tunc igitur exigebat loci ac temporis ratio, ut imagines e Templis submoverentur. At ibi nihil occurrit, unde colligatur, eum cultum illicitum fuisse habitum. Quinimo eo sublato periculo, dubitari nequit, quin Veteres illi Patres cultum hunc

essent recepturi; sicut nec dubitari potest, quod Ecclesia cultum hujusmodi minime toleraret, si aliquam erroribus ansam præbere experiretur; Nam ea de re Tridentinum ita sancivit » In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri S. Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur... Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarium veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, itaut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur ... ut nihil inordinatum, aut præposterè et tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat; cum Domum Dei deceat sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia ... ullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit ».

LX. Hinc plura quæ Novatores confingunt sophismata a particulari ad universale nullo negotio resolvuntur; ut quod de S. Epiphanio proferunt, qui scribit, discidisse *imaginem quandam quasi Christi*, quam aut indecentem, aut profanam sanè judicaverat. Quod etiam ajunt de S. Irenæo l. 1. c, 24. Gnosticorum errorem improbante, quod pictam Christi imaginem haberent eamque coronarent; clarum est, superstitiosum cultum eisdem exprobrasse, qui imaginem Christi cum gentilium imaginibus miscuerant, ac gentilium more colebant, ut ex Epiphanio *Hæresi* LXXII. eruitur. Quod etiam habet Hieronymus in Cap. 3. Danielis « Cultores

Dei imagines adorare non debere » de tribus pueris dictum est in fornacem a Nabuchodonosore injectis, quod ad rem nostram non pertinet. Quod denique ex Concilio Francofordiensi anno 794. et ex Parisiensi a. 824 nec non quod ex Libris Carolinis opponitur cultum imaginum damnantibus, jam Criticis notum est, id contra inordinatum imaginum cultum dictum fuisse; Nicænam verò Synodum improbasse ob vitiosam latinam versionem Actorum illius Concilii, aut etiam ob interpolata manuscripta exemplaria. Illorum tamen Conciliorum Patres legitimum et ordinatum Imaginum Sacrarum cultum nunquam respuisse constat, et ab errore facti circa œcumenicam Nicænam II. Synodum tandem resipuisse.

CAPUT X.

DE SYMBOLICIS IMAGINIBUS AGITUR, DEQUE CULTU CRUCI CHRISTI DOMINI PRÆSTANDO.

LXI. Ecclesiæ Catholicæ doctrina circa sacrarum Imaginum cultum satis jam in superioribus declarata est. Modo nonnulla de earum usu adnotare opportunum videtur. de quo cum Petavio *L.* xv. *de Incarn.* c. 13. 2. 1. statuendum est, Imagines per se ex eorum esse genere, quæ *adiaphora* seu *indifferentia* nominantur, hoc est, quæ ad salutem necessaria omnino non sunt, nec ad substantiam ipsam Religionis attinent, sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat vel ablegat, prout satius esse decreverit; cujusmodi sunt ea omnia quæ *ad disciplinam* pertinent ac *positivi juris* esse dicuntur.

Quocirca primis ab ortu Religionis Christianæ temporibus, cum adhuc gentilium in eam exardesceret furor, et adhuc idolorum superstitio in omnium mentibus inhæreret, non tam frequens fuit, ut dictum est, sacrorum Imaginum usus, uti neque Templorum ac Basilicarum. Videndus de his Lud. Ant. Muratorius *in Disser. de primis Christianorum Ecclesiis*, quæ extat T. XII. Operum Editionis Aretinæ. Ad disciplinam ergo pertinet ritus iste, quæ pro temporum hominumque conditione facile mutatur, prout fidelibus aut prodesse, aut obesse possit.

LXII. Est autem modo de symbolicis Imaginibus inquirendum. Dicuntur symbolicæ imagines, quæ non rem ipsam, sed signum tantum illius rei memorativum exhibent, quam eo signo sive symbolo significare solemus. Hinc harum imaginum cultus relativus est. Hujus generis sunt ex. g. Columba quæ Spiritum Sanctum repræsentat, eo quod in ea specie apparuerit: Crux, quæ Christum patientem signat: Imago venerandi Senis manu Mundum gestantis, quæ denotet Deum Patrem ec. Itaque inter ipsos etiam, qui sacras Imagines amplectebantur, olim controversia viguit, num pingere liceret Dei Imagines easque venerari? Causa dubitandi erat, quod cum Deus sit spiritus, non videretur posse corporeis imaginibus repræsentari; quod et de Angelis dici posset. At hunc usum etiam antiquitus viguisse, habemus a S. Basilio, qui suspendit in Templo Columbas repræsentantes Spiritum Sanctum, et S. Paulinus Nolanus consensit depingi in Templo S. Felicis imaginem SS. Trinitatis. Sed et omnis controversia modo de re hac sublata est, postquam Alexander VIII. proposi-

tionem proscripsit (25): « Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocari » Harum itaque Imaginum symbolicarum cultus, qui relativus seu respectivus est, et ad prototypa terminatus, est modo considerandus.

LXIII. Itaque Jo. Calvinus putaverat (*l.* 2. *Inst. c. XI.*), nefas esse Deo invisibili et incorporeo corporeas affingere imagines. Decipiebatur tamen. Nam Deus quidem incorporeus est; at nihil obstitit, quin sub corporeis imaginibus se revelaverit, ac ab hominibus se spectandum præstiterit. Ita visus est Adæ uti homo deambulans (*Genes* 3.): Iacob eundem vidit summitati scalæ innixum (*Geneseos* 28): Moyses posticam Dei partem, nempe humeros aspexisse dicitur (*Exodi c.* 33.) Isaias vero Cap. VI. *Vidit Deum sedentem super solium excelsum*. Daniel c. VII. Vestem candidam et capillos Dei canos describit. Et Matth. c. 3. in Columbæ specie Spiritus sanctus conspectus est, cum Christus fuit baptizatus. Sub his autem imaginibus illi omnes Deum adoraverunt, nec erant ob eam adorationem culpandi. Cur ergo Catholici, si sub iisdem imaginibus quibus apparere dignatus est hominibus Deum adorant, accusandi erunt? An arguemus consilia Dei, qui sub his symbolis se conspiciendum præbuit? An cum sic apparuit, non fuisse adorandum dicemus? Ajebat Calvinus, apparitiones illas in humana effigie considerandas esse uti præludium Incarnationis: et Columbam statim evanuisse, ut Spiritum Dei esse invisibilem demonstraret. Quæ certè futilia sunt: Non hic quæritur quo fine, quove consilio in humana specie conspici Deus voluerit: Nec facile concedendum est, apparitiones illas Incarnationem semper significasse. Præte-

rea nonne Scripturæ humana plura Deo tribuunt, ut ambulare, stare, sedere, et oculos, manus, caput, pedes memorant, nec non scabellum, thronum, quæ ipsi veluti inserviant? Quanam ergo ratione non poterit sub his figuris pingi quibus in Scripturis repræsentatur ac menti nostræ exhibetur? Nec inde timendum, ne spirituali Dei naturæ derogetur. Nam eædem Scripturæ spiritum esse Deum docent, et Ecclesiæ doctores tenentur ea de re populum rudem instruere, ut nullus propterea hinc error manaverit. Nec est, cur hæretici absurdas quasdam aut insolitas Dei aut SS. Trinitatis imagines Ecclesiæ tribuant, quas et ipsa proscribit, ac ne eas pictores pingant prohibet, imo et jubet Episcopis ut eas de medio tollant. Quare cum aliquando nonnulli deformi effigie SS. Triadem pinxere vel triplici capite, vel duobus capitibus media stante columba, quæ monstra *cerberi tricipites, aut geryones, vel triformes Jani* ab hæreticis vocantur, gravissimè ab Ecclesia catholica proscribuntur, ac uti corruptelæ rejiciuntur, atque damnantur.

LXIV. Nullas tamen Imagines Deo poni posse volunt adversarii, eo quod Deus ipse apud Isaiam c. XL. 18. hæc habeat: *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Deinde Patres passim docent « Nefas esse imagines Deo collocare ». Verum hæc dicta fuere pro iis temporibus, quando imperita Judæorum turba in eam opinionem facile abire poterat, eas imagines Dei naturam exprimere, quasi Deus corporeus esset, quales nationes gentium, inter quas versabantur, deos suos putabant. Revera in hos absurdos errores proclives fuisse tunc judæos ex eorum historia

liquet, de quibus dicitur Psalmo CV. *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile*. Ac de vitulo aureo dicebant Exodi c. XXXII. *Hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Ad Patres quod attinet, statuas illi et imagines improbant, quas populus illius temporis credere poterat ipsam Dei similitudinem exhibere juxta gentilium errorem; at a falsa illa opinione populo revocato rectum imaginum cultum Concilia et Patres concessere. Sed Ecclesia nec modo eum toleraret si ansam erroribus dare posset. Igitur si hæ Sacræ symbolicæ imagines licitæ sunt, potiori jure imagines Christi Domini licitæ erunt habendæ, qui humanam formam assumpsit, et etiam Angelorum, qui in hominis specie non semel apparuerunt, ut Cherubim imagines in Veteri lege quoque, ut vidimus; factæ sint. Nec reponant, si Dei imagines colendæ forent, esse quoque hominem adorandum, qui est imago Dei: Non, inquam, talia proferant adversarii. Nam 1. In quonam consistat imago Dei in homine, non est definitum, ac certum est, eam sitam non esse in corpore. 2. Nunquam consuevit, hominem ut imaginem Deum exhibentem considerare. 3. Cum homo sit per se honoris et reverentiæ capax, non licet honorem ei debitum cum divino cultu confundere; atque homo in superbiam elatus putare posset absolutè sibi hos honores deferri. Sed harum ineptiarum satis.

LXV. Ad Cultum nunc sanctæ Crucis Christi veniamus. Hæc dupliciter considerari potest. 1. Ut repræsentet Christum Dominum ab ea pendentem. 2. Ut sit nobilitata sacri ipsius Corporis contactu. Primo modo ut imago habetur, quæ in Crucibus singulis sive scul-

ptis, sive pictis, sive manu efformatis Christum ipsum pro nobis passum exhibeat. Secundo modo habet rationem Reliquiæ, et respectus iste non convenit nisi individuo ei Ligno, in quo Christus pependit et mortuus est. Dictum est autem supra, imaginum cultum esse relativum ad exemplaria sive ad prototypa. Quod licet jam fuerit indicatum, non pigeat hic eandem doctrinam ad æquivoca declinanda rursus declarare. Triplex igitur distinguitur colendi modus. 1. Est vel *per se*, vel *per accidens*. *Per se* honoratur *Persona* aut *suppositum* in quo inest ratio venerationis: *per accidens* vero honoratur quod est ei adjunctum: ut Rex honoratur *per se*, illius purpura verò *per accidens*. 2. *Propter se* ac independenter ab alio, et hujus honoris est sola natura rationis capax: vel *propter aliud*, quod nempe habet in se causam honoris, quæ tota pendet ab alio, ut vasa et signa sacra: et hæc est distinctio cultus *absoluti* et *relativi* 3. *Propriè*, vel *impropriè*; et *propriè* dicitur honorari, quod verè et ratione sui honoratur: *impropriè*, quod loco alterius honoratur: Ita propriè honoratur Rex, impropriè ipsius legatus. Itaque 1. quantum ad loquendi modum, si de re ipsa agatur, concedi posset, Imagines posse coli *impropriè et per accidens* eo cultus genere, quo exemplar illud colitur. 2. Imagines *per se et propriè* non sunt adorandæ eodem cultu quo ipsum exemplar; ac proinde nulla imago neque Dei, neque Christi cultu latriæ per se ac propriè adoranda est. 3. Cultus itaque qui propriè ac per se debetur imaginibus est cultus quidam imperfectus, qui *analogicè* et *reductive*, seu *secundum quid*, ut ajunt, pertinet ad speciem ejus cultus, qui exemplari debetur. Nulla verò

imago est propter se colenda, sed propter aliud tantum; relativè nempe non absolutè. His expeditis ad rem ipsam accedendum est.

LXVI. Circa itaque S. Crucis cultum scire licet, protestantes, ac præsertim calvinistas uti superstitiosum impiè vituperare cultum, quem Cruci defert Catholica Ecclesia, ajuntque in Scripturis nullum fundamentum habere hunc cultum, neque in tribus primis Ecclesiæ sæculis. Ita Dallæus. Salmasius quoque in cultum S. Crucis vecordi stilo insurrexit, ipsamque Christi Crucem non modo, ait, non esse dignam quæ servetur, sed præterea vilem eam et contumeliosam ore blasphemo appellat. Itaque calvinistæ Crucifixi imagines sustulere. Lutherani tamen sub initium id reprehenderunt, et in plurimis eorum Ecclesiis Crucifixi imagines conservatæ sunt, ac rerum etiam sacrarum picturæ. Hæretici in Anglia et ipsi Christi crucem tanto furore proscripsere, ut Regina Elisabeth licet in turpe schisma et hæresim lapsa vix unam Crucifixi imaginem in privato suo sacello servare potuerit. Divinari non posset undenam tantum odium adversus hanc pientissimam Christi effigiem in horum recentium iconomachorum cordibus ortum sit, nec aliud dicere occurrit, ita nempe se eos gessisse, ut odium in Catholicam Ecclesiam ostentarent. Non ne etiam de his locutus fuisse videtur Apostolus cum ad Philippenses scribens cap. 3. 18. ita lamentatur? *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos Crucis Christi?* Angli tamen heterodoxi, etsi imaginum hostes, Trinitatis symbolum in triangulo intra circulum inscripto servarunt, quod mirum jure videtur, postquam bellum adeo

ferum contra Crucem moverunt. Adversus itaque hos omnes ostendere oportet, « *Imagines Crucis Christi Domini ritè ac rectè a fidelibus coli* ».

LXVII. Et quidem huic cultui Scripturæ mirificè suffragantur. Nam 1. Apostolus ad *Philip.* c. 2. impensè commendat adorationem SS. Nominis Jesu, ubi de Christo hæc scribit: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine Jesu omne genuflectatur etc.* At si Jesu Nomen est adorandum, cur non et signum ipsius Passionis? Nam si primum ad Jesum refertur, alterum quoque refertur ad ipsum. 2. Idem Apost. ait: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi* ... Et alibi: *Christo confixus sum Cruci.* Et iterum: *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus*. Quid sibi volunt hæc verba sæpius repetita? Nonne qui ita loquitur, verum se Crucis Christi cultorem profitetur? 3. In Evangelio Matth. c. xxiv. 30. Crux vocatur Signum Filii hominis: *Et tunc parebit Signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt filium hominis venientem in nubibus etc.* Quis autem dixerit signo sive Vexillo Christi Domini et Redemptionis nostræ, nullam nec respectivam esse venerationem exhibendam? 4. Apocalypsis c. vii. 3. et c. ix. 4. Crucis signo virtus tribuitur repellendi mala: Angelus clamabat: *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum ... Et præceptum est illis ne læderent* ....

nisi tantum homines, *qui non habebant signum Dei in frontibus suis*. Hæc et alia apertè ostendunt huic signo Dei vivi honorem deberi.

LXVIII. Id autem ex perpetuo usu et ex antiqua Ecclesiæ traditione evincitur. Et 1. Justinus *Apologia I. n.* 55. ostendit, Salvatoris Crucem signum esse splendidius suæ potentiæ ac imperii super universum mundum, figuratam illis Isaiæ verbis Cap. IX. *Et factus est principatus super humerum ejus*. 2. Minutius Felix non inficiatur honorari a fidelibus Crucem, imo cum Tertulliano affirmat, *ubique splendere*; et negat tantum, patibula generatim sumpta a fidelibus honorari. 3. Julianus augustus apud Cyrillum l. VI. exprobrabat Christianis, quod Crucem adorarent, eamque in januis domorum ac in suis frontibus signarent; cui S. Cyrillus respondebat, « Utique honorari Crucem, quæ opus nostræ redemptionis in mentem revocat ». 4. Lactantius *in Carmine de Passione Domini*, quod certè antiquum est, et ab illustribus criticis ei meritò vindicatur, ita adhortatur fideles:

Flecte genu, Lignumque Crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis.

5. S. Ambrosius *Oratione in funere Theodosii Imp.* habet. « Invenit ergo Helena Crucem Domini: Regem adoravit, non lignum, utique quia gentilis est error ... sed adoravit illum qui pependit in Ligno » Crucem nempe adoravit non cultu absoluto, sed relativo. Hinc subdit: « Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, ut crux Christi in regibus adoretur: non insolentia ista, sed pietas est, quæ defertur sacræ

Redemptioni ». De genuinitate verò Historiæ Inventionis S. Crucis, deque miraculis quæ a Deo tunc patrata sunt, testantur veteres omnes et coævi scriptores, ut videre est apud Petavium *l.* 15. *de Incarnatione c.* 8. apud Gretserum *De Sancta Cruce*, et Zaccariam *in Symbolis Gorianis*. Sed et Eusebius Cæsarien. hujus Inventionis clarè meminit *in vita Constantini Imp.* L. 3. c. 24. Sed et in rem hanc merito afferuntur tum Crucis signum a Constantino visum cum inscriptione ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ : (*In hoc vince*): tum apparitio Crucis in aëre Hierosolymis facta, atque cruces in hebræorum vestibus per plures dies signatæ, ut referunt S. Cyrillus Hierosolymitanus testis oculatus, et Philostorgius, nec non Theodoretus, Sozomenus, Socrates in suis *Historiis Eccles.* De quibus consulendus Petavius l. citato (*).

(*) Hinc non mirum, si prodigiosæ hujusmodi apparitiones a Deo identidem factæ sint sive ad populorum confirmandam fidem, sive ad perfidiam frangendam hæreticorum, apostatarum et infidelium, ut cum non modico Religionis incremento contigit in Galliis duobus ab hinc annis, anno scilicet MDCCCXXVI. in Pago Migné nuncupato Diœcesis Pictaviensis. Nam Die XVII. Decembris, Dominica tertia Adventus recurrente, circa solis occasum, dum in termino sacrarum Missionum, quæ ibi occasione Jubilæi habebantur, et extollebatur Crucis signum uti fieri solet, ac dum Orator sacer populum de salutiferæ Crucis virtute admonebat, referebatque apparitionem fulgentis Crucis in aere quæ Imperatori Constantino facta fuerat, repente Crux ingens argentea ac lucida in aere designata et ab horizonte distincta visa est, ac per horæ dimidium tribus circiter millibus spectatorum ac testium se conspiciendam præbuit, qui stupore statim ac veneratione perculsi in genua procubuere, quoadusque in proxima Ecclesia publicæ adorationi exposita SS. Eucharistia, illud Symbolum Passionis Christi evanuit et figura cessit veritati.

LXIX. Hisce stantibus, de quibus nemo prudens ambigere posset, quidquid obganniant hæretici; non mirum, si Patres cæteri, ut S. Jo. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Paulinus Nolæ Episcopus in Epist. *ad Severum Sulpitium*, magnificis laudibus Crucis honores extollant; ac testentur, Christi fideles antiquitus adeo animis ad venerationem pronis Crucem Christi coluisse, ut non solum curam haberent ipsius Crucis Domini particulas carpendi, sed etiam auro includendi, collo suspendendi, seduloque asservandi. Sed Chrysostomus magnus ille vir audiatur, qui in libro *Quod Christus sit Deus*, hæc habet: « Mira est hæc gratia: nullus confunditur, nullus erubescit cogitans, quod maledictæ mortis signum fuerit Crux; sed omnes ea magis ornantur quam diadematum coronis vel multis gemmatis monilibus et torquibus: et non solum non fugitur, sed et desideratur et amatur, et omnes de ea solliciti sunt, et ubique splendet, et sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in civitatibus

Mirum hoc phœnomenon nullatenus naturale, at prodigiosum prorsus fuisse periti plures sentire coacti sunt; idque evincitur, tum quia nihil simile unquam contingere soleat quod cum cæteris cohæreat meteoris lucidis: tum ex circumstantia singulari qua id factum est: tum etiam ex effectibus in hominum cordibus excitatis, cum multi compuncti sint corde et pœnitentia ducti ad meliorem vitam redierint et ad colendam Religionem; ut jure quisquis exclamare debeat: *Digitus Dei est hic*. Hæc vero omnia juridicis testimoniis ita comprobata sunt, ut nulli dubio subesse queant. (*Vid. le Memorial Catholique, Mars an.* 1827. et Decemb pag. 384. *L' Ami de la Rel. et du Roi* T. LI. Pag. 49. Fevrier 1827. *Memorie di Relig. e di Morale*. Modena 1827. T. XI. p. 255. e T. XII. p. 542. *Pragmalogia Cattolica* Lucca 1828. T. 1 N. 2 p. 109.)

in vicis, in locis quæ habitantur et non habitantur. Vellem audire a pagano, unde symbolum tam maledictæ mortis ac supplicii omnibus tam desiderabile, si non magna Crucifixi virtus? » Augustinus quoque audiatur, qui in Psalm. LIV. clamat « Jam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt » Et *Tract. XI. in Joan.* habet: » Si dixerimus catechumenô :. Credis in Christum, respondet, Credo; et signat se cruce Christi: Portat in fronte, et non erubescit de Cruce Domini sui ». Quibus auctoritatibus ratio ipsamet suffragatur: Nam si locus in quo stetit Angelus (Exodi 3. et Josue 5.) terra sancta dicitur; cur non magis Crux in qua Christus stetit, in qua Sanguinem fudit et mortuus pro nobis est? Si Pauli sudaria propter contactum honorabantur, et operabantur miracula, cur non magis Crux Domini ejus sanguine consecrata? Si Vasa sacra, si Sacramenta, quæ sunt gratiæ instrumenta honorantur; cur non etiam Crux, instrumentum Redemptionis nostræ? Denique id ex miraculis confirmatur, quæ in Inventione S. Crucis facta sunt, cujus historia a tot scriptoribus relata, ut diximus, non nisi impudentissime in dubium revocari posset.

LXX. Ajunt. 1. hæretici quidam; Crucem fuisse Christo doloris ac ignominiæ instrumentum; ac proinde nobis ejus filiis est indecorum Patris patibulum colere. Quæ certè ex stultis humanis opinamentis dicta sunt. Nam licet fuerit Crux dolori Christo domino, et ignominiæ in vulgi opinione; at postea summo ei fuit honori, nobisque summo bono: nimirum Christus per crucem suam nos et mundum redemit, nobisque immortalitatem acquisivit; honoranda igitur et amanda est. Hinc

filium quidem non decet colere patris patibulum, a quo nullus bonos, nullumque bonum dimanet; at id nequit dici de Cruce Domini, per quam filii maxima bona consecuti sunt, et honorem filiorum Dei. Sed instant, absurdum esse, crucem alloqui, supponere in ea virtutem, ac dicere, Christi verba audivisse, operari miracula, fugare dæmones, esse spem nostram, gratiamque donare, ut cum dicitur: « O crux ave spes unica, piis adauge gratiam, reisque dele crimina ». At respondetur, inique hæreticos agere, et ad rudes decipiendos hæc declamare; nam ea quæ figurato ac metaphorico sensu intelligenda sunt, volunt in sensu proprio ac naturali a catholicis accipi. Quem enim latere posset, quod cum precamur « O Crux, ave spes unica » nihil significari aliud, quam « O redemptor, qui in Cruce pependisti, ave unica spes nostra » aut similia? Quod si nulla esset figurata locutio adhibenda, cur Christus dixisset: *si quis vult post me venire . . . tollat Crucem suam et sequatur me*. Cur etiam dixisset Apostolus: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini N. J. C.?* Aut: *Non in sapientia verbi, ut non evacuetur Crux Christi?* « (idest, ut irrita non reddatur passio Christi crucifixi). Verum cum Origenes *in Epist. ad Rom.* l. 6. potentiam Crucis Christi extollit, id hæretici de memoria interpretantur illius Passionis; cur ergo et hic non eandem regulam servant? Cur non concedunt, iis verbis catholicos non de materiali cruce loqui; at vero de Redemptore patiente et pendente in Cruce, ac pro nobis Patrem exorante?

LXXI. Quod si quæratur, quinam cultus sit ipsi Dominicæ Cruci adhibendus? Patet ex dictis, reverentiam

utique ipsi esse exhibendam propter contactum sacri corporis Christi, non autem latriæ cultum, nisi respectivum, qui in ipsum Christum Dominum directè tendat et referatur. Quæritur autem 2. An vetustus in Ecclesia sit usus adhibendi Crucis signum sive in fronte, sive in aëre aut in rebus manu efformatum ? Et respondetur : Antiquissimam esse in Ecclesia consuetudinem hanc muniendi tum se, tum alios signo Crucis, ut fideles Domini passionem recolerent, spemque salutis in ea collocarent, ut testes sunt Tertullianus, Augustinus, et alii ec. Ille quippe *Lib. de Corona militis* c. 3. habet « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestimentum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus » Augustinus verò *Tract. CXVIII. in Jo.* scribit « Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive Sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. « Crux itaque etiam in imagine adoratur ob Domini patientis memoriam; at non inde sequitur adorandas esse in imagine etiam omnes lanceas, omnes clavos etc. quæ instrumenta nobis communiter non repræsentant Christum patientem, et ad alios usus inserviunt. At si essent instrumenta ipsa quæ in passione Domini fuere adhibita, ob contactum sacrati corporis et Sanguinis veneratione digna habentur. Quare S. Jo. Damascenus *de fide Orthod.* L. IV. c. XI. ait : » Hoc pretiosum sane ac venerabile lignum in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, SS. corporis atque sanguinis ta-

ctu sanctificatum jure debet adorari : claviquе item , et lancea , et indumenta , et sacræ ejus mansiones, hoc est præsepe specus, salutaris Golgotha, vivificum Sepulcrum et similia » Animadvertunt tandem Theologi cum Bellarmino ac Tournelyo , affirmari posse , non modo ex opere operantis , scilicet per fidem et pietatem eorum , qui illud adhibent ; sed etiam ex opere operato Signum Crucis aliquando prodigia facere fugando dæmones , morbos sanando etc. Aliquando scilicet ex divina liberalitate , cum istis sacramentalibus infallibilis promissio alligata non sit . Interim contra adversarios omnes catholicæ Veritatis concludere liceat verbis S. Ignatii Martyris *in Epist. ad Trallianos :* « Hi non sunt plantatio Dei Patris , sed maledicta germina : Omnis autem plantatio inquit Dominus, *quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicetur* . Quod si fuissent rami Patris, non utique essent inimici Crucis Christi ; sed sunt rami illorum , qui occiderunt Dominum gloriæ » . Utinam hæc illustris Martyris Verba ab adversariis seriò considerentur !

DE NOVISSIMIS

SEU DE FINE HOMINIS

THEOLOGICO-CRITICA DISSERTATIO

I. Rerum quidem omnium, quæ a Deo creatæ sunt, finis generatim est ipsemet Deus Opt. Max. ut habetur Proverbiorum Cap. XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* qui ut gloriam suam, bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, majestatemque creaturis intelligentia ornatis manifestaret, in hunc ordinem admirandum omnia disposuit. Attamen peculiarem finem ultimum ac supernaturalem ad quem pro summa sua clementia et benignitate nos homines extollere ac dirigere dignatus est, sicuti cæteras rationales quas novimus creaturas, docet divina Revelatio esse Deum ipsum, quatenus, si bene egerimus, divinam ejus essentiam sumus contemplaturi ac beatifica ejus visione perpetuò frui turi. Hunc divinum Finem gentiles philosophi obliti fuisse videntur, postquam deperditis aut rejectis traditionibus majorum, quas Deus ipse docuerat hominum genus, de supernaturalibus his doctrinis disputando cæcutire cœperunt, ut videre est in Tullii *Libris de Finibus*, et *in Quæstionibus Tusculanis*, tum apud Lactantium *Lib.* 3. *Institutionum*. Hi quippe suis

derelicti humanis inquisitionibus, plura de fine hominis disputare aggressi sunt, quorum alii finem hunc, qui hominem beatum constituat, in possessione collocarunt sapientiæ ac virtutis, alii in animi gaudiis, in immunitate alii dolorum et ærumnarum, alii in fruitione divitiarum, honorum aut potentiæ, demum alii, quod turpe dictu est, in corporis voluptatibus hunc felicem finem et summum hominis bonum posuere. Verum tot erant ea de re opinamenta, quot capita numerabantur philosophorum, quorum plura recenset M. Terentius Varro, cujus verba S. Augustinus refert *Lib. XIX. De Civitate D. c.* 1. Licet autem argumentum hoc, quod, utpote omnium præstantissimum, *de summo Bono* appellare consueverant, graviter agitarent; tamen quam longè a veritate aberraverint, modo nemo est qui ignoret.

II. Itaque Deus ipse patriarchæ Abrahamo pollicitus fuerat Geneseos C. XV. seipsum ejus beatitatem effecturum æternamque mercedem: Noli timere Abram: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Atque beatum hunc finem iis omnibus sperandum dedit, qui fidem Abrahæ imitati essent. Quonam autem medio hanc æternam beatam vitam consequi valeamus, alibi indicatum est, nempe ubi *De Mysteriis Gratiæ Divinæ*, tota Sectione IV. Antequam verò homines hunc finem consequantur æternæ vitæ, quædam eis contingant oportet, quæ *hominis novissima* appellantur in sacris literis, et quorum tractationem *Prooemialia vitæ æternæ* Theologi appellare solent. Novissimorum itaque vocabulo intelliguntur postremi hominis status, quos experiatur necesse est, quosque expectet oportet, qui sunt *Mors, Judicium Dei, Cælestis gloria pro justis, et in-*

ferorum pœnæ pro improbis: hæc enim sunt quæ hominis novissima Sacræ Literæ vocant, ut Ecclesiastici Cap. VII. 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Psalmista quoque admirans hominum improborum prosperitatem et pacem, animadvertit, ut hoc intelligatur mysterium, divina esse arcana meditanda, et intendendam esse mentem ad ultimum iniquorum exitum, *Psal.* LXXII. 17, inquiens: *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me: donec intrem in Sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.* Tota ergo Dissertatio hæc, quæ nostras Disquisitiones claudet in Dogmaticam Theologiam, in quatuor Capita divisa erit, quorum singula in plures Articulos pro argumentorum diversitate dispertita invenientur, ut postremò de Gloria cælesti sermo fiat.

CAPUT I.

DE MORTE.

III. Mortis nomine intelligi separationem Animæ a corpore, noverunt omnes. Hinc S. Ambrosius ait l. *De Bono mortis* c. 3. n. 8. « Scriptura docente cognovimus, quia Mors est absolutio animæ et corporis, et quædam hominis separatio » Ex divina autem Revelatione erudimur, primum hominem Deum constituisse immortalem, ac propter illius peccatum mortem in mundum introivisse, uti Sapientiæ 2. v. 23. legitur: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: invidia au-*

tem diaboli mors introivit in orbem terrarum . Et c. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit . . . creavit enim ut essent omnia* . Apostolus verò ad Rom. c. v. 12. ait : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum , et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit . . .* Mors itaque consectarium est illius sententiæ protoparenti latæ , cum in signum supremi sui dominii , et ut primus homo posset obedientiæ testimonium supremo suo Domino exhibere, Dominus Deus ei dixit : *De omni ligno Paradisi comede , de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas in quacumque enim die comederis ex eo , morte morieris* (Ita Gen. 2.) ; id est , morti eris obnoxius . Hoc certè non significat , eo ipso die mortem fuisse passurum ; at verò , ex illa die reum mortis futurum fore , uti reipsa evenit .

ARTICULUS I.

MORTEM CORPORIS POENAM ESSE PECCATI OSTENDITUR .

IV. Jam audivimus , mortem in pœnam peccati primi parentis in omnes homines pertransire . Hic tamen adversarios habemus non modo veteres pelagianos, sed et socinianos recentes ; ut incredulos prætereamus sive *rationalistas*, qui imbecilli suæ rationi confisi sacra quæque dogmata in sui perniciem blasphemant. Hi quippe stultè contendunt , mortem in præsenti statu non pœnam esse peccati , at conditionem naturæ , ut etiamsi Adam non peccasset , morti tamen fuisset obnoxius . Damus itaque , hominem spectata sui natura non esse

a mortis lege absolutum ; ex peculiari tamen Dei conditoris gratia et privilegio, si Adam ejusque posteri in justitia ac Dei obedientia stetissent ac fructu usi fuissent Arboris Vitæ, nec mortem sibi voluntariè intulissent, semper fuisse ac immortales victuros tenendum est, ita ut dubio procul in præsenti humanæ conditionis statu mors sit pœna originalis noxæ, uti Catholica Fides docet. Revera Apostolus id apertè affirmat ad Rom. c. VI. 23. *Stipendia peccati mors*: Et cap: VIII. 10. ait: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Ubi S. Augustinus *L. de peccator. meritis c.* 4. inquit « Puto quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara et aperta sententia : corpus, inquit, mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est; sed propter peccatum: Quid amplius quærimus? » Idem Apostolus itaque 1. Corinth. xv. 21. ait. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* 2. Id quoque apertè eruitur ex c. 2. Geneseos, ubi ita Deus Adam allocutus est: *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris* : sive juxta hebræi vim : *moriendo morieris*, seu mors tibi erit inevitabilis, erisque obnoxius morti certò superventuræ. Hinc Hieronymus et Symmachus vertunt : *mortalis eris* : et Chaldaica paraphr. *Eris mortis reus.* Itaque Deus hæc dixit Adæ post peccatum Cap. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*... *Nunc ergo, ne fortè mittat manum suam et sumat etiam de ligno*

vitæ et comedat et vivat in æternum, emisit eum Dominus Deus de Paradiso etc. Quare Trident. Conc. Sess. V. can. 1. eos damnat, qui non confitentur, Adam, cum mandatum Dei transgressus est, sanctitatem amisisse, incurrisseque indignationem Dei atque ideo mortem, quam illi comminatus fuerat Deus .... totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse ».

V. Sed his non acquiescunt rationalistæ, ajuntque 1. Quod Deus Adæ comminatus est, erat mors animæ non corporis; cum non eo die quo peccavit, revera mortuus sit; nam de morte animæ plures Patres interpretantur. 2. Legitur Sap. 2. *Deus mortem non fecit*; at esset mortis auctor, si peccatum morte puniret. 3. Mors est homini naturalis; quod autem naturale est, pœna esse nequit; non ergo mors pœna peccati. Quæ quidem levissima sunt et ex parte jam resoluta. Nam ad 1. Illius comminationis sensum significare, *mortalis eris*, vel morti eris obnoxius, et immortalitate tibi gratis concessa spoliatus, eruitur ex recitatis Dei verbis c. 3. *Ne forte sumat de ligno vitæ et vivat in æternum*. Patres vero cum mortem animæ designant, non inficiantur etiam corporis mortem a peccato oriri, sed unam per alteram declarari. Ad 2. Cum dicatur Ecclesiast. XI. 14. *Vita et mors a Deo est*; clarum fit, quod cum dicitur: *Deus mortem non fecit*, innuitur quod Deus non sit mortis auctor in quantum hominem condidit immortalem, non vero in quantum justus judex hominem prævaricatorem immerita spoliando immortalitate punivit. Ad 3. Esto mors in se homini pœna non sit, pœna tamen illi est, postquam fuerat a morte con-

stitutus immunis, si non deliquisset. Cum ergo ob peccatum eo privilegio homo spoliatus sit, mors jam est pœna peccati. (Vid. quæ dicta sunt *De Rebus Divinis* N. CCLXXV. et *De Mysteriis Gratiæ Divinæ* Sect. III. N XIX.)

VI. Hinc etiam pro justis mors pœna dicenda est. Nam cum ob peccatum originis mors introierit in orbem terrarum, et ei omnes nascantur obnoxii; jam non modo impii, sed et probi quique homines in pœnam ejusdem peccati morti sunt subjecti; contra quod male sentiunt protestantes nonnulli. Deus enim justissimus ob noxam primi hominis universum genus humanum gratuitis donis ac minime ipsi debitis expoliavit, quo factum est ut et morti, cæterisque inde ortis calamitatibus obnoxium fieret. Nec refert, piis peccatum originis remissum esse; nam et impiis Baptismo expiatis remissum scimus. Remittitur ergo in renatis quantum ad reatum culpæ; at quantum ad reatum pœnæ, nulli constat condonatum esse. Non refert quoque, mortem justorum, ut ajunt Vitringa, et Buddeus, vocari *somnum*, *transitum ad vitam*, et *lucrum*, ut Apost. ad Philipp. 1. 21. *Mihi vivere Christus est*, *et mori lucrum*; Nam ita appellatur, quod in sanctis morti succedat immortalitas et gloria æterna; non quod per se gravis non sit calamitas, quam natura vehementer horret, et cui in primæva sua constitutione non erat homo subjectus. Quod si nonnulli Patres corporis mortem appellarunt *Dei beneficium et misericordiam*, ea appellatione usi sunt, quia peccandi nobis finem facit, « Ne malum sit immortale, ut ait Nazianzenus, atque ita pœna ipsa in misericordiam cessit » Et S. Ambrosius *De bono*

mortis c. 4. « Inveniemus, ait, mortem finem esse peccati, ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior » Itaque juxta Augustinum prædicanda est misericordia Dei « quod in bonos usus convertitur pœna peccati » Hi ergo minimè negarunt, mortem verè esse peccati pœnam. Sed hîc abominandum est Lockii (*Christianisme raisonable* c. 1.) absurdum commentum nempe mortis nomine significatam esse corporis et animæ destructionem, quæ impiis comminata fuerit.

ARTICULUS II.

QUOD OMNES HOMINES SINT MORITURI.

VII. Licet nonnulli dubitaverint, an omnes qui ex Adam traxere originem in mortis sententiam incurrerint; at affirmandum est « Omnes homines nullo quidem dempto mortem esse subitnros. Nam Ps. LXXXVIII. habetur: *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Et Apost. ad Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Et 1. Cor. XV. 22. *In Adam omnes moriuntur.* Quare S. Thomas in hunc locum Lect. VIII. habet » Licet hæc litera, scilicet, *non omnes moriemur*, non sit contra fidem, tamen Ecclesia magis acceptat primam, sive, *quod omnes moriemur*, seu resurgemus. Dixerat enim Apostolus: *Omnes quidem resurgemus*; At si omnes resurrecturi sumus, necesse est ut antea moriamur » Itaque Hieronymus etiam *Epist. ad Minervinum* ajebat « Huic sententiæ magis acquiescit Ecclesia, ut omnes communi morte moriamur ».

VIII. Opinabatur tamen Card. Cajetanus de Vio, non omnes omnino homines fore morituros; eo quod 1. ad Cor. xv. 51. ubi Vulgata legit, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; Græcus habeat: Παντες μεν ου κοιμηθησομεθα, παντες δε αλλαγησομεθα: *Non omnes quidem dormiemus* (id est, somno mortis), *sed omnes immutabimur*: cui versiones syriaca et arabica consentiunt. Idem colligitur ex 1. ad Thess. c. iv. ubi Apostolus de iis qui vivent in secundo Christi adventu, ait, non esse præventuros eos, qui dormierunt, seu non prius esse glorificandos, quam qui post mortem resurrexerint: *Quia nos qui vivimus qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt*. 2. Ut profitemur in symbolo Christus *venturus est judicare vivos et mortuos*. 3. Dathan et Abiron (Num. xvi.) in infernum vivi descenderunt, et Apocal. xix. Antichristus et pseudoprophetæ *vivi missi sunt in stagnum ignis*. 4. Nulla naturalis causa assignari potest subitaneæ mortis tot hominum, qui superstites erunt in die Judicii. Non omnes ergo sunt morituri.

IX. Ea tamen a communi sententia nos minime recedere cogunt. Nam ad 1. ut habet Hieronymus, est Vulgata lectio retinenda cum pluribus græcis codicibus, qui scribunt: Παντες μεν αναστησομεν: *Omnes quidem resurgemus*; cui lectioni non pauci græci Patres consentiunt. Sed, *non omnes dormiemus*, indicare potest, *non diu mortis somno tenebimur*; ut non negetur eos esse morituros; sed affirmetur, brevi surrecturos esse ad judicium. Apostolus autem 1. Thessal. 4. innuit quidem, eos, qui adveniente Christo ad Judicium

vivent, mortuis resurgentibus consociandos, et in regnum Christi transferendos non ante illos qui antiquitus mortui fuerint; At minimè eos non morituros affirmat. Quare ut ait August. l. xx. de Civ. D. c. 20. vel in ipso raptu, vel ante sunt omnes morituri, ut resurgant et cum cæteris glorificentur. Ad 2. In Symbolo utique profitemur, venturum Judicem vivorum et mortuorum; ast per vivos ii intelliguntur, qui modo et postea vivent: vel ii qui vivent proximi ad Judicii diem, sed antea morituri; quare et nos vivos eos appellamus qui nunc vivunt, et mortuos qui nos præcessere. Ad 3. Non damus, Dathan et Abiron vivos pervenisse ad infernum, qui terra se occludente suffocati sunt: Nec planè vivus illuc antichristus perveniet, quem, ut 2. Thessal. 2. 8. habetur, *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*. Ad ultimum: Multiplex causa mortis eorum esse poterit, qui in eo die novissimo vivent, ut fames, pestes, terræmotus, nimius terror, cælorum elementorumque perturbatio, ut non mirum, si omnes morientur.

X. At quid sentiendum erit de Henoch, de quo Apostolus ad Hebr. xi. ait: *Henoch translatus est, ne videret mortem*: nec non de Elia; qui iv. Reg. c. 2. 11. *Ascendit vivus per turbinem in cælum?* R. Henochum nondum quidem mortem vidisse, sed eam ab antichristo passurum fore, obvia est Patrum sententia; ut idem sit de eo dicendum, quod ait Gregorius M. *Hom.* xxix. *in Evang.* de Elia, quod nempe « mortem distulit, non evasit ». Rabbini et alii plura de Henoch commenti sunt, ut apud Calmetum videre juvat in *Dissert. de Patriarcha Henoch*. Quod obscure de eo legitur Gen. v. 23. *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit*,

quia tulit eum Deus: clarum facit Apostolus ad Hebr. xi. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia tulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. Ecclesiastici verò c. xliv. 16. dicitur: *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. In græcis tamen et hebraicis deest *paradisi* nomen, quod in versione arabica reperitur, et Vulgata retinuit, sed non ut sedem indicaret Beatorum; nam paradisi nomine intelligitur quilibet locus, in quo feliciter vivitur, sicut cæli nomine venit etiam superior aëris pars. Sed ex his patet, Patriarcham hunc in terras esse reversurum, atque uti concors Patrum sententia est, contra antichristum pugnaturum, sicuti de Elia sentiunt, de quo Ecclesiastici xlviii. 9. legitur: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob*. Tum Malachiæ c. iv. 5. ait Deus: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios etc.* Veteres omnes itaque et recentiores qui in Apocalypsin scripsere, uti certa traditione a priscis accepta notarunt futurum, ut antichristus pugnet adversus Henoch et Eliam, qui sint duo illi testes a Joanne recensiti Cap. xi. Apocal. quod ex Irenæo, Tertulliano, Hilario, Hieronymo, Augustino aliisque confirmatur, ut apud Calmet l. citato. Videndus et Hieron. ad Marcellam Epist. cxlviii. Hinc S. Gregorius in c. xviii. Job. scribit « Henoch et Elias ad mundum

revocabuntur, et crudelitatis sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt » Quare hi duo in amæno aliquo loco modo vivunt, ut concors omnium ferme sententia est. Cum vero cælestis beatitudo nisi post mortem conferatur expleto laborum cursu, hinc illa nondum eis collata est, licet dubio procul in gratia sint confirmati, et in altissimam forte contemplationem rapti vitam degant. Vid. Berti *De Theol. Discipl. l.* 3. c. 7. Sed an revera antichristi tempore reversuri sint, infra sermo fiet (N. LXXIII.).

XI. Inquirunt alii, an S. Joannes Evangelista mortem adhuc obierit? Cui dubio antiquitus locum dedere Verba Domini Joan. XXI. 22. *Sic eum volo manere donec veniam*: tum alia Matth. XVI. 28. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo*. Longa etiam Joannis senectus ejus a morte immunitatem videbatur innuere. Verum ipse S. Evangelista a morte minime se excipiebat, qui ibidem v. 23. adnotat « *Et non dixit ei Jesus, non moritur; sed: sic eum volo manere, donec veniam*. Quod facile significabat, Joannem in vivis futurum usque ad Hierosolymorum excidium, quod non rarò in Scripturis sub apparitione Adventus Domini denotatur. Ad excidium illud referri queunt etiam relata Christi verba Matth. XVI. Quæ commodè referri quoque possent ad proximè peractam sui Transfigurationem coram electis tribus discipulis. Alia quæ opponi solent, levia sunt.

ARTICULUS III.

DE ANIMORUM NATURA ET IMMORTALITATE.

XII. Cum de Animi humani post mortem statu disserendum sit, pauca de illius natura sunt præmittenda; inde verò illius perennitas a materialistarum sophismatibus in tuto ponenda veniet. Est autem Animus, sive hominis Mens, substantia incorporea, spiritualis, cogitans atque intelligens, nec non regendi corporis ac vivum reddendi virtute donata. Philosophorum quidem munus est, demonstrationes afferre ex lumine naturali depromptas, ut spiritualis ejus natura atque immortalitas comprobetur: Theologorum autem sunt partes, ostendere duo hæc dogmata a mundi exordio revelata fuisse, nec Deum ullo modo philosophorum disceptationibus reliquisse, ut has summi momenti veritates homines edocerent; at verò per semetipsum et philosophos et populum de illis, a quibus pendet hominum æterna felicitas, certiores fecisse. Futurum enim erat, ut ii ipsi, qui philosophi haberi et vocitari volunt, *evanescerent in cogitationibus suis*, ac a terrenis cupiditatibus abrepti *insipiens fieret cor illorum*, ut ait Apostolus, atque in turpes errores pertraherent incautos.

XIII. Revera cum una fuerit antiquitus de natura animi sententia, audaces quidam homines ablegata veterum traditione, quæ in parte semper saniori stetit; ad absurda et erronea declinarunt, ut ea de re tres præcipuè scholæ constituerentur. Una erat epicureorum, qui animos vel corporeos fecerunt, vel corporis qualita-

tes atque affectiones: et hi quidem hominis dignitatem ad belluarum conditionem redegere. Altera ex opposito naturam animi nimium ac præter fas extulere, qui animos aut Dei partes, aut ejus substantiæ modificationes constituerunt, atque ita, ut se nimium efferrent, impii facti sunt, quales Stoici traduntur. Tertia verò sententia intra utramque illam recta incedit, ac vetustæ divinæquæ traditioni inhærens, animos considerat uti substantias sui generis tum a Deo, tum a corporibus diversas ac distinctas. A duabus itaque prioribus utpote absûrdis impiisque opinionibus æque est recedendum. Nam epicureorum sordes eo tendunt, ut homini immortalitatem eripiant, atque ab omni pœnarum metu, quæ ex recta ratione sceleribus debentur, absolutum faciant. Stoicorum verò ac pantheistarum blasphemia licet alia via, in eadem tamen consectaria ducit. Cum itaque absona illa systemata a pietate non minus quam a recta ratione abhorreant; non mirum, si in paucis, iisque corruptis hominibus steterint, ut nec populum nec sapientes in absurda illa opinamenta pertrahere unquam potuerint. Quare Macrobius *in Somnium Scipionis* l. 1. c. 14. scribebat « Obtinuisse jam non minus de incorporalitate animi, quàm de immortalitate sententiam ». Quæ sententia vera deprehenditur quantum etiam ad animæ spiritualitatem. Nam licet eadem vulgo non habeatur de natura animi notio ac geritur a philosophis, omnes tamen ejus naturam a corporum indole remotam considerant. Inutile autem esset opiniones recensere a veritate discordes, quæ nullo certe fundamento nituntur, quæque inveniri poterunt, præter veteres, Laërtium, Plutarchum, Stobæum, apud Brucherum, aliosque qui philosophiæ historiam tradunt.

XIV. Spiritualem itaque Animi naturam his momentis ostendebat S. Augustinus. 1. Animus est subjectum veritatis, quæ tantum animo et mente intelligitur: at veritas incorporea est ac immortalis; incorporeus ergo et immortalis est Animus. 2. Animus incorporea noscit, incorporeus ergo est. 3. Animus corporis et sensuum errores detegit; quod non posset efficere, nisi esset a corpore distinctus. 4. Dum in amœna planitie versamur auribus avenæ sonos audimus, oculis plantas, virentia prata rivis floribusque distincta videmus, odores naribus persentimus, atque simul omnia illa cognoscimus. Est igitur in nobis principium aliquod ea vi donatum, qua hæc objecta distingat, et conferat inter se, quod efficere nequeunt sensus ipsi; nam aures nequeunt de coloribus judicare, nec oculi de sonis: Est ergo in nobis aliquod subjectum cogitans a sensibus distinctum; atque illud Mens est: Mens ergo est incorporea (*) Denique id ex ipsius Mentis operationibus et ratiociniis, quæ in indivisibili fiant oportet, ineluctabili argumento eruitur: tum ex vi, qua fruitur se ipsam et corpus movendi, ac pro libito determinandi, quod corpori negatum est; ac demum super se ipsam reflectendi seque agnoscendi; quæ corporis naturæ contraria sunt; Mens ergo spiritualis est.

(*) Rousseau in suo Æmilio l. 4. hac veritate convictus exclamat: *Quoi! Je puis observer l'univers: connoitre les etres et leurs raports: je puis sentir ce que c'est, ordre, beauté, vertu ... m'elever à la Main, que gouverne le monde: je puis aimer le bien, le faire; et je me comparerois aux bêtes? Ame abjecte! .. l'abus même de ses facultés preuve l'excellence de l'Ame; en depit de toi.*

XV. Hoc autem validius sacra Theologia ex Scripturis palam ostendit. Nam, quam tradunt, prima veritas, est; Deum esse Creatorem, qui omnia verbo voluntatis suæ e nihilo eduxit, ex quo patet, purum esse spiritum ac perfectissimum. Altera veritas est, Deum ad imaginem et similitudinem suam hominem condidisse; quæ similitudo cum in corpore esse nequeat, sequitur, Animo inesse. 2. Docent sacræ Literæ, postquam de limo plasmavit Deus primi hominis corpus, *spirasse in faciem ejus spiraculum vitæ*; quo apertè significatur, tributnm tunc a Deo homini fuisse principium illud per quod vivum et animatum corpus efficitur, ac motu respiratione et eloquio præditum; ut hominis Animus ex suis effectibus *Spiraculum vitæ* denominetur. Revera in hominis facie splendet vita, intelligentia, affectus, et animi desiderium. Quidquid spirat, vivens est; per spirationem igitur aptè principium vitæ exprimitur, quod alioquin sensibus subjectum esse non potest. At scriptum simul est, spirationem Omnipotentis intelligentiam impertiri, ut Job. c. XXXII. 8. *Sed ut video, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*, Male igitur nonnulli per hanc inspirationem materiale quid intellexere, qui ad sublimitatem hujus sensus non voluerunt assurgere. Et quidem ait Deus Gen. I. *Faciamus hominem . . . et præsit piscibus maris . . . universæque terræ* etc. Oportet ergo ut homo sit cæteris animantibus excellentior, cum sit eorum dominus constitutus. 3. Hominem Deus alloquitur, conversatur cum illo, ei tribuit jura, mandata imponit, cum eo agit ut cum ente intelligentia prædito, libero, præmii ac punitionis compote, quo modo certè cum

cæteris animantibus non se gessit Deus. Quæ luculenter hominis præstantiam spiritualemque Animi illius naturam pandunt; ut obscurari nequeant aut frigidis etymologiis, *spiritus*, *animæ*, *respirationis*; aut odiosis inter bruta et homines comparationibus. 4. Inde factum est, ut nulla unquam inventa sit natio adeo stupida et rudis, quæ materiam et corpus a spiritu et mente non semper distinxerit; ut hinc Cicero *l.* 1. *Tuscul. Quæst.* ex veterum sententia asserere non vereatur, stupidum esse oportere, cui spirituales substantiæ notæ non sint « In animi igitur cognitione, ait, dubitare non possumus, nisi in physicis planè plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum nihil coagmentatum, nihil duplex ». Non inficiabimur, vulgus puras adeo notiones de spiritu non habuisse, grande tamen inter utramque naturam discrimen omnes statuebant, ut rebus maximè incorporeis a phantasia petitis humanum Animum comparaverint. Hinc instar umbræ et somnii animam avolare dicebant, ut apud Homerum: *Σκιῃ ικελον η και ονειρῳ* (*umbræ simile vel etiam somnio*): ac ita a Virgilio Creusæ anima describitur: Æneid. l. II. v. 794.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

XVI. Hebræos veteres has substantias cognovisse, sacras Literas intuenti et contemplanti elucet. Frequenter Psalmista spiritum et animam a corporea vita distinguit, ut cum ait: *Benedic anima mea Dominum* « *Omnis spiritus laudet Dominum*. Dein Angelos certè incorporeos habebant, quos minimè sensibus subjectos putabant et prodigium censebant, si visibiles se exhibuissent, ut exemplis patet. Non incognita igitur prædicabat Chri-

stus cum ajebat Joan. IV. *Spiritus est Deus* etc. aut cum post resurrectionem ita discipulos alloquebatur Lucæ XXIV. 39. *Palpate et videte; quia Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Item cum discipuli putabant *spiritum* videre, quidnam censebant, nisi rem a corpore omnino diversam ? Ridendi itaque novatores cum spirituum ignorantiam Judæis tribuunt. Apostolus verò de spirituali hominis anima 1. Cor. 2. 11. ait: *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est ?* Ubi spiritus pro simplici substantia utique accipitur intellectu prædita. Optimè itaque definivit Concilium Lateranense v. « Deum utramque condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, ac deinde humanam quasi communem ex corpore et spiritu constantem » Patres ergo toti sunt, ut contra epicureos ostendant, hominis animam esse propriè dictum spiritum; quod ex illius probant operationibus, ex intelligentia voluntate conscientia, qui cum actus sint simplicissimi ex ideis pluribus constantes, non nisi in indivisibili substantia perfici queunt, quæ spiritus sit a corporea natura distinctus.

XVII. Quid ? Nonne spiritualem animi essentiam discrepantia evincunt materialistarum opinamenta ? Ita quidem. Hi quippe inter se discordes dum a recta sententia deflectunt, nonnisi imbecillia et absurda protulere. Democritus, Zeno, Epicurus animum voluere esse quoddam ignitum ex levibus rotundisque corpusculis compactum: Heraclitus mobilem vaporem esse dixit: Diogenes aerem: Empedocles esse quid ex singulis compositum elementis: recentes quidam, ut Lockius, esse corporis modificationem: Cudworthus concinnam esse

corporis aut cerebri dispositionem et harmoniam, motusque agiles in cerebro esse cogitationes, quæ meræ sunt conjectationes, imo et absurda quæ a materiariis istis contra ipsam rationem venditari solent. Nam quod ajunt, Animam in suis operationibus pendere a corpore ut hinc corporea sit habenda: manifestus est paralogismus: primo enim Anima absolutè loquendo a corporeis organis in cogitando minimè pendet, sed pro statu solum præsentis vitæ, ut etiam a corpore sejuncta cogitet. Deinde propriè non Animus, sed corpus ab Animo pendet, quod vivum reddit, movet, regit, ac in eo dominatur; at quod movet, et perficit ab eo quod movetur ac perficitur, ut sit longe diversum necesse est. Ajunt, quod Anima in suis operationibus defatigatur, ut corporea esse debeat. Sed et hic falluntur materiarii, non enim Anima est quæ defatigatur; sed tantum exhausto fluido nerveo corporis, ejus deficiunt vires, et aptitudo ad opus, ut proportione servata in instrumentis contingit, quibus utimur, et quæ indigent instaurari.

XVIII. Infertur ex dictis, duas esse hominis partes essentiales, corpus, et animam rationalem. Omnes enim hominis operationes per duas has substantias optimè explicantur, et ipse sacræ Literæ eas tantum commemorant, ut Ecclesiastis c. XII. 7. Fanatici sunt ergo habendi, qui tres hominis partes essentiales statuunt, corpus animale, animam, et spiritum; ut anima circa artes, scientias et alia naturalia versetur: spiritus verò cujus objectum sit Deus, res tantùm divinas ac spirituales consideret. Nec est quod opponatur, Lucæ I. 46. animam a spiritu distingui cum dicitur: *Magnificat*

anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; Nam anima et spiritus hic pro synonymis habentur, et hæc replicatio est hebraismus frequens in Scripturis, ut Psal. LIII. *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.* Nec eos juvat quod ait Apost. 1. Thessal. v. 23. *Integer spiritus vester, et anima et corpus in adventu Domini servetur:* Ubi spiritus nomine dona spiritualia notantur, pia desideria, fides, spes, et caritas, de quibus dixerat paulo ante: *Spiritum nolite extinguere.* Inde quoque 2. colligitur, ablegandos esse Idealistas, qui ex solo spiritu hominem constare arbitrantur, corpora verò mera esse phantasmata. Hi non ex sacris Literis modo, sed et experientia revincuntur et ratione. Constat quippe, nos ideam habere substantiæ cujusdam extensæ, quam haurire non potuimus, nisi a corporibus reipsa existentibus; alioquin sine sufficienti causa daretur effectus. At hujus ideæ causa non sumus nos ipsi, qui per idealistas solo Spiritu constamus: nec ejus causa Deus esset, qui spiritualis est ac inextensus, quique ingerere non posset ideam rei non existentis quin nos deciperet; quod impium esset dicere. Hujus igitur ideæ causa sunt corpora ipsa. Nec dicere valet, hanc esse fictitiam ideam, ut esset montis aurei; nam corporis idea a nostro arbitrio non pendet, quæ in nobis etiam nolentibus excitatur; at idea montis aurei fit ab intellectu fingente ex ideis jam acquisitis, montis nempe et auri. Idealistæ igitur et ipsi causâ exciderunt.

XIX. Sed præcipuè ex jam delibatis veluti sponte sua descendit immortalitas Animorum. Etiamsi verò spirituum notio obscura fuisset apud vulgus et imperfe-

cta; at certè de illorum immortalitate sententia et vetustissima est et omnium populorum, ut, paucis nebulonibus exceptis, hæc sit omnium temporum omniumque locorum doctrina, cui non modo vetusta traditio, sed et ipsamet ratio mirificè suffragatur. Itaque ajebat Seneca Epist. CXVII. « Cum de Animorum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium » Sed egregia plura ea de re habet Tullius Cicero, ut cum scribit *Tuscul. Quæstionum l.* 1. 13. 16. « Permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Atque hæc ita sentimus natura duce .... Nescio quomodo inhæret in mentibus nostris quasi sæculorum augurium quoddam futurorum ... Auctoribus quidem ad istam sententiam uti optimis possumus: primum quidem omni antiquitate, quæ, quò propius ab ortu aberat et divina progenie, hoc melius fortasse quæ vera erant, cernebat. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est ». Et num. 49. subdit « Neque enim temerè nec fortuitò sati et creati sumus; sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tunc incideret in mortis malum sempiternum » Hæc longiora licet producta sunt, ut videant cinædi nostri, qui belluarum invident conditioni, quod humano consensui, rationi, ac naturæ ipsi repugnant, ut vano conatu tandem laborare intelligant.

XX. Verum quod ad rem nostram attinet, ostendendum est, hoc dogma fuisse apertè in divinis Literis revelatum. Id Sociniani ac materialistæ impudenter abnegare ausi sunt, ajuntque ante babylonicam capti-

vitatem judæos præcipue nullam de animorum immortalitate habuisse notionem; quod et Jo. Clericus contendit variis in locis. Quare Castus Innocentius Ansaldus Opus edidit Mediolani excusum an. 1748. in quo *De futuro sæculo ab hebrœis ante captivitatem cognito*, eruditè disputat, et Clericum suosque revincit, ostenditque non a Chaldæis aut Persis hanc doctrinam eos hausisse; at ex divina revelatione primitus hominibus facta et in posteros propagata et conservata, quæ cum ab omnibus agnosceretur, non opus fuerat, ut Moyses eam expressè, quasi ignotam doctrinam doceret. Revera sine hac notione plura in Veteris Testamenti libris nec intelligi nec explicari possent. Ut cum dixit Deus Caino: *Nonne si benè egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Gen. IV. 7. (sive contra te consurget), quidnam hæc verba significassent absque expectatione futuræ vitæ, cum Abel justus frustratus omni spe interiisset, Cain verò homicida in annos centenos prosperè vixisset? Ut ergo Dei justitia servetur, ac in tuto sit divina sententia, primis hominibus notam planè fuisse animorum immortalitatem dicendum est. 2. Ipsemet Deus hæc ait Abrahamo Gen. XV. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*. At quid magni fuisset hæc merces coarctata huic vitæ? Quid ei profuisset magna quæ ipsi promittebatur posteritas? 3. Cura sepulturæ, ac illæ dicendi formulæ «*Dormivit cum patribus suis*» *Appositus est ad patres suos*: futuræ vitæ spem aperte significant. 4. Jacob jam jam moriturus Geneseos XLIX. clamabat « *Salutare tuum expectabo, Domine:.. ego congregor ad populum meum, sepelite me cum*

patribus meis . . . et appositus est ad populum suum. 5. Idem Jacob, audita Josephi morte lugens clamabat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* et quomodo ad filium in sepulcrum descendisset, quem a fera devoratum censebat? 6. Joseph moriturus fratribus ajebat: *Post mortem meam Deus visitabit vos... asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* At quid intererat id Josepho, si absque ulla spe periisset? 7. Psal. cxv. habetur: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Et alibi: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quæ quid aliud quam futuram felicitatem spectant? Et Psal. LXI. 12. *Tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua;* quod nisi in altera vita esse possit. Hinc Balaam clamabat Numer. XXIII. 10. *Moriatur anima mea morte justorum et fiant novissima mea horum similia.* 8. Job quoque ajebat c. XIII. 15. *Etiamsi Deus occiderit me, in ipso sperabo.* Ita scribitur Prov. XIV. 4. *Sperat autem justus in morte sua.* At quid sperat, si anima non amplius vivit? 9. Sed quid hebræi crederent de re hac, ostendit Saul, qui (Reg. 1. c. 28.) suscitare sibi fecit Samuelem, qui ei dixit: *Quare inquietasti me, ut suscitarer?.. Cras autem tu et filii tui mecum eritis.* Parum hic refert, an revera Samuel suscitatus sit, cum de sententia, non de facto sit disputatio. 10. Denique, ut plura omittamus, quæ videri possunt apud Guénée (*Lettres de quelques Juifs a M. de Voltaire T.* 2. *Lett.* 4.) rem declarat Christi responsio ad Sadducæos Matth. XXII. *Non legistis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

ARTICULUS IV.

DE ANIMORUM IMMORTALITATE EORUNDEMQUE ORIGINE.

XXI. Dogma de perennitate Animæ, quod profitemur in postremo Symboli articulo: *Credo ... vitam æternam*; fundamentum esse Christianæ Religionis, noverunt increduli, qui cum videant, hanc doctrinam omnium firmari consensu, et invictè ab ipsa ratione suaderi, se in desperationem conjiciunt, nihilque intentatum reliquere, quo, si fieri posset, hanc obscurarent veritatem. Incassum tamen laborarunt, cum inde potius splendidius eluxerit. Et Baylius quidem, Lockius aliique insinuare conati sunt, ex animi spiritualitate non evinci eum esse immortalem; nam res creatæ, ajunt, tandiu vivunt, quandiu eas vivere Deus vult. Sed quousque id velit, scire nequimus, nisi Deus revelet; ut argumentis a ratione petitis id nequeat ostendi. Sed plura hîc adversarii miscent, quæ discernenda sunt. Et 1. fatemur ex animæ incorporea natura non evinci, eam semper duraturam; ac demonstrari tantum, in corporis morte eam non dissolvi, aut evanescere, vel in nihilum redigi, nisi Deus velit. Verum contendimus, nobis compertum esse tum rationis lumine tum aperta Dei revelatione, illam destruere Deum nolle. Nam Dei voluntas etsi non omnis, at certe ex parte nobis innotescit non manifesta tantum revelatione, sed et ratione ipsa naturali; cum revelatio et ratio sint duo quasi radii ejusdem Luminis Dei æterni, ut vulgatum sit et *natu-*

ræ via et *via prophetiæ* Deum nos alloqui; ut hinc S. Augustinus veros philosophos *Vates naturæ* eleganter dixerit. Inter ea, quæ nobis Deus patefecit naturæ lumine, recensentur ipsius providentia et Justitia, Lex naturalis, Amor ordinis tum moralis tum physici, rerum conservatio et in statutos fines deductio. In his et aliis liquidò voluntatem Dei cognoscimus, inter quæ ipsa Animæ immortalitas est recensenda. Nam illam Deus non modo simplicem condidit et viventem ac intelligentem sed et æternitatis cupidam. Sunt quoque in mente humana facultates quæ in infinitum feruntur, ut intelligentia, voluntas, prævidentia, de quibus in brutis vestigium nullum apparet. At cum nihil inutile Deus moliatur, si æterni desiderium homini impertitus est, certè minimè frustraneum illud est agnoscendum.

XXII. Deinde cum sit Deus et justus et sapiens, ac nostrum curam gerat: sæpe verò contingat, ut scelesti felices vivant, probi ærumnis affecti decedant nullo consecuto virtutis præmio: aut dicendum foret, Deum nec justitiam colere, nec ullam virtutis aut improbitatis rationem gerere, quæ impia et absurda sunt: Aut superesse alteram vitam in qua omnibus ad justam lancem rependantur omnia, ne aut insignis improbitas sine pœna, aut magna virtus sine præmio maneat. Necesse est ergo, animos corporibus superesse, idque ex rationis lumine manifestè ostenditur. 3. Idem constituitur ex omnium hominum omniumque temporum consensione cujus cum nullum inveniatur initium, in ipso mundi exordio eam doctrinam cognitam et hominibus a Deo traditam tenendum est. Scriptores vetustiores in hoc mirè consentientes habemus, quod ex Homero patet,

ut cum Ulysses ad tartara descendit, ibique Achillis aliorumque heroum animas invenit et alloquitur. Iliadis quoque L. xxiii. Achilles phantasmate Patrocli excitatus exclamat:

Ω ποποι, η ρα τις εστι και ειν αιδαο δομοισι
Ψυχη, και ειδωλον, αταρ φρενος ουκ ενι παμπαν.

Papæ! Certe igitur aliqua est et in Orci ædibus
Anima et idolum, sed præcordia non insunt omnino.

Hinc et Pythagoras apud Ovidium Metamorph. l. xv. concionabatur:

Morte carent Animæ . . . . . .

Et Virgilius l. vi. Æneid. v. 264. inducit Æneam invocantem averni deos:

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes.

Jure Tullius igitur l. 1. Tuscul. QQ. n. 29. ex omnium veterum sententia statuit « Duplices esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium: Nam qui se humanis vitiis contaminavissent, et se totos libidinibus dedissent... iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio deorum. Qui autem se integros castosque servassent... essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum; his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.

XXIII. Verum ne homines vitiis et erroribus depravati sancta hæc dogmata unquam obliviscerentur, Deo placuit sæpius ea in memoriam hominibus revocare, ac futurum se justissimum remuneratorem commonere. Licet enim esset hæc communis et vetusta hebraici populi persuasio, ut vidimus, ab ipso Deo accepta, Salomon tamen *in Ecclesiaste c.* xii. ea palam profiteri, et

prædicare singulis non cessabat: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis ... quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ ... et ... antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum ... Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit*. Hæc erat sapientis Regis doctrina, quam a Deo et a majoribus acceperat; ut mente capti sint oportet, qui eam doctrinam veteribus hebræis eripere gestiunt. Sed inter alia, quæ id confirmant, legendus *Liber Sapientiæ Salomonis*, ubi c. 3. habetur: *Justorum Animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori ... illi autem sunt in pace*. Et c. v. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*. Consulatur contextus. An ne græci talia unquam locuti sunt? Videatur et Isaias c. XIV. 9. et c. XXXIII. 14. At in Novo Testamento eadem dogmata et asseruntur et confirmantur; ut Joan. XII 25. ajebat Christus: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Et Matth. x. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ...* Lucæ verò c. XVI. refert historiam Lazari qui lætabatur in Sinu Abrahæ, et epulonis qui cruciabatur in flamma: et Cap. XXIII. 43. pollicebatur latroni poenitenti post mortem ipsa die secum in paradiso futurum; ut alia multa prætereamus.

XXIV. His adeo claris et manifestis plura opponere materiarii cum Delisleo *in philosophia naturæ* moliun-

tur. Et 1. Levitici XVII. ait Moyses: *Anima omnis carnis in sanguine est*. Non ergo immortalia. 2. Moyses in toto Pentateucho nullibi docet, animam esse immortalem. 3. Salomon Eccl. 8. 19. ait: *Unus interitus est hominum et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius... De terra facta sunt et in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* 4. Sap. 2. 2. ait rursus: *Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus*: quæ licet ex ore impiorum dicta sint, Salomon tamen ea non refutat, aut paucis respondet. 5. Apostolus denique ad Timoth. VI. 16. clarè affirmat, quod *Deus solus habet immortalitatem*; in quo Patres non pauci conveniunt. Sed hæc impudenter jactata facile exsufflantur. Nam ad 1. Moyses ibi apertè loquitur de vita animali et corporea a sanguine pendente, ut ibi vita et anima idem sint: quo sensu ait Apostolus Act. 20. *Nec facio animam meam pretiosiorem quam me*. At ibi sermo non est de anima immateriali, quæ ad motus spontaneos in animantibus necessaria est, et quam in hominibus superesse post obitum Moyses cæterique supponunt ac tenent. Ad 2. itaque, verum est, nullibi Moysem præcepisse ut crederetur immortalitas animorum; sed nec id præcipere oportebat, cum esset communis doctrina in dubium a nemine revocata. Tunc enim exorti non fuerant aut epicurei aut elveziani; ac inopportunum fuisset ea docere, de quibus ambigebat nemo. Lex data fuerat ad civilem et ritualem ordinem

in hebræorum republica constituendum, non ad legem naturalem ac theoreticam tradendam Religionis partem, quam omnes satis noverant ac profitebantur. At fatetur Delisleus, hebræos undique circumdatos fuisse populis, qui hoc dogma tenebant a Phoenicibus, Chaldæis, Ægyptiis, Arabibus etc. cur ergo non et hebræi, qui inter ægyptios tot annis commorati fuerant? Quare inter superstitiones alias, quas ex Dei mandato populus fugere debuerat, præcipitur Deut. XVIII. 4. *Nec inveniatur in te . . . qui quærat a mortuis veritatem*; quod a vicinis frequentabatur. At non interrogantur, qui non creduntur extare. Communis erat itaque persuasio de præexistentia animorum, quam hic Moyses non tollit, dum illam amovet superstitionem, quam, inquit: *Dominus abominatur*, idque jure ac meritò.

XXV. Ad 3. Quod attinet ad Salomonem, ipse quidem refert primo, quid sibi in mentem venerit, dum affectibus exagitatus in voluptates pertrahebatur, at animi perturbati errores subinde corrigit, Dei providentiam considerat et animæ immortalitatem, et Ecclesiast. c. V. ita homines cohortatur: *Neque dicas coram Angelo: non est providentia, ne forte iratus Deus . . . dissipet cuncta opera manuum tuarum*. Et c. XI. 9. *Scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium:* et alia supra allata N. XXIII. Ad 4. Quæ ex c. 2. Sapientiæ adducuntur, satis ab initio refutantur cum dicitur: *Dixerunt impii cogitantes apud se non rectè;* qui dein toto libro revincuntur, ubi præclara de Deo retributore in altera vita habentur, ut c. V. *Tunc stabunt justi in magna constantia . . . Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam . . .*

Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei! Ad 5. Quod Apostolus de immutabilitate Dei loquatur, clarum est; cujus immortalitas est immunitas a quacumque successione ac vicissitudine, quod nulli convenit creaturæ, licet Spiritus semper perseveraturi sint. Hoc in sensu vox *immortalitas* accipitur a Justino, Hilario etc. Et cum Tertullianus spiritum hominis *corpus* appellat, notum est, eo nomine quamlibet substantiam significare etiam incorpoream, ut per eum corpus nihilo opponatur.

XXVI. De errore, seu potius de blasphemia pantheistarum circa Animi naturam hîc nonnulla dicenda sunt. Hi cum Stoicis et Manichæis Animam divinæ substantiæ partem aut scintillam voluere; quod tum a ratione, tum a Scripturis sanctis abhorret. In idem recidunt, qui animas per emanationem a Deo fluere stulte opinati sunt, cui errori Virgilius adhæsisse videtur Æned. VI. v. 724. et Georg. IV. v. 222. ubi ait:

. . . . Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

At divina essentia immutabilis est, anima verò continuis vicissitudinibus subjicitur cogitationum et voluntatum, ut Dei substantia esse nequeat. Sed in Scripturis Animus a Deo datus dicitur, et Dei cogitationes longè a nostris remotæ affirmantur; quin et homo Gen. I. ad imaginem Dei creatus dicitur. Quod verò ait Apostolus Actor. XVII. 28. afferens Arati verba: *Αυτου γαρ και γενος εσμεν*: *Ipsius enim et genus sumus*: Et quod Gen. I. referatur, spirasse Deum *in faciem hominis*

spiraculum vitæ; hanc a Deo emanationem minimè evincunt. Nam Apostolus, ut ex contextu liquet, significare voluit, nos esse Dei genus, eo quod a Deo conditi simus; sicut *spiraculum vitæ* non denotat emanationem a Dei substantia, sed tropicè hic halitus omnipotentem Dei operationem designat, per quam animæ singulæ a Deo creantur et corporibus uniuntur. Sed jam hic error abundè refutatur in Opere *De Rebus Divinis* a N. XXXI. et deinceps.

XXVII. Quantum itaque ad humanæ Animæ creationem, certum est, eam extra corpus non creari. Nam error fuit Priscillianistarum, qui Origeni etiam tribuitur, omnes nempe animas ab initio fuisse conditas et ob patrata crimina in corpora veluti in carcerem detrusas. At hi a sacris Literis redarguuntur; ut ad Rom. c. IX. ubi de Jacob et Esau dicitur: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali etc.* Et Zachar. XII. *Dominus fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo.* In singulis ergo anima a Deo creatur. Quod ergo habetur Sapien. VIII. 19. *Puer eram ingeniosus et sortitus sum animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: non animarum denotat præexistentiam; sed ait Salomon, quod puer fuerit optimæ indolis, et ex Dei dono castè vixerit in corpore a vitiis naturalibus libero. Quanquam si bona erat illius anima, falsum est Origenistarum systema. S. Augustinus illa explicabat de Filio Dei homine facto, cujus Salomon nobilem typum gessit.

ARTICULUS V.

DE HUMANORUM CORPORUM RESURRECTIONE.

XXVIII. Philosophi nobiliores Animorum quidem perennitatem docuerunt; at verò de illorum post mortem statu humana prorsus et absurda dicebant, quæque a revelata veritate omnino abhorrent. Quendam enim circulum et revolutionem animarum commenti sunt, quam μετεμψυχωσιν, *metempsychosin*, appellarunt, seu ab uno in aliud corpus transitum, quem omnium primus Pythagoras prædicavit, nisi ab ægyptiis illum mutuatus sit, ut alii volunt. Plato etiam idem ferme docere videtur in *Phædro*, in *Timæo*, et alibi. Quidam ex ejus discipulis non hanc solum *transanimationem* tuentur, sed et animarum reditum ad astra, ubi exacto anno magno sint æternum mansuræ. De hac metempsychosi Virgilius L. VI. v. 746. canebat:

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores, supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Ovidius verò Pythagoram ita disserentem inducit *Metamorph. l. XV. v.* 158.

Morte carent Animæ; semperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ,
Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ:

Nempe Menelai. Pythagorici ergo docebant, animas a mundi initio conditas esse, quæ ex homine in hominem, et in belluas quoque ac in plantas pro meritis vel demeritis transmigrarent; quod et Stoici, et Brachmanes Indi sensere.

XXIX. At his apertè adversatur Catholicæ Ecclesiæ doctrina. Hinc Apostolus exclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*; ac desiderium habebat, *dissolvi et esse cum Christo*; quod vanum fuisset, si debuisset necessario ad alia corpora commigrare. S. Irenæus l. 2. c. 35. id ex eo ostendebat, quia si anima in aliud transiret corpus, reminisceretur præteritorum, quod non fit. Nam dicere quod omnium obliviscatur, nullo fundamento nititur; imo æquum esset, ut eorum recordaretur, ob quæ puniatur. Sed hæc absurda non paucis ex veteribus gentilibus displicuerunt. Ineptum vero est, quod proferunt ex Scripturis ut hanc transmigrationem propugnent; ex g. quod habetur Matth. xi. de Joanne Baptista in quem revolutus esset Spiritus Eliæ: *Ipse est Elias*: Aut quod proferunt ex Psal. 146. ubi dicitur Deus escam præbere *pullis corvorum invocantibus eum*; quasi in eos spiritus humani revoluti sint. Et quidem Joannes ipse Jo. I. 21. interrogatus a Levitis, num esset Elias, respondit, *Non sum*; qui certè Elias dictus est, non juxta personæ proprietatem, sed quia in illo propheta præfiguratus fuerat. Pulli autem corvorum dicuntur Deum invocare metaphoricè, non propriè ut rationales creaturæ. Quare hîc Dei providentia commendatur, non adstruitur metempsychosis.

XXX. Rejectis igitur fabulis, ad catholica dogmata

deveniamus. Est itaque Ecclesiæ constans et perpetua doctrina, non modo hominum animas superesse corporibus, sed et aliquando futurum ut defunctorum corpora resurgant, suisque animabus rursus conjungantur, ac perpetuò unita consistant; quæ resurrectio definitur a S. Thoma l. 4. *contra Gentes* c. 79. « Animæ cum corpore iterata conjunctio » Et quidem hanc futuram Resurrectionem dogma est præcipuum Christianæ fidei, ut Apostolus ostendit 1. Cor. cap. xv. At cum huic dogmati et olim gentiles, ac Sadducæi, et nostris temporibus non pauci ex Socinianis adversentur, oportet, ut accurate illud pertractetur. Hinc tria sunt demonstranda. I. Possibilem esse hanc corporum resurrectionem. II. Eam fore aliquando futuram. III. Non tantum pios, ut Sociniani volunt, sed impios etiam homines surrecturos, qui non in nihilum, ut cupiunt, redigentur. Et prior quidem propositio triplici argumentorum genere ostenditur, ratione, Revelatione divina, gentium historia et consensu. Et ratione quidem possibilis hæc resurrectio probatur, si demonstretur qua ratione fieri possit. Modo nulla materiæ pars in nihilum redigitur, ut constat; ac ut explicetur quomodo ea corpora ad pristinum statum redeant, sufficit quod scientia adsit, quæ has partes cognoscat ac distinguat, et tanta potentia quæ eas ad eandem compagem restituat: Utrumque in Deo est, qui est omniscius ac omnipotens: sequitur ergo, id fieri posse. Cum verò non idem tantum corpus sed et idem homo resurgat oporteat; id fiet, si eadem anima cum eadem cogitationum serie ac sui conscientia suo corpori uniatur; ex quo hominis identitas exurgit. Ita cum post longum somnum aut phrene-

sim nobis veterum cogitationum conscii sumus, non dubitamus quin iidem simus; ita etiam cum post sæcula plura nos Deus suscitabit, de nostra identitate certi erimus. Hoc verò facta ipsa testantur. Nam scimus ex div. Literis, plures suscitatos esse, uti viduæ filium, aut Lazarum a Christo Domino, imo et ipsum Dominum surrexisse, de quibus dubitari nequit; ex facto itaque potentia luculentissime comprobatur. Demum id confirmatur gentium consensione, qua usi sunt veteres Patres. Nam hanc futuram resurrectionem credebant ægyptii, ut notum est. Stoicorum hanc fuisse sententiam probat Origenes *contra Celsum* l. v. Hodie quoque Muhammedani, Indi, Tartari, Sinenses aliique idem sentiunt, inter quos viri sapientes, qui et quosdam resurrexisse scribunt, ut Plato, Plutarchus, Heraclides Ponticus, ut apud Grotium videre est: *De verit. Relig. Christ.* l. 2. §. 7. Itaque Plato suos libros *de Republica* claudit historiam narrando cujusdam Eri Pamphili, quem fama erat post decem dies a mortuis surrexisse; quæ seu vera seu falsa, ab ea sententia eruditos non abhorruisse declarant. Ea de re libet audire Virgilium, qui l. vi. v. 720. Æneam inducit ita in Elysiis Anchisen interrogantem:

O Pater, anne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido!

XXXI. Sed, num aliquid solidi adversus hoc dogma veteres Celsus, aut Porphyrius, vel recentes Spinosa, Collins, Burnet, aut Woost protulere? Minime. Corpora humana, inquiunt, continuo perspiratione et evacuatione, vel nutritione mutantur, ut nunquam in

eodem statu maneant. Quo ergo in statu resurgent? Cujusnam temporis præmii aut pœnæ participes erunt? 2. Ea corpora soluta in escam aliorum animantium transeunt, et hinc in hominum alimentum; cujus erunt igitur partes istæ 3. Addit Wegscheiderus: hoc corpus restitutum quid faciet ad expectandum præmium vel pœnam, cum nec peccare, nec malè agere potuerit. Quæ sanè futilia habenda sunt: Ut enim diximus, Deo nec scientia deest, nec potentia, ut corporum partes iterum secernere et compaginare valeat. Quod opponitur de successivis corporum statibus, probat corpora non surrectura in eadem metaphysica identitate, quod non impedit, quin ea servetur identitas physica, quæ satis est: Ut enim habet S. Thomas c. Gentes l. 4. c. 81. Non erit idem corpus secundum materiam, sed secundum speciem et formam. Hinc concludit: Non requiritur ad hoc, quod resurgat homo idem numero, quod quidquid fuerit materialiter in eo secundum totum tempus vitæ suæ, resumatur; sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitæ quantitatis; et præcipuè illud resumendum videtur, quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens. Hinc patet ad 2. responsio ad argumentum scilicet ab anthropophagis petitum, quod facile solvitur. Ad 3. Ineptit Wegscheiderus cum ea profert; non enim corpus resurget præcisè ut cum anima præmio afficiatur aut pœna, quasi ipsum non anima bene aut male egerit; sed quia id postulat ordo rerum a Deo statutus; nam ut habet S. Thomas c. *Gentes L. 4. c. 79.* « Anima corpori naturaliter unitur ... est igitur contra naturam animæ absque corpore esse: Nihil autem quod est contra naturam

potest esse perpetuum; non erit ergo perpetuo anima absque corpore ».

XXXII. Alia proferunt ex naturali ratione, et 1. Quod juxta naturæ ordinem, a privatione ad habitum non datur regressus; ergo nec ad vitam. 2. Qui infantes aut abortivi moriuntur, quomodo resurgent in perfecta ætate? Gigantes vero an dimittent sui corporis partem? 3. Si quotquot vixere aut vivent sua corpora sunt resumpturi; undenam tanta reperietur materiæ massa ad tot myriades corporum reformandas? Quæ omnia parum urgent. Nam ad 1. si viribus naturæ a privatione ad habitum non fit regressus; at certe divina potentia nullo negotio fieri potest. Sed et hoc axioma in multis fallit: Nec requiritur, ut hæc resurrectio naturali ratione demonstretur; verum sufficit, ut ostendatur rationis lumini non repugnare; et a Fide acceptum, illud, ut par est, teneatur. Ad 2. respondebat Augustinus l. xxii. de Civ. D. Infantes non in ea surrecturos corporis exiguitate qua decesserunt; at divinæ omnipotentiæ beneficio eam habituros molem, quæ si adolevissent eis erat accessura. Quantum ad gigantes, respondet, electos maximè non surrecturos cum aliqua corporis deformitate, sed in eadem carnis substantia sublatis nævis omnibus et membrorum defectibus « Nulla erit deformitas, ait, ... quæ parva sunt, corrigentur, et quod majus est, quam decet, materiæ, servata integritate, detrahetur » Apparebunt tamen vulnera et cicatrices in Martyribus « Non enim, ait, deformitas in eis sed dignitas erit, et quædam ... virtutis pulcritudo fulgebit » Ad 3. Illud argumentum plane nullum est, cum juxta philosophos nulla materiæ pars in morte ad

nihilum redigatur. Verum facta supputatione, quod octingenti hominum milliones terræ globum perpetuo incolant, et quatuor etiam generationes quolibet sæculo renoventur, adhuc tot corpora integra, Deo jubente, ad vitam revocari poterunt; etiamsi universalis resurrectio ad tercenta annorum millia protraheretur, et sola consideretur terræ superficies pro horum hominum regeneratione.

XXXIII. Altera modo propositio est demonstranda, quod nempe hæc resurrectio sit revera aliquando futura; eaque tum ex Veteri tum ex Novo Testamento ostenditur. Et primo venit illud Jobi c. XIX. 25. *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum etc.* Cui concordat Daniel c. XII. 2. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.* Hic *multi* positum est pro omnibus stilo Scripturarum. Locum hunc de resurrectione accipit ipse Spinosa, quamvis eum a pharisæis velit adversus Sadducæos fuisse additum, quod temere prorsus sibi confingit, uti ostendimus, ubi de Bibliorum integritate. Perperam Grotius quoque vim infert his verbis, cum vult intelligi de judæorum reditu a captivitate. Tertius locus insignis petitur ex L. 2 Machabæorum c. XII. ubi *Judas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans* etc. Quod antiquum fuisse dogma apud hæbræos testantur quæ ajebant fratres Machabæi impio regi Cap. VII. quorum secundus habet: *Rex mundi defunctos nos pro suis Legibus in æternæ vitæ resurrectione su-*

scitabit: Eadem ferme tertius et quartus frater, quæ antiquam hebræorum fidem confirmant. Hæc autem clariora etiam in Novo Testamento habentur, ut Joannis C. XI. dicente Christo: *Resurget frater tuus: Respondit ei Matha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Sed decretoria est Christi doctrina Jo. v. 28. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Itaque Matth. XXII. 29. ait Sadducæis: *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur... De resurrectione autem mortuorum non legistis?* etc. Hinc Apostolus 2. ad Timoth. C. 2. quosdam redarguebat, quos recentes nonnulli imitantur, qui ea loca de resurrectione spiritali interpretabantur, qua a morte peccati resurgimus in novam vitam et in possessione virtutis, quam nemo possit eripere. Tales erant Hymenæus et Philetus, quos reprehendit inquiens: *Ex quibus est Hymenæus et Philetus qui a veritate exciderunt dicentes, resurrectionem esse jam factam et subverterunt quorundam fidem.* Subvertitur ergo fides Christi allata verba literali sensu non accipiendo. Quare Apostolus Actorum XXIV. 15. coram Felice præside profitebatur, credi a se, *resurrectionem futuram justorum et iniquorum;* quod fusius in sequenti Articulo demonstrabitur.

ARTICULUS VI.

DE UNIVERSALI OMNIUM HOMINUM RESURRECTIONE.

XXXIV. Tertia superest propositio demonstranda supra N. xxx. recensita, nempe quotquot unquam homines fuerint, sunt, aut erunt, cum pios, tum impios; tum credentes, tum infideles rursus resurrecturos, quod Sociniani quidam inficiari pergunt, qui impios non resurrecturos ajunt, nec aliam pœnam habituros, quam ut in nihilum redigantur. Contra quos Matthæi C. xxv. exhibetur judicium piorum et iniquorum, diciturque: *Congregabuntur ante eum omnes gentes . . . et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.* Et confecto judicio concluditur: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Reponunt sociniani, impiorum nomine hic eos intelligi, qui tempore judicii vivi reperientur; quæ exceptio Evangelicæ narrationi repugnat, et arbitraria prorsus est, cum ibi de iis agatur qui legem vel observarunt, vel violarunt; ita ut de omnibus omnino causa agenda sit. 2. Id ostenditur ex Apostolo 2. ad Cor. c. v. 10. ubi ait. *Oportet enim omnes nos manifestari ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum;* Ergo et improbi. Sed et Matth. xix. 28. inquit Christus discipulis: *Vos qui secuti estis me, in Regeneratione* (gr. εν τῃ παλιγγενεσια, in palingenesia) *sedebitis et vos judicantes*. 3. Apostolus in Areopago *Actorum c. XVII.* præ-

dicabat: *Deus annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate*. Tandem hæc est fides catholica, quam in omnibus symbolis profitemur « Credo Carnis resurrectionem » Dictum est autem non *Corporis*, sed *Carnis*, eo quod hæc designet pressius speciem nostri corporis peculiarem; et hoc vocabulo error rejicitur Origenistarum opinantium, non Carnem hanc suscitandam, sed corpus aëreum sumendum ac alterius naturæ; quæ non esset resurrectio, cujus ratio postulat, ut illud suscitetur, quod morte cecidit. Hinc a Damasceno l 4. c. 2. ea definitur « Nova ejusdem corporis quod ceciderat suscitatio » Patres itaque communi consensu hanc doctrinam testati sunt, ut Polycarpus *apud Eusebium l. 9. H. E.* c. 15. Justinus M. *in Apologia Secunda*, Athenagoras et Tertullianus, qui de hoc argumento scripsere, et cuncti cæteri. Constat ergo de hujus dogmatis veritate. Nec objiciatur Chrysostomus, quasi asseruerit, hoc Mysterium ignotum hebræis fuisse; Nam ut alibi declarat, vult tantum non adeo claram de hac resurrectione factam illis fuisse manifestationem, uti facta in Evangelio est; at non negat, obscurè saltem eis fuisse revelatam. Hinc etiam hodie communis est apud hebræos resurrectionis fides, ut pro hæreticis habeant, qui eam inficiari audent.

XXXV. Volunt Sociniani, celebre illud Jobi c. 19. *De terra surrecturus sum*; non de Carnis resurrectione dictum esse, at de corporis sui sanitate. Nam, ajunt, liberatio ab hujus vitæ ærumnis in Scripturis resurrectio appellatur, ut Isaiæ XXVI. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, et laudate, qui*

habitatis in pulvere ... Et Ezechielis c. xxxvii. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, popule meus; et scietis quia ego Dominus, cum dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis*. Quæ de populi liberatione a captivitate dicta sunt. Quare Jobi textum hebræi contra Sadducæos non afferebant, præsertim cum in hebræo textu sensum alium præseferat. Sed respondemus, quod licet Sociniani et qui eis favent cum Rabbinis nonnullis ita velint; At verum illius loci sensum vindicant viri eruditi nobilissimi et gnari hebraici idiomatis etiam inter heterodoxos, ut Spanhemius, Polus, Munsterus aliique. Et meritò quidem; Nam præter communem Patrum consensum, qui, ut S. Clemens Romanus Epist. ad Corinth. n. 26., ipsos Apostolos habuere magistros, id ex ipso contextu patet. Et sane non de suæ cutis restitutione tantum, aut sanitatis, quæ res vulgaris fuisset; at verò de sublimi aliquo mysterio, deque ipsa suæ carnis suscitatione in novissimo die sanctum Virum habere sermonem, apertè antecedentia verba ostendunt: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo?* Quid etiam sibi vult emphatica illa locutio? *Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius etc.* Quæ ad ejus sanitatem certè applicari nequeunt, sed optime corporis significant resurrectionem. Verum est, Job sanitatem obtinuisse, at illam insperatò obtinuit, qui putabat se jamjam moriturum, ut ait paulo post c. xxx. 23. ita Deum alloquens: *Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi*. De alia ergo redemptione corporisque restitutione loquitur Job, cum ait: *Scio quod Redem-*

ptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum etc. Rectè ergo Patres de universali resurrectione ea intelligunt, ut Augustinus l. xxii. de Civ. d. c. 29. scribat « Job, sicut in exemplaribus, quae in hebraeo sunt, invenitur, resurrectionem Carnis sine dubio prophetavit ».

XXXVI. Cætera quoque facilè enodantur. Nam dato etiam loca parallela ex Isaia et Ezechiele producta significasse restitutionem Regni Judæ sub resurgentium ossium imagine, quod nisi violenter fieri posset; inde semper educitur, hanc etiam futuram resurrectionem; ut enim hic habet Hieronymus «Nunquam poneretur similitudo Resurrectionis ad restitutionem Israëlitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur; quia nemo ex rebus non extantibus incerta confirmat ». Cur verò contra Sadducæos hæc testimonia allata non sint, in causa fuit, ut notant Patres, quod illi rejectis Prophetis solum Pentateuchum reciperent, ut Vossius etiam et alii eruditi ostendunt contra Jo. Clericum; ut vere Hieronymus in c. xxii. Matthæi scripserit, quod « Sadducæi quinque tantum libros Moysis recipiebant, Prophetarum vaticinia respuentes ». Nec mirum sit, hebræos nostram respuere interpretationem; nam cum ibi Redemptoris quoque resurrectio prænuncietur, ne hanc cogantur fateri, sic et illam rejiciunt. Ad id quod postremo loco opponitur, licet Jobi verba: *Scio quod Redemptor meus vivit:* hanc aliam patiatur interpretationem «Et post hæc fore, ut supra pulverem stet Redemptor meus » Aut hanc potius « Scio, quod Redemptor meus novissimo surget super pulverem » Quæ Redemptoris resurrectionem facile designant, qui auctor est

resurrectionis omnium; hæc verba, inquam, nostræ minimè opponuntur expositioni; præcipuè cum nostri argumenti vis stet in verbis sequentibus: *Et rursum circundabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse . . . reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Unde inferebat Seb. Munsterus « Apertè hic adstruitur resurrectio mortuorum » Consulantur præ cæteris cl. Berti *de Theol. Discip. l. XXII.* c. VII. et Gazzaniga T. VI. diss. IV. c. 3. Cur ergo, instant adversarii, ipse Jobus c. XIV. 12 ajebat? *Homo cum dormierit non resurget: donec atteratur cælum non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Quia nempe ea dicebat Job de præsenti tempore quod fluit usque ad mundi finem, quando omnium resurrectio fiet. Hinc rectè ait id non eventurum, *donec atteratur cælum,* quod in mundi fine continget, quando fient cæli novi et terra nova. Eodem in sensu dicitur Psal. LXXVII. 39. hominis anima *spiritus vadens et non rediens;* et Sap. XVI. 14. *Cum exierit spiritus non revertetur;* donec scilicet *canet turba et mortui resurgent*, ut ait Apostolus.

XXXVII. Sociniani alia inutiliter expiscantur in Scripturis, ut impios a resurrectione excludant, ut illud Psal. I. *Non resurgent impii in judicio, nec peccatores in concilio justorum:* tum illud Isaiæ c. XXVI. 14. *Morientes non vivant, gigantes non resurgant*. Et rursus c. XLIII. 17. de impiis ait: *simul obdormierunt, non resurgent.* Machab. quoque 2. c. VII. quartus frater ad tyrannum ajebat: *Tibi resurrectio ad vitam non erit*. Frustra, inquam, hæc obstrudunt, quæ suam rectam subeunt interpretationem; nam Psal. I. *resurgere*

idem est ac justificari, ut sensus sit «impii sub Dei judicio non justificabuntur nec transibunt ad partem justorum». Isaias vero loquitur de resurrectione ad gloriam, de qua loquebatur, ut patet, adolescens ille Machabæus. Duplicem hanc resurrectionem distinguebat Christus Jo. v. cum docebat: *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii*, sive in condemnationem. Quare Apostolus ad Felicem præsidem ajebat Actor. xxiv. 15 *Spem habens in Deum . . . resurrectionem futuram justorum et iniquorum*. Cum ergo ajebat Apost. 1. Cor. xv. 50. *Caro et sanguis regnum Dei obtinere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*: patet intellexisse carnales propensiones et alia mala opera. Ea quoque excludunt Millenariorum errorem, qui post resurrectionem sibi stultè promittebant carnales voluptates, omnesque delicias. Neque corruptio in resurrectione partem est habitura: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, inquit Apostolus ibidem. Nec ex quo resurrectio futura sit singulare Dei beneficium pro justis, sequitur iniquos non esse surrecturos; nam si ex Christi meritis fit resurrectio justorum, iniquorum suscitatio erit opus Christi judicis, ut justè puniantur.

XXXVIII. Ajunt tandem, quod Animæ status sit perfectus cum sejuncta est a corpore, dicente Augustino *De Civ. Dei l. XXII. c.* 27. « Ut beata sit anima omne corpus fugiendum est » Ad quid ergo hæc corporum resurrectio? Cui respondebat olim S. Thomas *in IV. Senten.* « Cæteris paribus perfectiorem esse statum animæ in corpore, quam extra corpus, cum sit

totius compositi pars; unde etiam Christi anima quamvis perfectissima suo tamen corpori iterum uniri voluit. S. Augustinus autem loquitur de corpore terreno et corruptibili; nam observat, perfectiores futuras animas in resurrectione, quia talia recipient corpora *in quibus beati atque immortaliter vivant*.

Sed hîc quæritur, quotuplex sit resurrectio? Et respondetur; Resurrectionem, quæ ανασταϲιϛ (anastasis) græcè dicitur, vel esse *realem*, eaque est regressio mortui ad novam vitam, de qua disputatum est: vel esse *spiritualem et metaphoricam*, eaque est transitus a statu peccati ad statum gratiæ, seu a morte animæ ad ejus vitam per gratiam, de qua Apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*: Et alibi: *Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*: Quæ figurate dicta ad generalem corporum resurrectionem non pertinent, ut dictum est. Rursus resurrectio vel *temporaria* est, ut denuo quis moriatur, sicut in iis contingit, qui a Christo, a Prophetis, et Apostolis excitati sunt: Vel est *perpetua*, qua nempe a morte fit transitus ad immortalitatem, eaque pariter est de qua disputavimus, et de qua ajebat Apostolus: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. Atque hæc est resurrectio, quæ Matth. XIX. 28. *palingenesia*, sive regeneratio dicitur: *Canet enim turba*, ait Apostolus, *et mortui resurgent incorrupti*.

ARTICULUS VII.

DE STATU MORTUORUM ET RESURGENTIUM.

XXXIX. Non negligenda hic est inquisitio, in quonam videlicet naturalis vita animarum a corporibus segregatarum posita sit: Utrum nempe vivant animæ corporibus superstites, et quanam ratione vivant. Vitam in actione aliqua perenni consistere consentiunt omnes. Sed actionum duo tantum genera novimus: motionum corporum, et cogitationum spirituum; quarum priores cum Animæ non conveniant, statuere cogimur, ejus vitam in continua cogitatione locatam esse. Cogitationis autem nomine quælibet perceptiones sunt intelligendæ, desideria, discursus, voluntates, quorum animus conscientiam habeat, ita ut cogitatio aliqua sit animo essentialis, ut vivat. Sed hac in re philosophos divisos habemus. Cartesiani Mentes jugiter cogitare contendunt: At Scholastici non pauci cum vitam et essentiam animi non in actuali cogitatione ponant, sed in quadam proxima dispositione ad cogitandum, ajunt, posse animas remanere, nec interim actu cogitare; qui esset status quidam dormitionis, in quo esse animas usque ad corporum resurrectionem vult Thomas Burnetus, infra refutandus. Ne in hunc errorem labamur, Animum nunquam a cogitando et a se ipso cognoscendo cessare tenendum est; « Cum nihil deduci possit de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu » ut scholasticum axioma fert: Quare si mens posset vel uno instanti a cogitando cessare, jam non amplius posset

suapte vi ad cogitandum assurgere, sed in mortis statu maneret, quod materialismo nimis favet.

XL. At qua ratione animi a corpore sejuncti et quibus de rebus cogitent, non facile est mortalibus definire. Notum est, animos dum in corpore sunt, ideas ope sensuum acquirere; at quomodo a corpore segregati eas habeant, ignoratur. Quidam opinantur, animos cum a crassiore hoc corpore abscesserint, corpusculum aliud tenuius secum ferre, cujus ope externa objecta cognoscant; de qua Caroli Bonneti opinione agetur inferius: Alii in unione cum Deo res cognoscere ajunt; sed hæc erit sors tantum Beatorum, non omnium: suspiciantur alii, Deum jugiter illis ideas rerum pandere, quod de omnibus concedi nequit. Sed licet ratio nostra ad hæc definienda non pertingat; ponendam tamen est, plurimas rerum ideas secum Animas ex hac vita deferre, earumque memoriam et conscientiam: plura etiam cognoscere ex rebus naturalibus, nec non ex aliis spiritibus, præter ea, quæ a Deo ipsis manifestari poterunt, ut nunquam materies cogitandi eis desit. Quæsiere quoque nonnulli, quanam lingua secum colloquantur Animæ separatæ; quod brevi resolvitur, cum eæ non egeant lingua ulla, quæ non vocabula sed perceptiones inter se communicant. Conceptus ergo sibi invicem manifestant, sicut inter se Angeli colloquuntur, voluntate scilicet notiones secum invicem communicantes; nec melius aliquid posse dici videtur. Consulantur quæ dicta sunt De locutione Angelorum *in Op. de Rebus Divinis N.* CCXLIV.

XLI. Ubinam verò animæ singulæ modo degant, quidque eis a corpore sejunctis contingat, nostra refert

maximopere scire. Docet catholica Ecclesia, tria esse loca Animabus separatis assignata, Paradisum, Purgatorium, et Infernum locum. Animæ quæ pœnam omnem peccatis debitam solverint, recta in Paradisum feruntur: Quæ ita in caritate decedunt, ut non omni pœnæ satisfecerint, Purgatorius locus tenet: Eas tandem quæ in lethali peccato moriuntur, in infernum damnatorum detrudi, fide certum est. Hæc tria sunt Catholicæ fidei dogmata. Est alius locus Sinus Abrahæ in Scripturis dictus, in quo sanctorum animæ ante Christi Domini resurrectionem detinebantur. Quintus etiam locus communi fere consensu statuitur, in quo animæ morentur parvulorum sine Baptismo decedentium, vel quae cum solo originali peccato moriuntur, ubi nulla pœna sensus afficiantur, sed æterna priventur beatitudine. De his Receptaculis infra agetur.

XLII. Contra hæc, Novatores nec piorum animas statim a morte abire in Paradisum contendunt, nec animas impiorum in infernum statim detrudi, sed usque ad extremi Judicii diem suspensas hærere et in quodam dormitionis statu detineri. Id nitebatur probare Thomas Burnetus l. *De statu mortuorum et resurgentium*, ubi opinatur, piorum quidem animas in meliore loco et amœniore contineri, impiorum verò in tristiori, tempus expectantes Universalis Judicii. Sed hanc hæresim Ecclesiæ doctrinæ et manifestis Scripturarum testimoniis adversam jam refutavimus in opere *De rebus Divinis N.* LXXVIII. LXXIX. LXXX. ut hîc pluribus opus non sit. Videatur præ cæteris Cl. Muratorius in *Opere De Paradiso contra Burnetum*.

XLIII. Ut igitur ad mortuorum resurrectionem re-

vertamur, sciendum est, inter errores Origenis recenseri, quod docuerit, animas non amplius propriis copulandas esse corporibus, sed aliis diversis a Deo creatis pro meritorum diversitate. Eutychius Patriarcha Cpolitanus Sæc. VI. edito libro errorem hunc renovavit, docens, corpora nostra futura alterius generis ac modo sunt, et subtiliora atque aere puriora. Eum refutavit S. Gregorius M. ut ipse memorat *l. XIV. Moralium c.* 56. coram Imp. Tiberio Constantino qui eum librum combussit, et Eutychius ipse resipuit. Anabaptistæ Sæc. XVI. et ipsi resurrectionem non in eadem carne volebant quam nunc habemus, quibus hæretici non pauci adhæsere. Leibnitius quoque, juxta platonicorum opinionem vult esse in nobis germen aliquod, seu corpus spirituale, quod ab anima nunquam separetur, quodque in resurrectione explicabitur, sicuti germen evolvitur ex quo plantæ nascuntur; ut mors nihil sit aliud quam hujus terrestris corporis separatio, et resurrectio sit illius incorrupti germinis evolutio, cui anima semper unita maneat. Hoc systema a pluribus refutatum, ut a Moshemio, Pfaffio, Muzzarellio, ab aliis heterodoxis arreptum est et illustratum, præ cæteris a Carolo Bonneto in sua *Palingenesia*, et l. *De corporibus organicis*, de quo infra nonnulla dicentur.

XLIV. Interim statuendum est; Homines in Resurrectione non nova aut aliena, sed propria corpora rursum resumpturos fore. Nam 1. hoc Scripturæ passim declarant, ut Jobi XIX. *Rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum*. Apostolus autem 1. Cor. XV. 12. hanc resurrectionem probat exemplo Christi; at ipse proprium corpus resumpsit; ergo et cæ-

teri. Et ibid. habet: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. Et ad Rom. VIII. 11. *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra*. Quæ omnia vera non essent, nisi hæc eadem corpora suscitarentur. Ipsemet Christus Jo. V. ait: *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*. At in monumentis corpora jacent, quæ in terris Animæ possidebant. Idem habet Daniel c. XII. *Qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*. Quæ nisi de ipsomet corpore vera esse nequeunt. 2. Hoc ipsum Patres affirmabant et rationibus ostendebant; et 1. ex nomine ipso; nam ἀνάστασις (*anastasis*) propriè ejusdem rei restitutionem significat, non alterius substitutionem. Hinc Tertullianus *l. V. contra Marcion.* « si resurrectio mortui est; mortuum autem non aliud est, quam corpus, corporis erit resurrectio ». Et Hieron. *contra Jo. Hierosol. n.* 33. « sed et ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari » Idem affirmat Ambrosius l. *de fide resurrectionis* n. 87. Quare S. Thomas in IV. Sent. dist. 44. q. 1. habet « Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat; quia resurrectio est iterata surrectio: Ejusdem autem est surgere cujus est cadere; unde resurrectio magis respicit corpus, quam animam. Et ita si non est idem corpus quod anima resumit, non dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio » Sed alia ratio ex fine desumitur resurrectionis, quem dicit Apostolus 2. Cor. c. V. nempe: *Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*.

XLV. Contra veritatem hanc opponunt illud Apostoli

1. Cor. xv. 42. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione ... seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* generis ergo a nostro diversi. Cui respondebat S. Thomas in hunc locum, « quod corpus justorum resurgentium erit ejusdem naturæ, sed alterius gloriæ » Et S. Augustinus *Enchiridii c.* 91. scribit « Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, onere, difficultate; in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus » Id quidem explicat Apostolus exemplo grani, quod seminatum non vivificatur, nisi prius moriatur: *Deus autem*, inquit, *dat illi corpus*; ut ob id non idem corpus sit. At considerandum est cum eodem S. Thoma, similitudines non in omnibus convenire; quare surget idem corpus numerò, sed habebit aliam qualitatem « Nam induet incorruptionem. In pullulatione autem nec eadem qualitas est, nec idem corpus numerò, sed solum idem specie. In eo verò quod ajunt, homines in resurrectione habituros cælestia et ætherea corpora, aut nulla, eo quod Matth. xxii. dicat Christus futuros *sicut Angeli Dei in Cælo*, aut, ut Lucæ xx. futuros *æquales Angelis*; non adverterunt, ibi a Christo non statui omnimodam inter homines et Angelos comparationem; sed in eo tantum quod nuptiis non erit locus, ut putabant Sadducæi; hinc Dominus respondet: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Quod si Apost. 1. Cor. vi. 13. ait: *Esca ventri, et venter*

escis ; Deus autem et hunc et has destruet : Non ea dicit, quasi Deus sit illa destructurus quantum ad substantiam, sed quantum ad usum et ad effectus; quia in resurrectione homines non bibent, neque comedent, *non esurient*, *neque sitient amplius*. Demum ne plus æquo verba ingeminemus ; nonnullæ phrases a Patribus usurpatæ emolliendæ sunt, ne ea dixisse putemus a quibus maxime abhorrebant; qui si aliquando Beatorum corpus cæleste dixere, dotes gloriosas indicare voluere, non quod idem corpus futurum non sit. Et Augustinus si ea de re olim dubitaverat, omnem postea hæsitationem abjecit.

XLVI. Tandem circa formam qua defunctorum corpora resurgent, dubium minime esse nequit, quin electi resurrecturi sint cum omnibus suis membris et partibus quæ ad eorum perfectionem et ornatum pertinent; Nam per Apostolum ad Philipp. c. 3. 21. *Salvatorem expectamus Dominum N. J. C. qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ*. At Christi corpus omnibus suis partibus constat. Imo Dominus ipse ait Lucæ XXI. 18. *Capillus de capite vestro non peribit*. Quare Augustinus *Serm. XXXI.* interrogabat « Perit manus, ubi non perit pilus ? perit caput, ubi non perit capillus ? » Itaque martyres Machabæi linguæ et manuum restitutionem expectabant (2. *Machab. c. VII*). Ad rem S. Thomas *in Suppl. q.* 80. *a.* 1. animadvertit, quod intestina resurgent in corpore sicut et alia membra, et plena erunt non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humoribus. « In Martyribus cicatrices quidem apparebunt, uti Vulnera apparebant in Christi

corpore a morte excitato, sed nulla erit deformitas in eis, ait Augustinus, sed tamen iisdem membris redditis, non perditis apparebunt ». Capillos et ungues ad custodiam et conservationem natura retinet aliorum membrorum. Non omnes tamen ungues desecti et capilli tonsi restituentur, ut observat idem S. Doctor, quia tunc deforme corpus exurgeret; ut non de longitudine, verum de numero dictum sit: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. Quidam de damnatorum corpore dubitarunt; sed observat S. Thomas *IV. Contra Gentes* c. 89 quod eorum corpora quantum ad id quod naturæ est, integra reparabuntur absque defectu, quem error naturæ aut infirmitas introduxit: Unde Apostolus: *Mortui resurgent incorrupti*: Quod de omnibus dictum est. At eorum corpora non erunt spiritui omnino subjecta, nec agilia erunt. sed potius ponderosa et gravia et animæ importabilia, sicuti animæ per iuobedientiam Deo sunt et fuerant aversæ.

ARTICULUS VIII.

DE MODO, AETATE, TEMPORE AC LOCO RESURRECTIONIS QUAESITA NONNULLA SOLVUNTUR.

XLVII. Veteres quidam, nec non recentes philosophi nonnulli, ut viam et modum exponerent quo Dei sapientia et omnipotentia universalem corporum hominum resurrectionem operatura sit, varia confinxere systemata, quibus abstinere satius fuisset. Quid enim humana figmenta cum Dei operibus commune habere possent? Dei opera omnem humani ingenii aciem fugiunt, ut quanto

curiosius ea quis investigare audet, eo magis in inquirendo deficiat, aut talia proferat, quæ aut Dei sapientiam dedeceant, aut humanam tantum sapiant infirmitatem. Id in ea opinione experimur, qua fingitur, Animas, cum e corporibus egrediuntur, æthereum quoddam, tenue, invisibile et incorruptibile secum deferre corpusculum quo animæ semper vestiantur, et quod sit germen futurum illius corporis visibilis et crassioris, quod in resurrectione iterum sument; ut supra innuimus N. XLIII. Et missis hic platonicis, qui animam certo quodam vehiculo præditam esse putabant, quodque volebant in capite habere sedem, sed quorum systema ad resurrectionem non pertinebat; nonnulli inter veteres Patres fuere, qui opinionem fermè eandem ad hanc resurrectionem aptabant. Inter hos S. Hieronymus *l. adv. Jo. Hierosolym.* referebat Origenem qui systema suum explicabat exemplo plantarum, quæ ex suis seminibus rursus generantur et germinant « Cum autem, ajebat, dies Judicii advenerit, et in voce Archangeli et in novissima tuba tremuerit terra, movebuntur statim semina, et in puncto horæ mortuos germinabunt, non tamen easdem carnes, nec in his formis restituent, quæ fuerunt ». Hanc opinionem rejiciebat quoque S. Augustinus Epist. CLIX. ad Evodium. Has tamen veterum opiniones de corpusculo quodam tenuissimo semper animæ consociato, recentiores quidam philosophi magni nominis inter heterodoxos avidè arripuere, et argumentis etiam theologicis adornare studuerunt, inter quos cel. Leibnitius agmen ducit, qui quamcumque Animam destructo crassiore corpore vult in organico suo invisibili involucro conservari, ita ut generatio non sit nisi incrementum et evolutio illius involucri qua-

si primi corporis staminis. (*) Winclerus, Bilfingerus, et præ cæteris Carolus Bonnetus hoc systema promovere conati sunt. In sua *Palingenesia* Bonnetus præcipue hoc germen seu spirituale corpusculum vult in resurrectione evolvi et explicare sese, uti in seminibus plantarum contingit.

XLVIII. Hæc tamen opinamenta nec philosophicis argumentis nec theologicis defendi possent. Nam primo illud systema tuentur hi philosophi, quod supponant, animas eo invisibili involucro indigere ut queant suas exerere operationes, quasi sine illo organico corpusculo non possent cogitare, nec velle. Quod gratis supponitur. Nam licet hoc commercium vigeat in præsenti statu unionis animæ cum corpore, hoc vinculo soluto animus semper cogitabit, cum cogitatio non sit corporis

(*) Leibnitius tamen in *Systemate Theologico* (de quo in superiori Dissert. N. III.) opinionem suam temperasse videtur; qui difficultatem solvens pro resurrectione corporum desumptam ex anthropophago semper humana carne nutrito, postquam respondit « Non illud ad essentiam cujusvis corporis pertinere, quod ei unquam unitum fuit . . . et si omnia nobis reddenda essent quæ nostra fuere, nos millecuplo et amplius fore majores, quam sumus » Addit: *Itaque dici posset in unoquoque corpore esse quemdam substantiæ florem, cujus natura etiam ex chimicorum placitis illustrari posset, qui inter tot mutationes servetur, et prout nascendo cuique obtigit, semper subsistat, neque aut alimentis augeatur, aut transpiratione minuatur, quanquam in infantibus contractus, in adultis per majorem assumptitiæ et variabilis materiæ massam expandatur. Quod si concedatur et illum dissipari, tamen cum efficacia et virtute quasi seminali, non verò mole valeat, sine aliorum detrimento cuique poterit reddi . . . Verum etiam sine tali hypothesi casus solvi posset . . . satis enim monuimus non omnia cuique reddi, quæ ad corpus ejus unquam pertinuere.*

sed animi operatio. Præterea si corpusculum illud sufficit animæ ut actus suos eliciat, ut quid unitur a Deo cum corpore crassiori, quod impedimentum et gravamen ei afferre potest? Nec exempla valent aut plantarum, aut bruchorum qui in chrysalides et in papiliones transmutantur. Nam plantæ nascuntur eædem quantum ad speciem, non quantum ad identitatem numericam, seu ad eadem individua. Velle autem conferre homines resurgentes cum erucarum metamorphosibus esset nimis demisse de divinis operationibus ac de hominis præstantia sentire. Illa enim animacula sunt admodum imperfecta et paucis organis constant, ut facile restituantur. Sed et in suis transformationibus corpusculum satis visibile secum deferunt, quod transit in status varios: Nec eorum transfiguratio resurrectio est aut dicitur, sed simplex exterioris formæ mutatio. Hanc itaque hypothesim poeticam potius fictionem redolere, quam philosophicam thesim, per se clarum est. Quare ipse Danthes qui ea usus est comparatione, non absolutè, sed *quasi entomata* sive *insecta* nos appellat, *Purgatorii cant. X. Ter.* 42.

Non v' accorgete voi, che noi siam vermi
Nati a formar l' angelica farfalla,
Che vola alla giustizia senza schermi?
Di che l' animo vostro in alto galla?
Voi siete quasi entomata in difetto,
Sì come verme in cui formazion falla.

XLIX. Verum tantum abest ut ea hypotesis, fulcimentum aliquod in sacris literis habere possit, quin potius ex iis facile refutatur. Nam præter ea quæ supra attulimus testimonia N. XLIV. Apocalypsis c. xx. 13. ha-

betur, quod in corporum resurrectione, *Dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant*. Quo significatur, corpora quæ sive in profundo maris dispersa sint, sive in terræ tumulis sepulta, fore surrectura. Non ergo stamina evolvenda erunt, aut ætherea involucra quibus animæ semper vestiuntur; sed corpora quæ deposuere, sunt eis restituenda. Sed et hæc opinio adversatur Articulo Symboli, quo credimus « Carnis resurrectionem » id est hujus corporis quod gerimus restaurationem; quod in ea hypothesi non contingit; nam juxta Bonnetum, Anima semel hoc terrestri corpore veluti quadam larva et indumento exuta non illud amplius assumet, sed ex illo germine præformato aliud corpus æthereum ac spirituale evolvetur, quod in specie omnino diversa ac in aliena forma apparebit, ita ut organa quæ præsenti huic vitæ inserviunt, supprimenda sint, quod Hieronymus inter Origenis errores recenset *l. 2. contra Rufinum c. 12.* scribens « Resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant; quia cessantibus membrorum officiis superflua membra reddantur . . . hæc in Origenis libris ego hæretica doceo ». Demum in Bonneti hypothesi vera mors non amplius hominibus accideret, sed tantum apparens; quod est sacris Scripturis omnino adversum. Solent quidem in hanc rem afferre historiam evangelicam epulonis et Lazari, qui defuncti secum loquebantur, seque mutuo conspiciebant, seque agnoscebant, quod sine quodam corporis simulacro fieri non poterat. Sed hoc exemplum minimè illorum causam juvat, quin potius illorum systemati adversatur. Plus enim probat,

quam ipsi vellent; sequeretur enim non corpusculum tantum tenuissimum sed crassiora etiam membra eos defunctos secum detulisse, qui oculis, auribus, digitis, lingua et corpore reliquo instructi fuissent. Sunt ergo ea dicta humano more, ut aliquid de illo statu intelligeremus. Hinc Augustinus l. VIII. *de Gen. ad Lit.* c. V. Quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille Sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuetè quærentibus, a contentiosè autem certantibus nunquam invenietur « Nihil ergo eis favet adducta narratio.

L. Sed in quanam ætate homines resurrecturi sunt? Respondet S. Thomas *in suppl. q.* 81. *a.* 1. homines in juvenili ætate resurrecturos fore, quod ex illo Apostoli eruitur ad Ephes IV. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei ... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Qui in ætate trigintatrium annorum surrexit, quæ ætas juvenilis et plena censetur. Itaque infantes juxta Augustinum in ea resurgent corporis mole quam habuissent si diutius vixissent: Ait ergo l. XXII. de Civ. d. c. 14. Restat, ut suam recipiat quisque mensuram quam vel habuit in juventute etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante defunctus est « Hæc S. Thomas suadet hac ratione, ibidem: » Homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ; quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem natura vel cum nondum perfectionem ultimam est consecuta, vel cum jam ab ultima perfectione recessit; et primo modo deficit in pueris, secundo in senibus; et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ul-

timæ perfectionis, qui est in juvenili ætate (in qua Adam quoque formatus est), ad quam ætatem terminatur motus augmenti, et in qua incipit motus decrementi ». Nec officit, quod in Scripturis senectus præ juventute laudetur, ut Prov. xvi. 31. *Corona dignitatis senectus*. Et Sap. iv. *Senectus enim venerabilis est*. Nam juxta eundem S. Thomam hæc commendatio non respicit conditionem corporis quod in defectu est, sed refertur ad sapientiam animi, quæ ibi præsumitur inesse ex temporis antiquitate ac experientia. Ita Ecclesiast. xxv. dicitur: *Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei*. Et ibid. habetur: *Tres species odivit anima mea . . . pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum*.

LI. De tempore autem hujus universalis resurrectionis difficillima inquisitio est, de qua disputabitur sequenti Capite, ubi de tempore universalis Judicii et consummationis sæculi. Nam etiamsi Scripturæ sæpius testentur, id eventurum in novissimo die, ut Job xix. *In novissimo die de terra surrecturus sum*. Et Martha Jo. c. xi. de Lazaro fratre suo asseveret: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Quod de omnibus pollicetur Christus Jo. vi. 40. ac præcipue de suis fidelibus. Quod confirmat Apostolus 1. Cor. xv. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti*. At quando hic terminus finis hujus mundi futurus sit inter arcana suæ providentiæ voluit Deus ut delitesceret; adeo ut Dominus dixerit Matth. xxiv. *de die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli Dei in cælo*. Quod verò hanc universalem Resurrectionem tandiu Deus differre voluerit,

causam affert Apostolus *ad Hebræos c. XI.* 39. de justis disserens, scilicet, *ne sine nobis consummarentur*, id est, non perficerentur per iteratam unionem animæ cum corpore, ex qua perfectum individum humanum exurgit. Nec dubitandum, quin tunc majus futurum sit omnium justorum gaudium et exultatio. Testatur autem Hieronymus, judæorum fuisse traditionem noctu, aut diluculo resurrectionem futuram, qua hora certè de Sepulcro Christus egressus est. Ubicumque de hac hora Scriptura loquitur, meminit etiam de tubæ sonitu, quo mortui excitabuntur, ut Mat. xxiv. 31. *Et mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba et voce magna*. De loco in quo mortui in vitam redibunt, nihil certi sciri potest; probabile tantum est ibi surrecturos, ubi eorum corpora aut eorum majores partes conservabuntur. Sed quo ordine mortui resurgent? Ait Apostolus 1. Cor. xv. 23. *Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt*. Unde infertur, primo justos, deinde reprobos surrecturos. Animæ vero corporibus iterum jungentur, cum ea fuerint suis organis instructa. Qui alia plura de his scire cupiat, consulere poterit dissertationem a P. Calmeto editam T. 2. *de Mortuorum Resurrectione:* Pet. M. Gazzanigæ *Praelect. Teol.* T. vii. Jo. Laur. Berti *de Theol. discipl.* T. 2. l. xxii. cap. vii. etc.

CAPUT. II.

DE EXTREMO AC UNIVERSALI JUDICIO.

LII. Postquam de morte disputatum est, ad Quæstiones circa Judicium justorum et iniquorum a Deo peragendum enucleandas stilus est convertendus. Quanquam verò solemne sit in sacris Literis dogma de animarum a corpore exeuntium judicio ante universale illud instituendo: *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum*; ut Apostolus habet 2. *Cor. V.* 10. Et ad *Hebr. IX.* 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*: Fuere tamen antiquitus hæretici, qui illud impugnarunt, ut Borboriani ex gnosticorum grege, aliique obscuriores, quos recentes nonnulli secuti sunt, qui facile omnes refutabuntur. Cum vero de judiciaria hac potestate dicat Dominus Jo. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: Et S. Petrus de ipso Christo Domino affirmet Actor. x. *Hic est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum*: observandum est cum S. Thoma 3. P. q. 59. a. 1. judicandi potestatem esse quidem Personis SS. Trinitatis communem, congruè tamen et per quandam appropriationem adjudicari Filio. Licet enim ad judicium requiratur potestas coërcendi reos, zelus justitiæ et sapientia, quæ toti conveniunt Trinitati; cum tamen sapientia, quæ speciatim tribuitur Filio, sit ratio

et forma judicii, hinc jure optimo potestas judicandi Filio asseritur. Quare cum dicitur: *Pater non judicat quemquam*, de visibili præsentia majestatis et externo adspectabilique judicio est intelligendum, quod propter assumptam humanitatem et Incarnationis Sacramentum soli Filio convenit, quique solus visibilis in Judicio apparebit. Itaque profitemur in Symbolo: *Inde venturus est judicare*: de cælis nempe venturus est lucida nube circundatus ac apparatu majestatis, sicuti in cælum ascendit. Hinc admonemur, ne ullam habeamus fidem pseudoprophetis et antichristo ex ignoto loco prodeuntibus, ut legimus in Evangelio Matth. c. xxiv. 26. Sed et hanc judicandi potestatem habet Christus non tantum quà Deus est, sed etiam quà homo, sive propter meritum Passionis, sive propter Capitis dignitatem, sive propter divinam Personam, cui illius Anima unita est: Unde Jo. v. ipse habet: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*: Scilicet ut hominum Caput, eorumque Redemptor et Dominus hoc exercebit judicium, ut etiam dictum est *De Mysteriis gratiæ div.* N. cxii. Hoc verò judicium duplex in Scripturis statuitur: privatum nempe in morte uniuscujusque; et Universale, publicum, et solemne in Mundi fine. Hinc sit:

ARTICULUS I.

DE PRIVATO SEU PARTICULARI JUDICIO ANIMARUM E CORPORE EXEUNTIUM.

LIII. Peculiare hoc privatumque judicium ex supra jam demonstratis per se descendit; ostensum enim

est, sup. N. XLII. non in fine mundi tantum homines præmio affici aut pœna, sed statim a morte id animabus decerni. Revera id Dominus clarum fecit in historia quam Lucæ XVI. enarravit de divite et Lazaro: præterea ex promissione pio latroni facta, ibi c. XXII. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Idque testatur Apostolus 2. Cor. v. 8. cum ait: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et præsentes esse ad Dominum*. Quæ omnia esse non possent, nisi peracto antea de operibus judicio. In veteri quoque Testamento eadem docebatur doctrina, ut Ecclesiastis xi. *In fine hominis denudatio operum illius*. Et rursus: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum opera ejus*. Itaque Augustinus l. 2. *de Origine Animæ* c. 4. ait « Jam illud rectissimè et valde salubriter creditur, judicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oporteat etiam redditis corporibus judicari » Et Chrysostomus Homil. xxxvii. in Matth. «Postquam diem tuum obieris, judicium et pœna consequetur» Hæc itaque catholica veritas de particulari statim post mortem judicio immobili fundamento innititur; in quo anima superno lumine irradiata omnia totius vitæ peractæ opera sive bona sive mala distinctè cognoscens, conscientia propria eam vel certam reddente vel accusante, sive salutis sive damnationis sententiam excipiet. Hoc peculiare judicium rejecerunt olim qui visionem beatificam ad ultimum Judicii diem differebant. In ea opinione fuit etiam Lactantius, qui *Divinar. Inst.* l. vii. c. 21. scribit « Nec quisquam putet, animas post mortem protinus judicari. Omnes in una communique custodia

detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciet examen » At hi cum sua opinione fuere ab Ecclesia rejecti, ut supra innuimus N. XLIV.

LIV. Falsò itaque objiciebat Calvinus, nullum in sacris Literis vestigium reperiri particularis hujus Judicii, cui animæ solutæ a corpore subjiciantur; sed ubicumque de præmio agitur vel de supplicio, ad universale Judicium utrumque referri. Falsò id, inquam, opponit. Nam, ut vidimus, implicita saltem ejus mentio habetur Lucæ XVI. ubi sors diversa Lazari mendici ac divitis recensetur; quod utique sine judicio particulari contingere non potuisset. Quare Augustinus l. 2. *de Orig. Animæ* c. 4. ait: « Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere qui post mortem ablatus est in Sinum Abrahæ, et in illo divite cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat; scilicet judicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium quo eas oporteat jam redditis corporibus judicari? » Quanquam vero æquum sit eam habere historiam, non parabolam ut quidam volunt, si tamen hoc alterum quis obstinate contenderet: nihil contra nos id faceret; cum Dominus ibi nos docere intenderit, quid hominibus statim post mortem contingat juxta merita singulorum. Quod verò de Universali Judicio sæpius, quam de particulari in Scripturis sermo fiat, ratio est, quia tunc Animæ suis corporibus unientur, ac solemnis feretur sententia. Allata vero Lactantii auctoritas nihili facienda est, erat enim Millenariorum errori addictus, et ejus opera non paucis nævis scatent, ut S. Hieronymus *Epist.* 39. *quæ est ad Paulam* optaverit; ut « tam nostra affirmare potuisset, quam facilè aliena destruxit ».

LV. Ajunt tamen, incertam adhuc et suspensam esse sortem animarum a corpore solutarum erui ex Ecclesiæ precibus pro defunctis, quæ Deum exorat, « ut animas fidelium defunctorum liberet de pœnis inferni et de profundo lacu: liberet eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum » Ut hinc pateat, quod nondum judicatæ sint. Respondetur autem, quod recensitæ preces et aliæ hujusmodi vel referuntur ad animas in Purgatorio detentas, pro quibus solis rogat; cum Purgatorium non incongrue *infernus*, *profundus lacus, et os leonis* dici possit ob illius carceris conditionem: vel etiam orat, *ut liberet eas de morte æterna in die illa tremenda*; nempe ut in universali Judicio Deus mitius cum eis agat: vel potius referuntur preces ad illud temporis punctum, quo animæ sunt de corporibus egressuræ; eo ferme modo quo Ecclesia in nonnullis festivitatibus orat, quasi mysteria illa tunc primo contingerent, ut Adventus tempore precatur « Veni Domine, noli tardare ». Nec inutiles sunt eæ preces dicendæ, quia ut ait Augustinus *de Civ. D. l.* XII. *c.* 12. « Deus non aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt » eisque fructus fidei et mysteriorum impertit. Sed quæ hucusque de particulari judicio disputata sunt, cum ipso rationis lumine, et cum primævis revelationibus a Deo hominibus factis consentire, demonstrat populorum concors sententia de judicio post mortem ab unoquoque subeundo, præsertim Ægyptiorum, et Græcorum, aliorumque; quam traditionem ab initio acceptam, licet subinde fabulis inquinatam, divinam tamen præseferre originem clarum est. Hinc Virgilius l. VI. Æneidos v. 431. de statu animabus assignato canit:

Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes:
Quæsitor Minos, urnam movet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

LV. At qua ratione, quo tempore, quove loco illud judicium fiet? Quantum ad tempus, unico instanti judicium hoc, uti par est, absolvitur; quo nempe Anima divino lumine facile illustrata, ea deprehendit, de quibus discussio facienda est, rerumque veritatem manifestè cognoscit, ac proportionem præmii aut pœnæ cum suis operibus. Quantum ad tempus, id fit eo momento, quo anima a corpore soluta jam est; cum non feratur sententia antequam sit absolutum merendi tempus; nec ratio adest, cur ultra punctum illud sit differendum judicium. Hinc infertur, animam judicari in loco proximo ipsi corpori quod deseruit, et antequam ab eo loco discedat. Quare cum Chrysostomus et alii dicunt, animas post mortem perduci ab Angelis ante Tribunal Judicis, ita loquuntur ut nostro se accommodent concipiendi modo. Et cum ait Dominus in Evangelio: *Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*; propriè e Cælo judicat, et venire ad judicium dicitur secundum efficaciam, per quam efficit, ut suum statum unusquisque agnoscat ac sententiam Judicis audiat spiritaliter, ac illius vi statim ad locum tendat, qui meritis suis debetur. Num vero tunc ab Anima Judex Dominus videatur, incerta res est: Alii id negant, cum ea visio ad rationem judicii non requiratur: Affirmant alii, quod ea conferat ad ostensionem judiciariæ potestatis ac dignitatis, nec non ad bonorum solamen, ac ad impiorum pœnam et confusionem. Si quis vero scire cupiat, quid sit de privato judicio sentiendum eorum, qui bis mortui

sunt, seu qui revocati ad vitam rursus obierunt? Facile est sentire, privatum judicium minimè subiisse, cum prima vice mortem passi sunt. Verisimile namque est, sententiam iis a supremo Judice suspensam ac dilatam fuisse, alio tempore ferendam, quo vitam omnem compleverint: alioquin primum judicium sine effectu mansisset, quod dici non posse videtur. Sed ubinam eo temporis intervallo eorum animi detinebantur? Quidquid nonnulli per conjecturam de hac re divinare conati sint, dicendum tamen, id esse incertum omnino, silentibus Scripturis et Patribus: at verisimile prorsus est, plura eis vel a Deo ipso, vel ab Angelis ad illorum bonum et utilitatem revelata fuisse; ut narrationes referunt a gravibus scriptoribus recensitæ.

ARTICULUS II.

DE POSTREMO AC UNIVERSALI JUDICIO.

LVI. Præter privatum judicium aliud solemne ac universale esse expectandum ex gentibus omnibus ad Christi Domini Tribunal congregandis, in quo omnes omnino homines sive boni sive mali, sive fideles sive infideles sententiam subibunt irrevocabilem, dogma est catholicæ fidei, quod in omnibus symbolis profitemur. Antiquitus circa doctrinam hanc nonnullos errasse memoriæ proditum est. Ita refert Origenes, quosdam negasse impios in Judicium adducendos fore ex illo Psal. I. malè intellecto: *Ideo non resurgent impii in judicio.* Item ex illis Christi verbis Jo.3. 18. *Qui non credit, jam judicatus est,* in eum errorem venere, quod infideles non

amplius essent judicandi, in quem errorem impegit Lactantius *l. VII. div. Inst.* c. 20. scribens « Nec tamen universi tunc a Deo judicabuntur, sed ii tantum, qui sunt in Dei Religione versati ». Inter recentiores ex protestantibus non pauci errarunt, docentes, in extremo Judicio peccata justorum pridem remissa neutiquam promulganda fore, quod Balthassar Bebelius contendit in edita Disputatione *de peccatis electorum in judicio extremo non publicandis*. Sed inter hominum stultitias de hac re non videtur reticenda, qua sæculo XII. abreptus fuit quidam Eunus, sive Euda de stella Britannus, qui in Remensi Concilio coram Eugenio III. jactare non erubuit, se eum esse, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Quidam volunt, hunc illiteratum hominem hæc arripuisse ex Manetis stultitia, seu hæresi Manichæorum; qui tamen, tanta est hominum insania et improbitas, non paucos sibi asseclas adscivit turpissimis moribus inquinatos, ex quibus Georgius David ex Frisia plebejus homo in eandem dementiam lapsus est, ut se illum esse assereret, qui in extremo Judicio totum esset mundum judicaturus. Quidam putabunt eos fuisse mente captos; at historia eos potius prodit impostores et malitia plenos; quod patet ex corruptis eorum moribus, et ex sectis quas condidere.

LVII. Sed jam ad hujus Dogmatis fundamenta accedamus. Hoc universale Judicium Fideles omnes profitentur in suis symbolis tam Apostolico, quam Nicæno, Constantinopolitano et Athanasiano ut etiam in Hymno Eucharistico, quo frequenter omnium Christianorum Templa et Castra resonare solent. Revera in Scripturis hoc dogma vulgatissimum est. Postquam enim ad soni-

tum Tubæ, juxta Apostoli doctrinam, omnes mortui resurrexerint, hoc generale fiet judicium, quando una die, uno in loco, omnes omnium sæculorum homines ad summi Judicis Tribunal simul stabunt, et singuli, spectantibus omnibus et audientibus, sententiam in se latam excipient. Ita Joëlis 3. *Congregabo omnes gentes et deducam eas in Vallem Josaphat et disceptabo cum eis super populo meo*. Et v. 12. *Consurgant et ascendant gentes in Vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu*. Notum autem est *Josaphat* significare *Dei judicium*. Psalmo autem xcv. *Judicabit orbem terræ in æquitate et populos in veritate sua*. Atque ita sæpe. Sed clarius Matthæi xxv. 31. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem*; et quæ sequuntur; ubi de Universali Judicio agi aperta res est. Plura referre non vacat, cum alia nulla sit veritas hac ipsa in Scripturis frequentius iterata. Quæ verò pertinent ad signa et ad circumstantias solemnis hujus Judicii, infra expendentur.

LVIII. Cum Matth. xi. 22. dixerit Christus Dominus: *Tyro et Sidoni remissius erit in die Judicii, quam vobis*. Et c. xii. 32. *Qui dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: hinc quæri solet, an in die Judicii nonnullis peccatoribus remissio fiet? Et quidem Pelagius asserere ausus fuerat, in Judicii die nemini Deum peccata fore condonaturum, sed peccatores omnes ad ignem æternum fore damnandos. At SS. Hierony-

mus et Augustinus eum de hac re acriter reprehenderunt, quod pro suo arbitrio divinæ misericordiæ limites figeret, ac ipse sententiam judicis præveniret: Ajebantque ei minimè favere minas contra peccatores in Scripturis relatas, quæ divinæ potius clementiæ effectus considerandæ sunt, quibus eos admonet, ut resipiscant (*S. Hier. in Dialogo* 1. *contra Pelagium c.* 9.) Et Augustinus addebat *l. de gestis Pelagii c.* 3. *n.* 9. *et* 11. hunc errorem Ecclesiam minime adoptasse, quod nempe Deus erga neminem sit misericordia usurus; nam qui ita sentiret, contra seipsum sententiam ferret, quod absque misericordia sit judicandus: quis enim audeat se facere a peccato immunem?

ARTICULUS III.

DE SIGNIS UNIVERSALE JUDICIUM PRAECESSURIS.

LIX. Universale Judicium plura signa fore præcessura non modo Patres communi consensu docent, sed et divinæ Scripturæ satis apertè innuere videntur, quorum alia leguntur Matthæi c. XXIV. et Lucæ XXI. alia in Pauli Epist. 2. ad Thessalonic. et in Apocalypsi, ut etiam alibi. Et primo leguntur quædam generalia signa in aere, in stellis, in tellure, mare, et hominibus; sed cum ea partim ad excidium Hierosolymorum, partim ad Adventum Christi mysticum, sive in protectione Ecclesiæ suæ, pertineant; Judicii tempus ex iis certò cognosci nequit. Quare tria signa præcipua juxta Catechismi Romani doctrinam recensentur, quæ sunt Judi-

cium novissimum antecessura. 1. Prædicatio Evangelii per universum mundum, ut Matth. XXIV. *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* 2. Discessio sive apostasia de qua Apostolus 2. ad Thessal. 2. *Quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus ... non terreamini quasi instet dies Domini.* 3. Antichristus, sive peculiaris et insignis quidam Christi et sanctæ suæ Religionis adversarius, de quo sumus infra locuturi.

LX. Præter hæc, alia signa magis aut minus aperta adnumerantur, ut hebræorum ad fidem conversio, de qua Apostolus ad Rom. XI. 25. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc ... quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem Jacob, et hoc illis a me testamentum cum abstulero peccata eorum etc.* Quæ ex Isaiæ c. LV. 20. desumpta sunt. Non mirum quod Judæi ea accipiant de reditu in Palæstinæ regnum; sed quod miremur est, quod Thomas Burnet idem sentiat: quæ rabbinica prorsus et pharisaica somnia sunt. At Patres inde hujus gentis conversionem deducunt ante mundi finem eventuram; quod eruitur quoque ex Osee c. 3. Aliud signum est adventus Henochi et Eliæ, qui prædicabunt gentibus pœnitentiam et Antichristo resistent, a quo sunt occidendi. 3. Ingentes terræmotus, pestilentiæ et fames, terroresque de cælo; eruntque signa in sole et luna e

stellis, ut in Evangelio legitur Lucæ xxi. De his signis ac potissimum de Antichristo consulendi sunt Malvenda et Calmetus in *Dissertationibus de Antichristo ac de Mundi fine*.

LXI. Dissimulandum hic tamen non est, multa esse hac de re ambigua et incerta, plurimisque ac diversis interpretationibus obnoxia, et in sola fundata verisimilitudine, ex quibus ea sunt seligenda, quæ communi calculo comprobantur. Memores interim simus oportet illius Domini Salvatoris sententiæ Marci c. xiii. *Vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit .... quando Dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente inveniat vos dormientes: quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate*. Et Matth. xxiv. 37. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit et adventus filii hominis: sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam; et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis*. Itaque S. Jo. Chrysostomus Hom. xliv. in Joan. ait « Quando finis? Quando erit resurrectio? Ecce quantum temporis præteriit, et nihil tale contigit. Sed erit (subdit S. Doctor) etenim ante diluvium, qui credidit is solus liberatus est; et quemadmodum tunc deliciis et voluptatibus indulgentes meritum repente supplicium oppressit, ita resurrectio ex insperato consurget: Ut enim habet Apostolus: *Cum dicent pacem et securitatem, tunc repentinus eis superveniet interitus, et non effugient* ». Hæc tamen quæ singulis dicuntur, non

mundi ultimam cladem et universale Judicium; at verò singulorum finem ac mortem manifestè designant.

LXII. Ad 1. itaque signum quod attinet, de Evangelii nempe per orbem universum prædicatione, hoc a Patribus latè exponitur, atque de Evangelio toto orbe dominante intelligitur; quod et ex locis aliis confirmatur; ut ex illo Christi dicto apud Joann. x. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum Ovile et Unus Pastor*. Id vaticinatus est Ezechiel c. xxxiv. 23. his verbis: *Salvabo gregem meum et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus; et suscitabo super eas Pastorem Unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in Pastorem .... habitabunt confidenter absque ullo terrore etc.* Quod si hoc signum quidam infirmare nituntur, dicentes, illud jam evenisse tempore Apostolorum; cum Paulus ad Rom. x. scribat: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum:* Et c. 1. 8. *Gratias ago Deo meo ... quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*: Quod confirmat ad Colossen. 1. 6. *Evangelii verbum pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit:* Ut proinde velint ea respexisse Hierosolymorum excidium; idque potissimum, quod dixerit Christus; *prædicabitur hoc Evangelium*: non verò addiderit « credetur » ut hinc non debeat de fide ubique dominante intelligi; hoc, inquam, Signum licet ex adductis infirmare conentur, at responsio præsto est: Nam Apostolorum tempore hæc generalis Evangelii enuntiatio erat tantum inchoata, et per famam ex aliis in alias regiones manaverat: Verum

extremo tempore cumulatè fiet, et per proprios præcones, ita ut populi frequentissimè fidem sint amplexuri; ut communis Patrum sententia est. Etsi ergo daremus plura in eo textu spectare Hierosolymorum ruinam; multa tamen respicere mundi excidium patet tum ex Apostolorum interrogatione: *Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis sæculi*. Ita cap. XXIV. v. 3. Et post prælia, et pseudoprophetas, concludit Christus v. 15. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe . . . et tunc veniet consummatio*: tum quia græce habetur *Et tunc veniet finis*: Και τοτε ηξει το τελος: idest, orbis finis; quod nisi ad mundi finem referri potest. Quod verò non prædicatio tantum, sed Evangelii receptio et dominatio regnatura sit orbe toto, ex aliis prophetiis habetur; ut cum ajebat Dominus Jo. X. *Et fiet unum Ovile et unus Pastor*; et cum dicitur Psal. LVIII. *Dominabitur Jacob et finium terræ* etc. Quæ cum nondum evenerint, certè futura sunt.

LXIII. Signum alterum est *discessio*, de qua Apostolus loquitur 2. ad Thessal. c. 2. *Nisi venerit discessio primum*; pro qua nonnulli Patres cum Tertulliano romani imperii dissipationem intellexere et in plura regna scissionem: Quæ interpretatio verisimilis non videtur; nam in græco Apostoli textu *non discessio* sed *apostasia* habetur: Ὁτι εαν μη ελθη ἡ αποστασια πρωτον, και αποκαλυφθη ὁ ανθρωπος της αμαρτιας κ. τ. λ. *quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati etc.* ubi significari discessionem seu apostasiam a vera Fide et Evangelica veritate, singulare schisma et hæreseon monstrum

indicari, et multorum incredulitatem qui a vera discedent Religione, apertum fit ex aliis Apostoli locis, nec non ex S. Petri Epistola I. Nam ille 1. ad Tim. c. IV. 1. ait: *Spiritus autem manifeste dicit:* ὁτι εν ὑστεροις χαιροις αποστησονται τινες της πιστεος κ. τ. λ. *quia in novissimis temporibus discedent* (gr. apostasiam facient) *quidam a Fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum* ec. Et 2 ad Timoth. c. 3. 1. *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi* etc. Petrus vero Epist. 2. c. 3. 3. habet: *Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes... Unum verò hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus: Non tardat Dominus promissiones suas, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient* etc. Ad hanc apostasiam referri quoque debent ea Christi verba Lucæ XVIII. 8. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet Fidem in terra?* Ex quibus locis simul collectis aperta est Apostoli mens, quod de magna quadam apostasia a Fide, antequam veniat dies extrema, loquatur.

LXIV. Tertium verò illudque maximum ac memo-

randum signum erit Antichristi adventus. Hoc vocabulum sumitur plerumque in Scripturis pro omni hæretico et hoste doctrinæ Christi, ac pro iis præcipue qui negant, Christum esse Filium Dei. Ita Joannes Epist. I. c. 2. 18. *Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt*. Et v. 22. *Quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Jesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium*. Et c. IV. v. 3. *Omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est*. Videatur et Epist. 2. v. 7. Eo itaque sensu scribit Joannes, antichristos multos vel suo tempore extitisse; atque hinc videre est, cur primis Ecclesiæ sæculis fideles antichristi adventum formidarent, proximumque Christi adventum opperirentur. Præcursores nempe antichristi pro ipso accipiebant, et hanc postremam quam percurrimus mundi ætatem breviorem, quam ea sit, fore censebant. At ex Apostolo ad Thessalonicenses clarum fit, Antichristi vocabulo propriè designari personam quandam peculiarem, quæ ante finem postremæ hujus mundi ætatis ingentem in Ecclesia scissuram factura sit, et persecutionem contra eam omnium acerbissimam sit excitatura, quam alii antichristi multi, sive Christi hostes uti præcursores, sint antecessuri. Nam Apostolus Epist. 1. ad Thessal. c. v. scripserat: *De temporibus autem et momentis non indigetis, ut scribamus vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet etc*. Quare perterrefacti fideles illi diem Domini imminere putabant. Hinc Apostolus eis

rescripsit, ne essent ea de re solliciti; Nam signa quædam, et magna apostasia primum evenire deberet, a qua adhuc longe distarent. Sed præstat Apostolum ipsum hæc narrantem audire 2. Thessal. 2. *Rogamus vos, fratres... ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus... Et nunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt; eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Sed et in Apocalypsi capitibus præsertim XI. et XIII. describitur Antichristus nomine bestiæ quæ ascendit de abysso, et occidit duos Testes: Quæ faciet adversus eos bellum et vincet illos, et occidet eos; et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est: qui Testes post tres dies in oculis omnium resurgent, et recipientur in Cælum. Hanc bestiam describit Joannes c. XIII. habentem cornua decem et super cornua ejus diademata decem, et super capita ejus nomina blasphemiæ. Draco ei dedit virtutem suam et potestatem magnam,... bellum facere menses quadraginta duos cum sanctis et vincere eos: *Et data est illi potestas in*

omnem tribum et populum et linguam et gentem; et adoraverunt eam omnes qui inhabitabunt terram, quorum non sunt scripta nomina in libro Vitæ Agni etc. Nomine verò duorum Testium interpretes omnes Henochum et Eliam intelligunt, de quibus Apocalypsis XI. 3. ait Deus: *Et dabo duobus Testibus meis et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* (Vid. sup. N. X.)

LXV. Ex his autem locis vetus Ecclesia credidit, docuitque sequentia. 1. Antichristum unum fore ac singularem hominem. 2. Venturum ac regnaturum ante mundi finem. 3. Usurpaturum omnia regna terræ et imperium universale habiturum. 4. Apparituros Henochum et Eliam ut huic seductori adversentur. 5. Ejus doctrinæ hanc fore summam quod negaturus sit, Jesum esse Christum Deum; se autem verum esse Messiam a prophetis promissum affirmaturus. 6. Facturum esse miracula mendacia, magnamque christianorum partem seducturum. 7. Regnaturum tres annos cum dimidio, atque ingenti prodigio cum suis fautoribus Christi virtute exterminandum. Consulendi de hoc argumento Bellarminus, Malvenda, Lessius, Calmetus etc. Sed his septem Antichristi characteribus alia plura vulgus addidit, partim fabulosa, partim pia quædam commenta, partim obscura et incerta, quæ licet a nonnullis Patribus memorentur, de iis tamen Theologi solliciti esse non debent; ut ex g. quod futurus sit genere judæus ac de tribu Dan, cujus patria Babylon ægyptiaca sive Cairus, et quod Babylone ac Hierosolymis sit regnaturus. Hoc tamen postremum Apocalypsis c. XI. v. 8. non obscure innuere videtur.

LXVI. Contra hæc pseudoreformati non pauci eò dementiæ venere, ut non tantum affirmarent, antichristum non fore unicam singularem personam; sed etiam voluerint regnum esse quoddam seu imperium plurium personarum sibi succedentium, quod ignaro popello quotidie impudentissimè vociferantur, dominationem esse Romanorum Pontificum. Nam inquiunt Apoc. xiii. habetur: *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem et cornua decem:* Et c. xvii. 9. 12 *Septem capita septem montes sunt super quos mulier sedet, et reges septem sunt . . . et decem cornua decem reges sunt*. Sed, ajunt, per septem colles aperte Roma notatur, antichristi sedes Præterea Romani Pontifices uti Christi Vicarios se in terris gerunt, et quasi deos in terris omnium controversiarum judices falli nescios, regumque omnium dominos et bonorum dispensatores. Atque in his quidem declamandis nulla moderatione insaniunt, ut in suis synagogis obstrepere non vereantur, Paparum regnum esse antichristum illum in Scripturis designatum. In quo Waldenses turpissimos hæreticos imitantur, atque etiam antesignanum suum impudicum Lutherum, qui contra execrabilem Bullam Antichristi (ut furore percitus ajebat, eo quod blasphemias suas damnaret,) libellum scribere ausus fuit.

LXVII. Verum hos tenebriones ita contra conscientiam declamare, his etiam temporibus, facile deprehenduntur, ne ipsi ob turpem apostasiam ab Ecclesia Matre ipsius antichristi cui certè viam sternunt, præcursores et antesignani habeantur. Horum itaque nebulonum tanta impudentia est, ut non paucis inter ipsos heterodoxos stomachum moverint. Grotio potissimum et

Hammondo displicuerunt, qui aliam propterea interpretationem inire tentarunt. Licet autem perditorum hominum deliria non modo non refutari, sed neque referri mereantur, audiant tamen, quam facilè hæ cæcæ passionis stultæ impietates in fumum resolvantur. Et primo ipsi norunt, quod perpetuò principium petunt, id pro demonstrato assumendo, quod non modo impossibile demonstratu est, sed quod protestantes ipsi prudentiores dant libenter esse falsissimum. Deinde antichristus in Scripturis uti persona unica scribitur: *ὁ ανθρωπος της αμαρτιας: ὁ ὑιος της απωλειας*, ait Apostolus: *homo peccati: filius perditionis*; quæ de successione hominum eandem sedem occupantium absurdè dicerentur. Omnes itaque veteres Patres absque ambiguitate ulla hæc Pauli verba de unica tantum persona intellexere, quibus Apostoli doctrina, utique melius quam novatoribus, perspecta erat. 3. Scripturæ docent, regnaturum antichristum menses quadraginta duos: Apoc. XIII. 4. 5. *Quis similis bestiæ et quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna et blasphemias, et data est ei potestas facere menses quadraginta duos*: atque ita Cap. XI. 2. et Danielis Cap. XII. Hæc autem quis tot R. Pontificibus a sæculo sexto, ut volunt, ad hæc usque tempora aptaverit? Quis somniaverit ex eo tempore Ecclesiam a Deo fuisse derelictam? 4. Apostolus 2. ad Thessal. c. 2. v. 7. ait, hoc mysterium iniquitatis jam a suo tempore operari in terris in præcursoribus antichristi; ubi postquam dixit, homo ille peccati in Templo Dei sedebit, *ostendens se tanquam sit Deus*; subdit: *Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore: nam mysterium*

jam operatur iniquitatis; tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat; et tunc revelabitur ille iniquus etc. An dixerint impudentissimi novatores S. Petrum ejusdemque successores antichristi præcursores fuisse; et non potius hæresiarchas omnes hîc ab Apostolo significari, ut manifestè significantur a Joanne in sua Epistola, ut supra vidimus? Sed quandonam Ro. Pontifex apostasiam unquam fecit? Quisnam Pontificum se uti Deum jactavit, qui semper potius servos servorum Dei se nominarunt, quique totis viribus, omnique labore Veri Dei cultum promovere sategerunt, et impiorum blasphemias etiam cum sui capitis periculo semper damnarunt? Quorum si nonnulli ut homines peccarunt, fidem tamen intactam semper servaverunt, eamque docuerunt. Quod si Deo placuit, ut in Cathedra Veritatis collocati in Ecclesiæ bonum semper veritatem docerent; ut quid hoc eis invident novatores, et non potius pro tanto Universi bono gratias Deo agunt, si quidem diligunt veritatem? Sed quid expectes a perditis hominibus, qui odio, ac studio partium ita insanivere, ut cum Jurio affirmare ausi fuerint, appariturum antichristum in Romana Ecclesia fuisse, et prodire debuisse ex illa anno MDCCX. quo stulto asserto omnium sapientum risui, et cachinnis se ipsos dedere; ut videre licet apud Bossuetum *Hist. Var.* T. 2. l. 13. et apud Bergierum in *Dict. Theol. Art. Antechrist.* Sed et postremis hisce temporibus, cum Ecclesia Catholica graviter ab impiis impeteretur, et Romani Pontifices unus post alium in duram captivitatem ducti essent, heterodoxi et apostatæ omnes triumphum canebant et catholicam Religionem ad interitum jam sibi blandiebantur venisse; cum ecce

ex tot vexationibus ac tempestatibus eam ex insperato emergere vident! Certè nunquam heterodoxi in Scripturis legerunt, tales antichristum vicissitudines passurum fore; at verò postquam scelera innumera patraverit, spiritu oris Domini occisum iri. Tempus ergo esset, ut inconsulti Romanæ Ecclesiæ hostes et detractores resipiscerent, et ad saniorem mentem redirent.

ARTICULUS IV.

DE TEMPORE ANTICHRISTI VENTURI, DEQUE NOVISSIMIS EVENTIBUS INQUIRITUR.

LXVIII. Explosa stulta ac maligna pseudoreformatorum fabella de antichristo, in quam ipsemet Isaacus Newtonus turpiter impegit in sua Apocalipsis interpretatione (tantum præconcepta opinio in delirium trahit!); quid Patres aliique auctores senserint de hujus impii adventu modo investigandum superest. Scelestum hunc in Veteri Testamento jam fuisse prænuntiatum ut Ezechielis c. xxxviii. 39. et præcipue Danielis c. vii. et xi. plures cum S. Hieronymo existimarunt, eumque in Antiocho a Daniele præsignatum voluere. Nam advertit Hieronymus in c. xi. Danielis « Hunc esse morem Scripturæ sanctæ ut futurorum veritatem præmittat in typis: sicut igitur Salvator habet et Salomonem et cæteros sanctos in typum adventus sui, sic et antichristus pessimum regem Antiochum qui sanctos persecutus est » Sed ut idem Hieronymus adnotat, multi suo tempore vel in Cajo Caligola, vel in Nerone, Domitia-

no, Diocletiano, Juliano Apostata, atque etiam in Apollonio Tyanæo, in Barchocheba aliisque impiis apparuisse antichristum putarunt. Imo nostris etiam temporibus Hugo Grotius in C. Caligola Antichristum agnoscere voluit, Hammondus in Nerone, etiamsi quæ S. Paulus ad Thessalonicenses scribit, et S. Joannes in Apocalypsi post has generis humani pestes scripta et prænuntiata fuerint. Verum sciendum est, non pertinere ad Fidem, quod Paulus et Joannes in his, quæ allata sunt antichristum hunc præ cæteris indicaverint, ut nec quod ille unica futurus sit persona, et contra ipsum Elias sit venturus, verba quoque Christi Domini Matthæi XXIV. relata non certum est antichristum respicere, de quo hîc sermo est; licet hæc omnia maxima gaudeant probabilitate.

LXIX. Animadversione tamen dignum ducimus, non modo Christifideles omnium temporum, sed Judæos etiam antichristum sive anti-Messiam expectare, quem *Armillum* vocant; et Mahometanos quoque suum opperiri anti-mahometum; quæ omnia ex antiqua fama futuri hujus iniqui hominis originem ducere, facile eruitur. Et Judæi quidem quæ de Messia Salvatore in primo adventu prænuntiata sunt, cum iis confundunt, quæ de Messia Judice sub mundi exitum adventuro fuere prædicta. Ajunt, Eliam præiturum ut Messiæ semitas paret, post quem Messias ipse adveniet, Israelitasque omnes, Hierosolyma ac Templo instauratis, bonis omnibus cumulabit. Dehinc Gog et Magog potentes nationes antichristo duce hanc pacem irrumpent, quas Messias superabit delebitque. Quibus in bellis, quæ annos plures perdurabunt, multum sanguinis a fidelibus ef-

fundetur, atque tunc forte implebuntur illi Messiæ dolores, quorum meminere Rabbini; sed his perfectis pax summa regnabit, ut nonnisi post antichristi interitum et beatum illud Messiæ regnum resurrectio mortuorum futura sit.

LXX. Mahummedani quoque suum anti-muhammedem expectant, quem *Dejal*, seu *impostorem* appellant, quem gigantem monstro similem fingunt, uno tantum oculo et supercilio in frontis medio horridum. Præterea Mahamedem quendam e terris viventem a Deo sublatum sub mundi exitum iterum adventurum putant ut cum Dejal congrediatur, idque perficiat, quod nos ab Elia fore agendum credimus. Ad hæc, arbitrantur Jesum Christum iterum in Orbem reversurum supremum copiarum ducem illius Mahamedis, ut anti Mahummedem oppugnet; ac pace restituta imperium habiturum orbis terrarum uti procuratorem ipsius Mahamedis, ac elapsis annis quadraginta moriturum ac prope Mahummedis sepulcrum tumulandum, ut in fine sæculorum una cum justis omnibus ad vitam restituatur, et jùdex sedeat omnes judicaturus; nam juxta illos, hoc universale Judicium ad Jesum Christum spectabit.

LXXI. De tempore autem quo antichristus venturus esset in mundum, veteres diversimodè opinati sunt. Ut enim refert Eusebius. L. v. Hist. Ecc. c. x. nonnulli sæculo II. M. Aurelio Antonino imperatore antichristum ob persecutiones in Christianos jam adventasse putabant. Apud eundem Eusebium L. VI. c. 6. Judas Syrus id Severo Imperatori tribuit. Tertullianus et Cyprianus mundi finem et antichristum jam imminere pronuntiabant. S. Hilarius arianismo latè grassante « necesse est,

inquiebat, in ipsam nos ætatem antichristi incidisse ». Basilius, Hieronymus, Chrysostomus aliique in ea erant sententia, proximam esse antichristi ætatem. S. Ambrosius *Orat. in obitu fratris sui Satyri*, ait: « Raptus est, ne totius orbis excidia, mundique finem videret » S. Gregorius M. mundi interitum non longe esse pluribus in locis asseruit; et S. Bernardus ex tot quæ ingruebant flagitiis in limine esse mundi exitum colligebat. Apud veteres traditio erat post mille annos a Christi redemptione finem mundi futurum. Sed et illa apud multos probata sententia est, quam hebræi *in Talmude* ab Elia propheta traditam volunt, qui mundum sexmille annis duraturum ajunt, ubi *in L. Sanhedrin c. Halec*, legitur: « Sex millia annorum mundus, ac postea interitus: duo millia inanitatis: duo millia legis: duo millia annorum Messiæ » Sed consulatur Calmet *in Dissert. de Antichristo.*

LXXII. A Thoma Malvenda aliisque novimus, Paschalem II. anno 1105 Florentinum Concilium coegisse ex tercentis quadraginta Episcopis, in quo Fluentium Florentiæ Episcopum condemnavit, quod antichristum jam natum prædicasset. Abbas Joachimus Sæc. XII. antichristum post annos sexaginta venturum credidit. Petrus Alliacensis Cardinalis et Episcopus Cameracensis anno MDCCLXXXIX (quo nempe Gallorum seditio erupit) proditurum antichristum determinaverat. PicusMirandulanus an. MDCCCCXCIV. Hieron. Cardanus an. MDCCC. Alii vero in Germania antichristum MDXXXIII. venturum fuisse dicebant: sunt qui modo an. MDCCCLX. illum expectant; atque alii alias epocas definivere. Hæc autem omnia partim exitum mentita, partim nullo innixa solido funda-

mento, et prorsus ambigua, certos nos faciunt, quam verum fuerit Christi Domini monitum cum Actor. I. discipulis dixit: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quœ Pater posuit in sua potestate*. Hinc est, quod Concilium Lateranense V. (*c. XI Supremœ Majestatis*) concionatoribus omnibus, futuris etiam, interdixit, ne antichristi adventum, aut exitium mundi in posterum statuere præsumerent, eò quod sine temeritatis nota id præstari non possit.

LXXIII. Quanquam verò antichristi tempus sciri non possit, plura tamen ex divinis Scripturis, quæ acturus est, eruere datur, ut Hieronymus, Theodoretus, aliique eruebant. Nam Apocalypsim magna ex parte respicere ejus tempora et quæ inde sunt eventura, tum concors est Patrum sententia, tum id prophetiæ hujus series ipsa demonstrat. Videntur enim a capite VI. ad XI. calamitates recenseri, quæ antichristi adventum præcedent: a cap. verò XI. ad totum XIX. caput infanda illius gesta enarrari, quem præcedent et comitabuntur duo testes et prophetæ Dei, seu juxta communem sententiam Henoch et Elias, quos adhucusque inter vivos servari, ut illo tempore prædicent populis pœnitentiam et fideles a seductionibus illius impii præservent, probatissima doctrina est. De his duobus Testibus ibi hæc habentur. Nam c. X. v. 10. scribit Joannes: *Accepi librum de manu Angeli et devoravi illum . . . et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus et populis et linguis et regibus multis* (Cap. XI. 1.) *Surge et metire Templum Dei . . . Atrium autem ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus; et da-*

bo duobus Testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ Olivæ et duo Candelabra in conspectu Domini . . . . Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum . . . et percutere terram omni plaga : et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso (satanas nempe qui possidet et agitat antichristum) *faciet adversus eos bellum et vincet illos et occidet eos : et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus. ubi et Dominus eorum crucifixus est . . . Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis : Ascendite huc : Et ascenderunt in Cælum in nube, et viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræmotus magnus, et decima pars civitatis cecidit, et occisa sunt hominum septem millia, et reliqui in timorem missi sunt, et dederunt gloriam Deo cæli*. Hos itaque Testes esse Henochum et Eliam tunc iterum in mundum venturos, licet de fide non sit, ait tamen S. Augustinus de Civ, D. l. xx. c. 29. quod « celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium » et magna patrum consensione roboratur (Vid. sup. N. x.).

LXXIV. Circa autem antichristi personam, quam Scripturæ et Patres ut hominem singularem designant, quidam arbitrati sunt, hominem futurum a diabolo genitum : alii dæmonem humana specie sed phantastica indutum : alii incarnatum dæmonem, quæ quidem ab

omni veritate abhorrent. Juxta ergo communem Patrum sententiam, homo erit ejusdem naturæ ac cæteri homines; quique ab aliis non distabit nisi ob insignem malitiam et impietatem dæmone potius propriam quam homine, quique ab illo malitiæ patre maxime juvabitur et ad facinora quæque impelletur. Quare ex allatis deducitur, eam bestiam esse Antichristum a diabolo adjutum et exagitatum, qui tunc forte Hierosolymam occupabit, quæ a Joanne Civitas sancta dicitur, in qua Dominus duorum Testium crucifixus est, et ubi eos occidet. Sed et hanc bestiam esse antichristum, quem Paulus 2. ad Thessal. c. 2. vocat *hominem peccati*, *et filium perditionis*, ex quinque characteribus patet, quibus illum distinguunt tam Apostolus, quam Evangelista Joannes. Nam 1. ait ibid. Apostolus: *Qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Sed et bestiam tanquam Deum se habituram affirmat Joannes Apoc. c. XIII. v. 3. inquiens: *Et admirata est universa terra post bestiam: et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea? . . . et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus et eos qui in cælo habitant . . . et adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram etc.*

LXXV. Secundus character est, quod falsa prodigia sit patraturus. Ait Apost. ib. v. 9. *Cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*. Eadem et de bestia

habet Joannes c. xiii. v. 13. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret descendere in terram in conspectu hominum*. Tertius character est, quod Satanas illi valde opitulabitur: *cujus est adventus secundum operationem satanæ*, ait Apostolus ibid. Quod et Joannes pluries confirmat c. xiii. v. 2. *Et bestia quam vidi similis erat pardo... et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam*. His addendus est quartus character, quod scilicet, sua hypocrisi et fallaciis seducturus sit plurimos, et ad se pertracturus quotquot sanctam Christi Religionem relicturi sunt; nam habet Apostolus v. 10. *Cujus adventus.... in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent; et ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio* etc. Quibus habet similia Joannes ibid. v. 14. *Et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ*. Quintus denique character est, quod a Christo Domino sit prodigio singulari exterminandus: Ita Apostolus v. 8. *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui* (suo nempe jussu) *et destruet illustratione adventus sui* etc. Cui consonat Joannes c. xvii. 13. *Hi reges virtutem et potestatem suam bestiæ tradent, et hi cum Agno pugnabunt; et Agnus vincet illos...* Et Cap. xix. 11. *Vidi cælum apertum et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax; et vidi bestiam et reges congregatos ad faciendum prælium cum illo. Et apprehensa est bestia et cum eo pseudopropheta, et vivi missi sunt in stagnum ignis*. Igitur *homo peccati* de quo Apostolus ad Thes-

sal. n. c. 2. idem est *cum bestia* de qua fusè loquitur Joannes in Apocalypsi. Hanc autem bestiam, sive antichristum, ait Joannes c. XIII. v. 18. nomen habiturum, quod respondet ad numerum sexcentum sexaginta sex (græcè χξϛ.) *Qui habet intellectum*, inquit, *computet numerum bestiæ: Numerus enim hominis est sex, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. Hoc ænigma a nemine hucusque resolutum est.

LXXVI. Interim antichristus juxta Joannem imperium universale in orbe obtinebit c. XIII. 7. Et datum est illi bellum facere cum sanctis et vincere eos: *Et data est illi potestas in omnem tribum et populum et linguam et gentem. Et adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni*. Illam persecutionem in sanctos, quam excitabit diabolus ministerio antichristi adnotat Joannes c. XII. 12. his verbis: *Væ terræ et mari quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam sciens quod modicum tempus habet*: Annos nempe tres cum dimidio, quibus persecutio durabit, ut vidimus. Inde sequitur v. 13. *Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est Mulierem, quæ peperit masculum*. De hac Muliere amicta sole egerat initio Capitis. Hæc Mulier est Ecclesia, ut ex contextu elucet, quæ Hierosolymis, ubi facile tunc Summi Pontifices sedem habebunt, Pastorem suum supremum electura erit, et quem in maxima angustia creabit, ut ibid. v. 4. Draco enim, sive antichristus a diabolo impulsus stabit ante Mulierem, *ut cum peperisset, Filium ejus devoraret*. Supremus Pastor eligitur, sed ab antichristi insidiis subtrahitur in locum

tutum, ut etiam primores a persecutione liberantur recepti in locum paratum a Deo, quæ ita a Joanne narrantur vv. 5 et 6. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus. *Et Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cœlo: Michaël et Angeli ejus præliabantur cum dracone ... etc*, vv. 13. 14. *Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est Mulierem ... Et datæ sunt Mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in Locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis* etc. Id est per annos tres cum dimidio. Quibus expletis, ut habet etiam Zacharias c. XIV. *Egredietur Dominus et præliabitur contra gentes illas* (quæ tunc sub duce antichristo Hierosolymam occupabunt), *et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum etc.* Antichristus igitur ibi cum suis exterminabitur, restitueturque populo Dei pax et tranquillitas, quæ post antichristi excidium per annos circiter mille juxta Joannem in terris regnatura est, ut habet c. XX. v. 1. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum et clausit . . . ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni etc.*

LXXVII. Hoc itaque tempore illa regnabit pax et securitas ac veræ Religionis imperium tantopere a Prophetis commendatum, et præ cæteris ab Isaia c. LX. et a

Zacharia c. xiv. quando et Judæorum gens et reliquæ orbis nationes, visis signis, cælestibusque prodigiis divinitus in antichristi exterminio patratis, convertentur ad Dominum Deum suum, *fietque unum Ovile et unus Pastor*; ut Jo. x. v. 10. Ac de hebræis quidem clarè id prænuntiat Oseas c. 3. ubi ait Dominus: *Dies multos expectabis me, non fornicaberis et non eris Viro* (id est, aliis falsis cultibus non adhærebis, sed nec Messiam recipies); *sed et ego expectabo te: quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege et sine principe, et sine sacrificio et sine altari, et sine ephod et sine theraphim* (id est, sine Sacerdote et sine propheta): *Et post hæc revertentur filii Israël, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum* (id est Messiam Davidis filium); *et pavebunt ad Dominum et ad Bonum ejus in novissimo dierum.* Id quoque indicat Ezechiel c. xxxiv. Et Apostolus ad Rom. xi. idem vaticinatur. Tunc ergo Jerusalem caput erit totius populi Christiani, ut habet Zacharias c. xiv. v. 8. *Et erit in die illa: exibunt aquæ vivæ de Jerusalem... et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum... et anathema non erit amplius, sed sedebit Jerusalem secura.* (Et Jeremiæ c. xxxi. 34.) *Omnes enim cognoscent me a maximo usque ad minimum*. At cum consummati fuerint mille anni, ut in Apocal. c. xx. 7. *Solvetur satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes et congregabit eas in prælium* etc. atque tunc erit finis et universale Judicium (consulatur præ cæteris de his *Apol. Cat. Rel.* Francisci Ant. Baldi cap. xiv. et xix. nec non ejus *Vaticinia de Cruce* Romæ 1817. in 4. a pag. 160. et deinceps).

ARTICULUS V.

CIRCUMSTANTIAE EXPENDUNTUR UNIVERSALIS JUDICII.

LXXVIII. Postquam ergo per annos mille, seu verius per tempus indeterminatum ac indefinitum, quod mille annorum spatio aut numero frequenter in Scripturis significatur, quo sancta Christi Fides post tot perpessos labores et exantlata certamina in universo orbe regnatura est, ut vidimus; rursus ob vitia et crimina, quæ invalescere in mundo incipient, bella a diabolo excitabuntur, Deo id permittente ut justorum fides probetur, ac nova gentium seductio fiet, quæ congregabuntur in prælium adversus castra sanctorum et Civitatem dilectam. Hæ tamen gentes, invisibili Dei protectione erga sanctos, igne de cælo prodigiosè descendente exterminandæ sunt, et diabolus qui seducebat eos in stagnum ignis una cum antiquis Ecclesiæ persecutoribus rursus detrudendus est; ut inde extremum ac universale Judicium sequatur. Quæ quidem eventura Joannes in Apoc. c. xx. 7. ita vaticinatur: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam; et descendit ignis a Deo de Cœlo, et devoravit eos; et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum*

ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

LXXIX. Ad prophetiæ hujus intelligentiam quæritur quid nomine populorum Gog et Magog Joannes significare voluerit. In hoc interpretes diversa sensere. Quidam Russos et Moscovitas: alii Scythas, Tartaros, et Turcas: alii cum Assemano (*in Bibliotheca Orientali*) Mogolenses venire autumarunt. Quid Rabbini commenti sint, referre non vacat. At cum de his nationibus Ezechiel quoque capp. xxxviii. xxxix. prophetaverit, volunt quidam literali sensu esse intelligendos exercitus regum Syriæ, qui Machabæorum tempore bella gesserunt varia fortuna. Quæ tamen de Gog et Magog habet Ezechiel parum consonant cum Machabæorum gestis atque historia; sed potius cum iis concordant, quæ hoc in loco Joannes recenset; ut manifestum sit, utrumque prophetam novissima hæc mundi tempora respexisse. Nomine itaque nationum Gog et Magog sunt illæ gentes intelligendæ, quæ in extremis illis temporibus excitabuntur ad puniendum et purificandum ipsum populum Dei; quæ et ipsæ ob sua scelera in montibus Palæstinæ et in Hierosolymorum viciniis, ubi tunc sedes Religionis erit, exterminandæ sunt. Ob populi Dei peccata has gentes esse adducendas clarè notat Ezechiel c. xxxix. vv. 22. 23. Super montes Israël esse exterminandas et igne comburendas habet c. xxxviii. v. 4. et 6. Id futurum in novissimis diebus, affirmat c. xxxviii. v. 8. et 16. Ingentem futurum illarum numerum, adnotat ibid. v. 9. et 15. etc. Quare Ezechielem respexisse ad bellum Gog et Magog prædictum a Joanne fit manifestum. Hanc autem postremam fore persecutionem con-

tra Dei Ecclesiam et Joannes adnotat, et Ezechiel confirmat c. xxxix. v. 29. Ut inde ad statutum a Deo extremum Judicium deveniendum sit.

LXXX. Sunt qui nollent, aliquid interpretes ac Theologos de his futuris eventibus inquirere ab Apostolo Epist. 2. ad Thessal. a Joanne in Apocal. et in Evangeliis notatis, quasi sit desperata inquisitio. Sed quanquam et nos improbemus, qui nimis his in rebus ingenio indulgent, nec student audire *quid Spiritus dicat Ecclesiis* (Apoc. 2. v. 7.); attamen censemus laudandum esse desiderium illorum, qui hæc intelligere cupiunt eo modo, quo ad Ecclesiæ instructionem a Divino Spiritu manifestata sunt. Alioquin ut quid ea Deus revelasset? Ut quid Joannes diceret c. I. 3.? *Beatus qui legit et audit verba Prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est*. Et c. xxii. 7. *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus*. Ajunt præterea, oportere, ea quæ in Apocalypsi describuntur, jamdudum maxima ex parte præteriisse, et sensu spirituali et allegorico esse adimpleta, eo quod et cap. 1. et c. xxii. in proximo ea esse dicantur: *Tempus enim prope est . . . Ecce venio velociter . . . Ecce venio cito* ... At eorum pace nos cum melioribus interpretibus existimamus, primam quidem Apocalypsis partem Joannis tempore jam fuisse completam; alias vero partes, præcipue tres posteriores adhuc esse adimplendas. Et quidem, omnia quæ in hoc prophetico libro habentur, velle allegoricè et figuratè accipere, nimis esset Scripturis abuti, in quibus a sensu literali absque necessitate non est recedendum.

LXXXI. Apocalypsis itaque videtur in partes quinque

divisa. In prima, quæ prioribus tribus capitulis comprehenditur, Asiæ Episcopi admonentur, iisque sane a Christo dicitur: *Ecce venio cito*. In Parte secunda a cap. IV. usque ad totum caput IX. videntur priora Ecclesiæ sæcula describi, calamitates contra impios, vindiciæ Ss. Martyrum, ac idololatriæ exterminium. Hæc tamen non repugnat, quin etiam ad tempora antichristo proxima referri possint. Prophetiam hanc ita Joan. c. IV. exorditur: *Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo, et vox ... dicens: Ascende huc et ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc*. In Tertia parte incipit prophetia inclusa in Libro, quem Joannes devorat, cui ait Angelus c. X. 11. *Oportet te iterum prophetare gentibus et populis et linguis et regibus multis*. Atque hinc prophetia exorditur de antichristo supra allata N. LXXIII. et seqq. usque ad illius excidium cap. XIX. descriptum. In Quarta prophetiæ parte capite XX. comprehensa describitur inclusio diaboli in abyssum et felix Religionis regnum per annos mille seu per tempus indefinitum in toto orbe, quo tempore expleto bella rursus excitabuntur a satana modico tempore e suo carcere soluto; quibus extemum sequetur Judicium et hujus generationis ac Mundi finis. Demum in Parte quinta, seu capp. XXI. e XXII. Urbs Jerusalem cælestis ac Beatorum gloria describitur, *in quam non intrabit aliquod coinquinatum ... nisi qui scripti sunt in libro Vitæ Agni*. Quæ omnia licet per longum temporis spatium respectu nostri eventura sint; at quantum ad Deum attinet, cui omnia sunt præsentia, citissime venient, ut admonet S. Petrus in 2. Epist. c. 3. v. 8. *Quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus etc.*

LXXXII. Adveniente itaque Judicii tempore, hæc habet de illo Joannes c. xx. 11. *Et vidi Thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus aspectu fugit terra et cælum, et locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu Throni: et libri aperti sunt, et alius Liber apertus est qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum... et qui non inventus est in libro Vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* A supremi Judicis aspectu fugit terra et cælum; quod per anticipationem dictum esse potest, ut cælorum ac terræ renovatio non ante, sed post Judicium fiat. Hæc potentiam significant Judicis advenientis. Supremo itaque illo Judice prodeunte omnia mutantur, ut jam novum cælum ac terra nova formentur. Nam creatas res minimè in nihilum rediget Deus sed immutabit perficietque, ut ait Augustinus l. xx. de Civ. D. c. 14. Libri juxta quos mortui sunt judicandi est ipsa divina scientia, quam nihil fugit; et Liber Vitæ est prædestinatio Electorum. De tempore hujus universalis Judicii jam diximus, nemini illud notum esse, nec sine temeritate statui posse, monente Domino Marci xiii. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater: Videte, vigilate et orate, nescitis enim quando tempus sit.* Non quod Christus scientia sua etiam ut homo id non sciat, quod *Agnoitæ* hæretici volebant; at verò quia hanc notitiam a Patre non acceperat, ut eam hominibus manifestaret, ut Ecclesia docet.

LXXXIII. Quonam itaque in loco Judicium hoc fiet?

Juxta communem sententiam creditur extiturum in Valle Josaphat inter Montem Oliveti et Urbem Jerusalem sita, ut ex Joelis c. 3. 1. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in Vallem Josaphat*. Sed ajunt Sociniani: Tantus est hominum numerus qui ab orbe condito ad extremum usque Judicium tellurem incoluerunt aut incolent, ut vix ipsa tellus capere eos possit; quomodo ergo fiet, ut in illa exigua valle tot hominum myriades congregentur, quorum tota Asia vix capax sit? Hos itaque hortamur, ne sint nimis hac de re solliciti. Nam juxta Apostoli doctrinam justi omnes in aëre locabuntur (1 ad Thessal. c. IV. v. 16.) *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra etc.* Et hæc uti Dei dextera consideranda est. Increduli autem et impii humi stabunt, qui locus facile sinistra esse intelligitur. Quod additur de vera Valle Josaphat, ea est pia fidelium sententia, non verò Ecclesiæ dogma. Revera *Josaphat* significat *Dei judicium*; nec certum est, quemnam eventum Joel propheta eo in loco vaticinetur. At etiamsi diceretur, omnes in vallem Josaphat fore congregandos id non ita esset intelligendum quasi sola ea vallis omnes homines receptura sit; sed tantum quod futura sit quasi centrum immensæ illius hominum multitudinis, quo in centro judicium sit peragendum. Quantum verò ad methodum qua illud fiet; cum ratio ac forma judicii tria continere soleat, causæ cognitionem, sententiæ pronuntiationem, et executionem ejusdem; patet, quod Causæ cognitio in instanti fiet apud omniscium Judicem atque ut fert sibyllinus versus:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Nec testes necessarii erunt; Deus enim testis erit omni exceptione major, et æquissimus Judex. Interim ut Scripturæ hæc juxta humanum captum explicent, libros memorant vitæ et mortis, quorum nomine Dei decreta veniunt, quibus gloria justis, impiis miseria decernetur. Hisce paratis Judex jam ad sententiam deveniet, qua justi in vitam æternam adducendi erunt: in ignem impii æternum conjiciendi.

LXXXIV. Alia hîc inquiruntur; et 1. Quinam cum Christo judicaturi, et quinam judicandi erunt? 2. Cur post peculiare judicium hoc generale instituetur? Quibus ut fiat satis; sciendum, quod congregatis omnibus tum angelis apostatis sive dæmonibus, tum hominibus cunctis cum resumptis corporibus, ex Matth. c. XXIV. 30. illico *parebit signum Filii hominis in cælo*, hoc est, Crux ipsa in qua salus nostra pependit, ut communis sententia est quam et Ecclesia amplectitur cum canit « Hoc Signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit ». Hinc Christus veniet in nube splendidissima, eumque comitabuntur BB. Virgo et omnes Angeli, sanctique reliqui Anima et corpore gloriosi. Cum hoc supremo Judice futuri erunt adsessores et judiciariæ potestatis participes Apostoli aliique meriti præstantissimi, ut Matth. XIX. 28. habet Christus: *Vos, qui secuti estis me ... sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes*: Et Apostolus 1. ad Corinth ... *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* Quatenus nempe Christi judicium clarius percipient, simulque cum ipso pronuntiabunt, ipsumque aliis manifestabunt. Nec hæc potestas Angelis saltem primoribus deneganda est, ad minus relate ad Angelos inferiores et præsertim ad dæmo-

nes. Judicandi autem erunt omnes omnino homines et Angeli; quia de unoquoque Christus sententiam feret; cujus vi unicuique sive spiritibus sive hominibus, sive pueris cum solo originali defunctis suus status per totam æternitatem statuetur juxta propria merita et æquissimam sententiam supremi judicis. Dicitur quidem de infidelibus Joann. III. *Qui non credit jam judicatus est;* sed non quod rursus non sint judicandi, at vero quia certam habeant suæ damnationis causam, nisi resipiscant. Dicitur in Symbolo, judicandos esse vivos et mortuos; pro quibus, uti alibi monuimus, intelligendi sunt qui modo vivunt et vivent, et qui jam decessere. Augustinus tamen intelligebat justos et peccatores; aut etiam qui Christo adveniente adhuc vivent, et qui tunc antea mortui, resurgent. Rufinus per vivos animas intelligebat, et per mortuos corpora quæ opinio tanto viro par non videtur. Demum causæ universalis hujus Judicii plures a Patribus afferuntur. 1. Ut divinæ justitiæ ac sapientiæ rationes omnibus innotescant, et ut in conspectu omnium vindicetur honos divinæ justitiæ ac providentiæ debitus ab impiorum blasphemiis, et a querelis aliorum. 2. Ut piis fama sæpe læsa restituatur, impiis verò ut eripiatur innocentiæ laus immeritò sæpe usurpata. Tandem ut incrementum accipiant tum electorum gaudium, tum mœror impiorum, quæ maximè conspicua erunt in publico universorum hominum conventu et judicio, et in sententia æquissima Judicis supremi ac sapientissimi.

ARTICULUS VI.

DE CONFLAGRATIONE MUNDI, EJUSDEMQUE RENOVATIONE.

LXXXV. Hanc futuram Orbis catastrophen pluribus in locis tradunt sacræ Literæ idque tam clarè et apertè, ut terribilis hic mundi casus nulli queat esse dubitationi obnoxius: cui tota quoque vetusta gentium traditio astipulatur. Itaque Matthæi c. XXIV. 29. ait Christus: *Post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur*. Ad hanc rerum immutationem appellat Christus etiam c. XIX. 29. quam *palingenesian* sive *regenerationem* vocat. Similia habentur Marci c. XIII. 24. Et Lucæ XXI. dicitur: *Erunt signa in sole et luna et stellis... Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Apostolus quoque idem sæpe affirmat. 1. Cor. VII. 31. *Præterit enim figura hujus mundi.* Ad Hebr. c. 1. affert illud Psal. CI. *Et: Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; Tu autem idem ipse es etc.* Idem renovationem hanc per ignem faciendam testatur 1. Corinth. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit etc.* Quod confirmat 2. ad Thessal. 1. 8. *Justum est*

apud Deum retribuere . . . in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum etc. Sed præ cæteris SS. Petrus et Joannes hoc orbis incendium et restitutionem tradunt, ille Epist. II. c. 3. scribens: *Cœli autem qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem Judicii et perditionis impiorum hominum*. Et v. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur; Terra autem et quæ in ea sunt opera exurentur. Cum ergo hæc omnia dissolvenda sint, quales oporteat vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent: Novos verò cœlos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat*. Joannes autem in Apocal. c. XXI. *Et vidi cœlum novum et terram novam; primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est*. Et v. 5. *Dixit qui sedebat in Throno: Ecce nova facio omnia.* Idem affirmaverat c. XX. v. 11.

LXXXVI. His Apostolorum doctrinis consonant Prophetæ mirum in modum. Isaias c. LI. 6. ait: *Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur*. Et c. XXXIV. 4. *Tabescet omnis militia cœlorum* (nempe sydera), *et complicabuntur sicut liber cœli*. c. vero LXV. 17 et LXVI. 22 *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam; et non erunt in memoria priora.* Ita Psal. XCVI. 3. etc. Ex his ergo tria fide certa eruuntur. 1. Mundum ad suum exitum esse perventurum. 2. Per

flammas absumendum. 3. Nec esse in nihilum, sed in nobiliorem ac perfectiorem statum redigendum. Et licet plura, quæ in rem hanc afferri solent, vel Judæorum post captivitatem, vel Ecclesiæ post Christi adventum figuram præseferre queant; alia tamen, et potissimum quæ allata sunt, adeo clara se exhibent, ut nonnisi literali sensu accipi debeant, ut semper Patres accepere. Quod verò attinet ad tempus, modum et circumstantias exitus mundi, incerta hæc quidem sunt, iisque phrasibus exprimuntur, ut earum vim sensum et amplitudinem ignoremus. Quærenti autem, cur mundus sit innovandus? Respondet S. Thomas in Suppl. Q. LXXIV. a. 1. Quod mundus propter hominem aliquo modo factus est; quare oportet, ut quando homo secundum corpus glorificabitur, etiam alia mundi corpora ad meliorem statum mutentur, ut sit et locus convenientior et aspectus delectabilior « Ut habet Apost. 1. Cor. 15. v. 50. *Corruptio incorruptelam non possidebit*; et a Civitate Domini omnes immundi foris erunt. Oportet ergo elementa purgari ad hoc ut decenter suscipiant novitatem gloriæ.

LXXXVII. Sed quod est animadversione dignum, in substantiam hujus doctrinæ præter Patres omnes, consentientes habemus veteres quosque philosophos et poëtas gentiles. Fuere quidem horum nonnulli, qui mundum æternum, incorruptibilem, animatum, ac ipsum tandem deum impie voluere; Sed hi insani a sanioribus semper rejecti sunt, nec sententiam communem pervertere potuerunt. Plutarchus *l. de Iside et Osiride* vetustam refert traditionem Persarum et Chaldæorum de mundi renovatione. Similia plura docuere philosophi veteres, quæ videri possunt apud Danielem Huetium in

Quæst. Alnetanis l. 2. c. 21. et apud alios qui philosophicam historiam scripsere, et inter veteres consulendus Eusebius Cæsarien. *in Demonstratione Evang.* l. 3. c. 3. De exustione mundi stoica celebris est doctrina; quam ab Orientalibus forte acceperunt, inter quos communis erat. Itaque Tullius Cicero illam stoicorum sententiam ita exponit *l. 2. de Natura deorum* n. XLVI. Ex quo eventurum, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto neque terra ali posset, neque remearet aër, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem a quo rursum animante, ac deo, renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur ». Seneca verò *Ep. ad Marciam* versus finem habet « Omni conflagrata materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito licet, ardebit » Lucretius quoque mundum aliquando dissolvendum ita poëticescribit l. IV.

. . . . Tria talia texta
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles, et machina mundi.

Quod et Lucanus *Pharsal. l. VII.* prope finem affirmat convertens carmen ad Julium Cæsarem, cui inutile dicit, hanc mundi superficiem flammis absumere, quæ aliquando una cum cæteris igne consummenda est:

Hos, Cæsar, populos, si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti:
Communis mundo superest rogus . . . .

Ovidius autem veterum populorum traditiones memorans, qui cælos, mare, terram comburenda tenent; ita canebat Metamorph. l. 1.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Audiendus denique Columella, qui *Rei Rusticæ* l. 1. c. 1. ait: « Multos jam auctores comperi persuasum habere... qualitatem cæli, statumque mutari, eorumque consultissimum Astrologiæ professorem Hipparcum prodidisse, tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur; idque etiam non spernendus auctor Rei rusticæ Saserna videtur adcredidisse » Supersedemus a pluribus afferendis. At undenam tam universalis, vetus, constans, et mira consensio hac in re, quæ minime sciri nisi per divinam revelationem potest; undenam, inquam, nisi a primævis traditionibus a Deo hominibus datis?

LXXXVIII. Nonnullæ modo sunt resolvendæ quæstiones; et 1. An totum hoc universum solvendum sit per ignem, ut novum inde nascatur? An verò Tellus tantum, vel Planetarium systema purgandum sit et immutandum, ut idem tamen ordo permaneat? At quamquam ea de re non planè consentiant viri eruditi; Cælos tamen omnes, non minus ac tellurem, esse immutandos et perficiendos, ac etiam novo ordine disponendos ex allatis Scripturarum textibus verisimilius infertur. Quis enim intelligat, Cælos juxta S. Petrum igni reservatos esse, elementa solutum iri, ac cælos magno impetu transituros, nisi totius orbis statuat dissolutionem, vel nostri saltem planetarii systematis? Hoc tamen compactum et colligatum cum cæteris fixarum systematibus dissolvi non poterit, quin universa systemata perturbentur. Hinc Scripturæ quoties telluris vicissitudines memorant, cælos simul commovendos affirmant, ut « *Cælum et terra transibunt*». Sane Deo non erit operosum magis tellurem solam, quam totum immutare ac restituere universum; nec intelligi posset, stellas cadere e cælo, nisi orbe

toto dissoluto. Inficiari tamen nolumus, alicubi, uti apud Matthæum, stellarum nomine aut juxta vulgi captum ignem vel meteoras ignitas e cælo cadentes posse intelligi: aut etiam ea vocabula allegoricè ibi esse accipienda, ac significare viros præstantiores, summos ac in potestate constitutos fore casuros, et a sua constantia, vel a fide discessuros; quemadmodum ea, quæ dicuntur de dracone Apocalypsis c. xii. v. 4. cujus cauda trahebat in terram tertiam stellarum partem, sunt proculdubio allegoricè intelligenda. Verum ea quæ allata sunt ex Epist. 2. Petri, ubi nulla est allegoria, uti et alia, catastrophen hanc manifestam faciunt.

LXXXIX. Nonnulli tamen ex aliquibus Scripturarum phrasibus deducere posse sibi visi sunt, hæc mundana omnia esse in nihilum redigenda, et alia ita de novo creanda, quasi mundus iste sit omnino de medio tollendus. At plurimi Patres mundum non esse prorsus in nihilum redigendum, sed in melius tantummodo commutandum defendunt, cui sententiæ Scripturæ ipsæ satis favent. Legimus enim ibi, *cælos novos, novamque terram* a Domino creandam, non vero alios cælos terramque aliam, ut animadvertit Hieronymus in c. LI. Isaiæ, ubi « Non dixit, inquit, alios cælos, sed veteres antiquos in melius commutatos » Cui assentitur Augustinus l. xx. de Civ. d. c. xiv. inquiens: « Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus ... figura ergo præterit, non natura » Et c. xvi. Ut mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne innovatis « Et S. Gregorius l. xvii. Moral. c. v. ait « Cæli per eam, quam nunc habent imaginem, transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt » Ad

quod facit illud Ecclesiastis c. 3. v. 14. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum*.

XC. Sed an ne hæc mundi per ignem renovatio Judicium extremum præcessura erit, an vero secutura? Ea de re Doctores inter se non conveniunt, quorum alii ante, alii post Judicium hanc innovationem statuunt: Alii vero media via incedentes, ignem ante Judicium egressurum, eo Judicii intervallo progressurum, post Judicium mundi consumptionem impleturum arbitrantur. Porro ignem Judicio præiturum probat illud Psal. xcvi. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus: illuxerunt coruscationes ejus orbi terræ, vidit et commota est terra: Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra: Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.* Apostolus hoc ipsum indicare videtur 1. Cor. 3. 13. *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. Ex quibus aliisque locis communis est Doctorum sententia, ignem Judicium præcessurum. At S. August. ibid. c. xxx. post Judicium ignem arsurum putat. Et c. xviii. ait « Peracto quippe Judicio, tunc esse desinet hoc cælum et hæc terra, quando esse incipiet cælum novum et terra nova » Etsi vero ignis præcederet, nihil nocumenti inde sanctorum corpora passura docet, quæ cum resurrexerint in aera levabuntur « Talia quippe, ait, illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales et incorruptibiles facti » Hinc Patres plures ignem, quo mundus

comburetur, in homines singulos futurum divinæ justitiæ instrumentum docuerunt, secundum quod ait Apost. ibid. v. 15. *Si cujus opus aruerit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Omnes igitur per ignem transibunt, et uniuscujusque opus ignis probabit: Justi omnibus sordibus purgabuntur, ut post ultimam diem Purgatorium desinat: Qui vero maculis caruerint, minime ab igne lædentur, sed egredientur puriores. Ita Origenes *in Luc. Hom.* 14. Ambrosius in Psal. XXXVI. Hilarius in Psalt. CXVIII. Basilius in c. IV. Isaiæ. Lactantius verò L. VII. c. XXI. de hoc igne ait « Qui accepit a Deo hanc potestatem, ut impios urat, justis obtemperet » Itaque S. Thomas et alii statuunt, ab hoc igne præeunte Judicio omnes homines et bonos et improbos interimendos. Veruntamen et beatos jamdiu gloriosos, et justos omni labe immunes eodem igne minimè purgandos esse catholica fides docet.

XCI. Undenam autem educendus sit ignis ille: Alii de novo creandum volunt, alii adducendum aliunde. Qui totum mundum dissolutum iri censent, id futurum asserunt ex stellarum et solis dissolutione. Newtoniani extremum hunc mundi casum tunc futurum ajunt, cum orbium vis aut centripeta aut centrifuga extinguetur: extincta centrifuga planetæ omnes cum sole commiscentur: centripeta extincta in dissolutionem abirent. Opinantur alii, conflagrationem hanc orituram ex adaucto solis calore: alii partim ex calore solis, partim ex subterraneis ignibus repetunt. Copernicus aliique solem ad Terram nimium accedere pro comperto habent, ac telluris orbitam continuo restringi. Th. Burnetus *in Theoria sacra*

vult procedente tempore, paulatim vi solis aquis exsiccatis, terram sine humido remansuram, quam propterea subterranei ignes devorabunt et liquefacient: ignibus tandem extinctis telluris nucleus rotundus et politissimus apparebit, quæ *Terra nova* a Joanne vocetur: Aer omni materia heterogenea purgabitur et serenissimus erit, ut sol, stellæ, totumque cælum lucidiora videnda sint: Quæ ingeniosa magis quam vera sunt habenda. Remotis igitur conjecturis, scimus igne tellurem conflagraturam; sed undenam sit ignis ille educendus penes Dei Sapientiam atque omnipotentiam repositum est.

XCII. De futura novi Orbis forma ac facie inde inquiritur: Ac tellurem quidem et orbem universum elegantem, pulcherrimam et lucidam formam habiturum ex cap. XXI. Apocalypseos, et ab Isaia cap. XXX, et LX facilè discimus. Cum verò ignoremus an ibi omnia ad literam dicta sint, nequimus de hac renovatione qualitates determinare; inquiunt enim: *Nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis .... nam claritas Dei illuminabit eam.* S. Thomas censet, aquam instar crystalli nitidam, aerem limpidum instar cæli, ignem ut sol et astra rutilantem, terræ superficiem ceu vitrum pellucidam fore. Alii omnes terram pellucidam autumant præter inferos; sed alii ut Suarez usque ad infantium limbum hanc perspicuitatem extendendam ajunt; nam nimis miseri ii essent, si æternis tenebris offunderentur. Quidam cum S. Thoma volunt etiam, motum astrorum tunc cessaturum, imò nec tempus amplius futurum, cum dicatur Apocalypsis XII. *Tempus non erit amplius*. Verum hoc propriè dici

non posse videtur; quoadusque enim fuerint creaturæ, erit successio et tempus; quare ea verba alium sensum præseferre dicendum est.

XCIII. Quinam postremo futuri sint incolæ hujus renovatæ Telluris ac orbis universi interrogari solet. Qua de re, cum scribat S. Petrus Epist. 2. c. 3. 13. *Novos verò Cælos, et novam Terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat:* Et Joannes postquam Cælum novum ac Terram novam futuram asseruit, subjungat c. XXI. v. 7. *Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius;* dubium esse nequit quin justi omnes jucundam hanc mansionem immortalitate ac impassibilitate donati habituri sint, ut non modo Tellurem sed astra quæque percurrant, et opera Dei admirentur, et optime intelligant. Hinc Ps. XXVI. ait Propheta: *Credo videre bona Domini in Terra Viventium:* Et Matth. v. ait Christus D. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt Terram.* Quare ambigi nequit, quin felices isti habitatores inter se conversaturi sint, et cum beatifica Dei visione omnibus etiam creatis bonis et sanctæ illius societatis solatio sint purissimè fruituri. De hoc argumento videri potest Opus Casti Innocentii Ansaldi: *Della speranza e della consolazione di rivedere i cari nostri nell' altra vita:* Tum Vincentii Barsanti liber: *Della futura rinnovazione dei Cieli e della Terra, e de' suoi Abitatori:* ubi plura de hac re pertractata invenientur. Sed et de his consulatur Genuen. *Univ. Theologiæ Lib. VII. cap.* 3. Et Calmet *dissert. de fine et mundi statu post Judicium:* Nec non Bible d' Avignon, *dissert. sur le signe et sur la fin du Monde.* T. 13. et T. 16. Bergier *Dict. Art. Monde (fin du Monde).*

Sed increduli hæc stultè deridènt quasi nunquam futura sint. Noverint itaque plura quæ allata sunt dubio procul ad Mundi exitium esse referenda, quod aliquando futurum veteres etiam omnes et ipsi epicurei consentiebant; licet non pauca ad alios eventus et præcipue ad mortem uniuscujusque hominis pertinere etiam possint, quæ utique venit ut fur in nocte. Quare primo sibi caveant irrisores isti: Sed in his quæ de Mundi casu dicta sunt, nos certa ab incertis distinximus; nec epocham hujus eventus definivimus, Apostolo admonente: *Ne quis vos seducat ullo modo, neque terreamini, quoniam nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, cui impii omnes viam sternunt, id non continget. At Universale Judicium tandem futurum certo sciant, sicuti certa est Dei Providentia atque Justitia.

CAPUT III.

DE INFERIS LOCIS SIVE DE SUBTERRANEIS DEFUNCTORUM RECEPTACULIS.

XCIV. Loca in quibus Animæ recipiuntur post hanc vitam, hoc est vix dum a corporibus fuerint egressæ et exsolutæ, Defunctorum Receptacula vocari solent, eaque in ordinaria et in extraordinaria secernuntur. Ordinaria quinque recenseri consuevit. 1. Cælum Empyreum, quod Animas recipit mundas omnino et sanctas. 2. Sinus Abrahæ, sive Limbus Patrum, in quo ante Christi resurrectionem Animæ Justorum degebant quibus nihil supererat expiandum. 3. Limbus

puerorum, qui decedentes recipit in solo originali peccato. 4. Purgatorium, ubi Animæ detinentur alicui adhuc expiationi obnoxiæ. 5. Denique infernus sive gehenna quæ decedentes in culpa lethali excipit atque absorbet. Hæc autem Receptacula, sumpta saltem absolutè quantum ad ea quæ in ipsis Animas agere aut pati existimamus, uti fide certa creduntur; excepto Limbo Patrum quantum ad visionis beatificæ privationem, de qua certi nihil de Fide statutum est. Et quidem quantum ad Empyreum seu Beatorum sedem, hanc sæpius memoratam in Scripturis habemus, ut Psal. CXLIII. *Laudate Eum Cœli cœlorum:* Matth. v. 12. *Gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Et Ephes. IV. 10. de Christo Domino ait Apostolus: *Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes Cœlos:* Atque ita passim: in quo Patres concordissimi sunt. 2. De Sinu Abrahæ, seu de Limbo Patrum loquebatur patriarcha Jacob Genes. xxxvii. 35. cum ajebat *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* Et c. xlii. 38. ita filios alloquebatur: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*. Lucæ vero xvi. 22. inquit Christus: *Factum est, ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ*. Super quæ loca consulendi sunt Patres. 3. Limbus puerorum ex iis innotescet, quæ postea dicentur. 4. Purgatorium commonstrant Scripturæ tum *ex peccatis, quæ remittuntur in futuro sæculo*, Matth. xii. 32. tum ex suffragiis viventium, de quibus infra patebit. 5. Demum infernum gehennalem, pluribus in locis perhibent sacræ Literæ, ut Lucæ xvi. ubi de epulone dicitur, quod *sepultus est in inferno*, qui cum esset in tormentis cla-

mabat: *Crucior in hac flamma*. Ita Matth. XVIII. 8. monet Christus: *Timete potius eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*.

XCV. De singulis autem his locis cum adversus protestantes agetur, patebit, non duo tantum esse Receptacula agnoscenda, Empyreum, et gehennam, sed et alia, ac potissimum de Fide divina Purgatorium esse admittendum, ut Patres omnes et Concilia profitentur. Imo ipsimet gentiles non modo Sedem Beatorum, et impiorum tartarum constanti traditione confessi sunt, sed et ipsum Purgatorium testantur. Nec vulgus tantum, sed et nobiliores Philosophi Pythagorici et Platonici illud agnoscebant, pro peccatis nempe *sanabilibus*; quod certe ostendit, hoc dogma et ex vetusta divina traditione inter gentes diffusum, et illud rationi ipsi maximè esse conforme. Inhonestè ludunt igitur heterodoxi, cum catholicum Purgatorii dogma pythagoreum et platonicum dicunt; cum sit omnium populorum omniumque temporum. Quin Homerus ipse in quodam speciali inferorum loco eorum, qui peccassent, culpas expiari affirmat. Virgilius autem juxta S. Augustinum de hac Animarum expiatione loquitur, ubi Æneidos l. VI. v. 739. habet:

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisquis suos patitur manes: Exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.

Præter tamen ordinaria hæc Receptacula a pluribus extraordinaria quoque admittuntur, quæ scilicet,

quasi per accidens aliquas non raró animas recipiunt; ut inde fiat, quod sæpe, sicuti relatum est, mortalibus se conspiciendas præbeant. Ita in mundo hoc sunt Angeli, et Animæ beatæ. Item aër caliginosus carcer est dæmonibus non paucis usque ad diem novissimum, quæ ab Apostolo *potestates* vocantur *tenebrarum harum:* Alii præterea dæmones occupant corpora quæ obsident. Ac tandem nonnullæ animæ putantur ex divina dispensatione super terram procul a Purgatorii receptaculo temporarias pœnas luere.

XCVI. Heterodoxi non pauci ac socinianorum grex præ cæteris qui hæc ridere solent, contra hæc receptacula opponunt 1. Quod animæ non sint in loco, nec ad locum ferantur; ut ideo nullo receptaculo indigeant. 2. Quod pro bonis unum adsit Cælum; ut hinc etiam pro improbis unus infernus sit locus 3. Proferunt ex S. Gregorio, sub eodem igne peccatorem cremari, et purgari electum, quo igne cremari etiam, qui cum solo originali peccato decedunt, plures sentire; ut unus locus pro omnibus his sufficiat. Verum nimis hæc debilia sunt, ut valeant infirmare Ecclesiæ sententiam. Nam ad 1. Animæ sunt proculdubio in loco et ad locum feruntur, non quidem modo corporeo et quasi spatio commensurentur; at sunt per realem præsentiam,et modo spiritui convenienti. Itaque de Lazari anima dicitur Luc. XVI. *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ:* atque ita sanctorum animæ in Cælo esse dicuntur. Ad 2. Gloria essentialis pro Sanctis est quidem pro omnibus una ac eadem perpetua beatitudo, licet pro meritorum diversitate dicat Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; si quo minus dixis-*

sem vobis : Quia vado parare vobis locum : (Jo. XIV. 2.) ; Quare pro omnibus unum est Empyreum; Ast pœna essentialis animarum secundum quatuor diversos status diversa est, quibus propterea diversa loca respondere debent. Quo situ quidem, et quo ordine hæc loca disposita sint, non satis est exploratum ; communis tamen sententia est, ea esse a se invicem distincta ac divisa, licet inferorum nomen omnibus sit his locis commune, quæ subterranea censentur. Dum vero in Symbolo profitemur, Christum ad inferos descendisse, de Sinu Abrahæ seu de Limbo Patrum sermo est. Ad 3. dicendum, S. Gregorium loqui de eodem igne quantum ad naturam et ad mirabiles effectus, non quantum ad locum ; et cum de peccatoribus loquitur, de iis agit qui culpis actualibus detinentur, non de iis qui solo originali laborant.

XCVII. Ut autem de his locis singillatim agatur, de Empyreo hic sermo non erit, de quo infra tractandum est, ubi de Gloria Cælesti ; sed ad alia quod attinet Receptacula, ad limbum nempe ad Purgatorium, et infernum, ea in Telluris meditullio locata esse, Scripturæ apertè ostendunt, et gentium omnium consensus confirmat. Et quidem 1. hoc ipsum clarè nomen inferorum significat. 2. Christum ad inferos seu in Telluris viscera descendisse, Symbolum et Scripturæ testantur, ut Matth. XII. ait ipse: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti . . . sic erit filius hominis in corde Terræ :* Et Apost. ad Ephes. IV. 9. *Quod autem Christus ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ?* Super quæ verba ait Tertullianus *l. de Anima c.* 53. « Neque ante ascendit ad sublimiora Cælorum, quam descenderit in inferiora Terrarum, ut illic patriarchas

et prophetas compotes sui faceret : Habes et regionem inferorum subterraneam credere » Idem S. Irenæus l. v. c. 31. et Hieron. in c. Jonæ, Greg. Nyssenus Oratione 1. de Resurrectione etc. 3. S. Petrus Epist. 1. c. 3. v. 19. de Christo qui ad inferos descendit, ait : *His, qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicavit*. Et Ep. 2. c. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservati*. Denique de Sinu Abrahæ, ac de inferno apertè fit mentio in Evangelio Lucæ c. xvi. Imo de inferis ut de loco materiali in meditullio Terræ mentio fit etiam Matth. xi. 23. *Et tu Capharnaum usque ad infernum descendes.* Ut etiam Lucæ x. 15. Et Psal. xciii. 17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno Anima mea*. Sed habitare, descendere, in carcere esse etc. locum materialem designant. Imo triplicem animarum locum adnotat Apostolus ad Philipp. 2. 10. cum ait : *In Nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum*. Hinc Tertullianus l. c. *in ipsis terræ visceribus infernum* ponit. S. Cyrillus Alex. *in terrarum opacis esse* affirmat. Augustinus autem cum l. xx. de Civit. Dei c. 16. scripsisset « In qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cui divinus Spiritus revelaverit » Tamen *Retractationum lib.* 2. 24. ait « Mihi videtur dicere debuisse magis, quod sub terris sunt inferi ; quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur sive credantur » S. Gregorius M. *l.* iv. *Dialogorum c.* 42. probabilius ostendit, infernum sub Terra esse 1. Ex nomine. 2. Ex Scripturis, ut Apocal. v.3. *Et nemo poterat neque in Cælo, neque in Terra*

neque subtus terram aperire librum, *nec respicere* etc. Et Isaiæ c. xiv. *Infernus subtus conturbatus est in occursum adventus tui*. Subterranea igitur Animarum Receptacula conformia sunt legitimæ sinceræque Scripturarum lectioni, a quibus instruimur quoque Samuelem ascendentem de terra se videndum præbuisse. Ex quibus aliisque Inferni Sedes in Terræ visceribus agnoscenda est. Inauditum est igitur nullaque suffultum ratione Swindenii doctoris Angli paradoxon sedem inferni non jam in terris, at in sole ponentis, ubi et non alibi vult impios detineri æternas pœnas daturos. Huic perridiculo commento suffragati videntur Bionius et Vallius, quos Patuzzius in Opere *de sede inferni*, aliique refutarunt.

XCVIII. Præter recentem hunc Swindenium inferorum situm in sole collocantem, non defuere antiquitus, qui absurdas alias opiniones hac de re protulerunt. Ita Plutarchus, *l. De facie in orbe Lunæ*, infernum in Lunæ concavo reposuit, in caverna scilicet profundissima earum, quibus astrum illud constare arbitratus est: Rabbini nonnulli illum in loco supra firmamentum statuerunt: Anonymi alii in hemisphærio huic nostro adverso. Nec defuere, qui in cælo Martis, quod flagrare putant ardentissimo igne, locarent, et alii qui in aëre caliginoso non longe ab orbe nostro. Verum absona nec non Scripturis adversa et Ecclesiæ sensui repugnans est opinio quælibet, quæ inferorum situm in subterraneis receptaculis non collocat, uti Abulensis ostendit. Hi præterea universæ populorum traditioni adversantur, quam Orpheus cum Ægyptiis, Plato, Plutarchus, Seneca, Cicero, Lucretius, Vir-

gilius, Ovidius, et inter vetustiores Homerus et Hesiodus testati sunt. Inter Virgilii dicta celebre est illud Æneid. VI. v. 125.

. . . . . *Facilis descensus Averni,*
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est . . . .

Audiendus et Ovidius ubi Orphei ad inferos descensum describit initio lib. X. Metamorphoseon:

Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta,
Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro
Persephonem adiit, inamœnaque regna tenentem,
Umbrarum dominum, pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: O positi sub Terra numina mundi,
In quem decidimus quidquid mortale creamur etc.

Hæc et alia innumera quæ afferri possent, sine ambage ulla universalem omnium temporum omniumque locorum de locis subterraneis præseferunt traditionem, cui sine temeritate nemo sanus refragari posset.

XCIX. Interea ut de Limbo Patrum nonnulla dicantur; hunc sub nomine sinus Abrahæ justorum Animas ante Christi Resurrectionem recepisse, constat ex sacris Literis, ac distinctè ex Evangelio Lucæ c. XVI. ut vidimus. Animas ibi detentas beatifica visione fuisse expertes communis sententia est; at non est dogma Fidei, omnes omnino Animas tunc Dei visione caruisse, uti sæculo elapso ostendit Joannes Cadonici Canonicus Cremon. qua de re nonnulla alibi dicta sunt, seu *De Rebus Divinis N.* LXXXIII. Multis tamen tunc præfulsisse donis, sæpiusque eas Animas angelicis visitationibus dignatas, credendum est. Limbus verò hic locus

dictus est, quasi esset ora et extremus circulus e terræ centro remotus, quò certum est, Christum in triduo mortis descendisse, illiusque vectes ac portas confregisse, ut captivos inde omnes eduxerit cælesti quantocyus felicitate cumulandos. Nullus ergo in terræ visceribus locus amplius superest, quo justorum animæ ab omni labe purgatæ modo detineantur. Infra sinum Abrahæ subterraneus alius locus est agnoscendus decedentibus cum solo Originali peccato destinatus. Opinabatur Lauræa, parvulos hujusmodi in gehenna detrudi ab igne tamen incombustos, eo modo quo tres pueri in fornace babylonica ab igne servabantur immunes. At non est opus ad continuum illud miraculum recurrere, neque convenienter in gehenna hi pueri collocantur. Verum de horum statu sermo infra occurret. Quod superest, Calvinus utrumque Limbum explodebat; quanquam immeritò: quinimo ipsemet sui immemor alibi hunc ipsum agnoscit. Modo cætera quæ de his Receptaculis quæri possent, adeo incerta sunt et ambagibus implicata, ut in his non deceat diutius immorari. Quare et de Purgatorio, et de Inferno gehennali potissimum in pluribus articulis superest pertractandum.

ARTICULUS I.

PURGATORII LOCI EXISTENTIA DEMONSTRATUR.

C. Purgatorii nomine ex communi Ecclesiæ sensu intelligitur locus subterraneus purgandis justorum Animabus destinatus, atque a damnatorum inferno remotus. Græci in Concilio Florentino Purgatorium agno-

scebant; sed ignem ibi esse non debant; atque arbitrabantur, locum esse dumtaxat tenebricosum et laboribus plenum, ut in rei summa a catholico dogmate non discederent. Revera de Purgatorio Ecclesia non definivit, an verus et proprius sit Purgatorii ignis, et ejusdem speciei cum elementari hoc nostro. 2. Neque de loco Purgatorii quidquam definivit Ecclesia, sed tantum Purgatorium esse. 3. De pœnarnm gravitate commnni consensu admittitur, eas esse majores pœnis hujus vitæ; dubium tamen est, quomodo sit hoc intelligendum. 4. Nec est fide statutum, quanto tempore Purgatorium duret; quæ res est incertissima, ut definiri non possit.

CL. At circa Purgatorii locum famigerata controversia ab heterodoxis postremis præcipuè hisce temporibus mota est, qui nullum esse volunt purgatorium ignem pro iis justis, qui levibus culpis aut sordibus maculati nec satisfactoriis operibus expiati e præsenti vita migrarunt. Aërius fertur primus extitisse, qui Sæculo IV. hanc hæresim disseminare occœpit, qui ad Episcopatum cum ascendere ei datum non esset, ad Arianos exasperatus defecit, et Episcopatum docuit non modo a Sacerdotio non differre, sed nec pro mortuis suffragia esse facienda et oblationes, nec eleemosynas erogandas esse volebat, quod ex Augustino l. *de Hœresibus*, et ex Epiphanio discimus *Hœres.* 75. qui ea occasione animadvertunt, hanc doctrinam non modo erroneam, sed Ecclesiæ traditioni prorsus adversam. Discimus quoque ex S. Bernardo, Petrobrusianos preces et alia bona opera pro fidelibus defunctis facta derisisse, de quibus hæreticis ait *Serm.* 66. « Non credunt ignem purgato-

rium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore vel ad requiem transire, vel ad damnationem ». Ex his aliisque proscriptis hæreticis recentes heterodoxi licet inter se discordes in pluribus, concordes hunc errorem hausere; imo ex hac de Purgatorio et de Indulgentiis Ecclesiæ doctrina occasionem schismatis Lutherus et ejus propagines arripuere, et horrendam hæresim quæ usque modo perdurat et quæ perpetuo novis erroribus ac blasphemiis augetur, conflaverunt. Mirum hinc videri non debet, adversus hæc dogmata furiosè adeo debacchari et debacchatos fuisse; nam dici non posset, quantopere et quot dicteriis hanc Sanctæ Ecclesiæ doctrinam Protestantes omnes exagitaverint. Clamant nullum esse hujus dogmatis vestigium in Scripturis sacris: Hinc Dallæus *l. de fide ex Scripturis demonstrata* c. 6. hæc effutit « Miseret me adversariorum in conquirendis Scripturæ locis frustra desudantium, quibus fabulosus hic eorum ignis suscitari, accendi, foverique possit » Limborchius autem et Buddeus ex platonica doctrina dogma hoc in Ecclesiam manasse volunt, qui, uti dictum est, purgationem quandam animarum agnoscebant. Hinc Buddeus plura consarcinat de hac re *Theol. Dogm. l. 2. c. 3.* inter quæ ait: « Cum post Apostolorum discessum scripta quædam apocrypha sub nomine Jacobi, Hermæ, Andreæ procuderentur, inter alia platonica dogmata Judæis etiam probata, purgationis hujusmodi semina in iis sparsa sunt. Hæc deinceps a Patribus quibusdam eo facilius arrepta, quo majore illi honore Platonem prosequebantur. Quod certum de Origene, cui non aliæ infernæ pœnæ quam purgatoriæ . . ., eandem Origenis doctrinam secuti postea sunt in Ecclesia latina La-

ctantius, Ambrosius, Hieronymus etc. » Sensim vero, sequitur Limborchius, quæstus gratia pontificiorum ille ignis excogitatus est, et efficta indulgentiæ ». Sed non est, cur insulsè vociferentur pervicaces heterodoxi. Nam 1. hoc de Purgatorio dogma est, ut vidimus, omnium populorum omniumque temporum ac in ipsa ratione fundatur; nec ideo opus erat ut Patres a Platone hanc doctrinam arriperent, quam potius ipse uti et pythagorici ab orientalibus accepere; et Origenes probabilius ab Ægyptiis systema illud suum mutuatus est, aut verius ab Hebræis et ab Ecclesia, quod postea suo ingenio aptavit, et malè corrupit.

CII. Bene autem habet, quod novatores ipsi apertè fassi sint, doctrinam de Purgatorio jam a primis Ecclesiæ sæculis in Ecclesia invaluisse. Præterea id fatetur Calvinus ipse *l.* 3. *Instit.* c. 5. ubi scribit: « Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis » Quare non intelligitur, cur post tantam hujus dogmatis agnitam antiquitatem scribere, imo blasphemare sit ausus ibid. l. 2. c. 5. « Hoc esse exitiale satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, quod fidem nostram labefactat et evertit » Quanqam verò Lutherani ferme omnes in eandem hæresim lapsi sint, ipsum tamen Lutherum orthodoxè sensisse, liquet ex ejus disputatione Lipsiensi, ubi art. 37. ait « Ego et credo Purgatorium esse et consulo, suadeoque credendum ». Hinc alii lutherani affirmarunt, non esse a christiana pietate alienum. Malè hæc acceperunt alii, at vero alii laudarunt; ut unusquisque videre queat, quam fluctuans et inconstans sit protestantium doctrina. Atta-

men hæretici isti in *confessione Gallica Artic.* 24. contra sacram et profanam antiqnitatem hanc blasphemiam professi sunt «Purgatorium arbitramur figmentum esse ex officina satanæ profectum »At hi furiosi impostores qui hæc quasi ex tripode effutiunt non adverterunt cum ipsa justitia et cum ipsa ratione pugnare. Ratio enim ob quam Purgatorium est admittendum doctrina innititur Scripturarum de justitia divina, juxta quam *unicuique reddendum est secundum opera sua*. Sed ratio cum ipsa Ecclesia docet, quod delata per contritionem culpa, non semper tollitur, ex toto reatus pœnæ: nec etiam semper venialia dimissis mortalibus tolluntur, unde justitia exigit, ut peccatum per debitam pœnam ordinetur, ut ait S. Thomas. Et ideo qui Purgatorium negant contra justitiam loquuntur. An ne justum foret, ut peccator, qui in fine vitæ convertitur, cælesti gaudio statim fruatur, sicut ille qui toto vitæ suæ cursu sanctè ac piè vixit, et in perfecta Dei caritate decessit? Quis sanæ mentis hanc justitiæ rationem admiserit? Sed 1, Auctoritate Purgatorii existentia statuenda est.

CIII. Et quidem contra totam antiquitatem declamant heterodoxi, quæ ex Apostolica traditione hanc doctrinam professa est. Nam dicere a gentilibus eam manasse, est imperitè de primorum Christianorum indole ac moribus judicare, qui Gentilium superstitiones veluti fœdam errorum colluviem abhorrebant, ut ex libris Justini, Tertulliani, Lactantii, et Eusebii præcipue *in Præparatione Evangelica*, apparet. Itaque hi primi fideles non alios doctrinæ suæ auctores agnoscebant, quam Prophetas et Apostolos, quorum Scripta aut Traditiones diligenter inquirebant et sectabantur. Quare S.

Jo. Chrysostomus *Homil. LXIX. ad populum Antiochenum* hanc Traditionem quæ Purgatorium locum spectat disertè ita commemorat: « Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysteriorum memoria fieret eorum, qui hinc discesserunt. Noverant enim illis multum hinc emolumenti accedere ». Eandem Apostolicam Traditionem testatur Augustinus *l. de Cura pro mortuis c.* 1. scribens: « Sed etsi nunquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, Auctoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet commendatio Mortuorum » Plures alii hunc vetustum Ecclesiæ morem testantur, ut Tertullianus *lib. de Corona militis c.* 3. ubi ait: « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus » Et prosequitur c. 4. « Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix » Eusebius autem Cæsarin *l. IV. de Vita Constantini c.* 75. illius Principis funus describens, ait « Innumerabilis populus una cum Sacerdotibus Dei non sine gemitu ac lacrymis pro Imperatoris Anima preces offerebant Deo, gratissimum pio Principi officium exhibentes ». S, Cyprianus Martyr et ipse de purgatorio igne expresse loquitur *Epistola LII.* Et S. Cyrillus Hier. *Catechesi Mystagogica V.* affirmat: « Denique pro omnibus oramus, qui ante nos vita functi sunt; maximum esse credentes Animarum juvamen pro quibus offertur precatio, dum sanctum illud et tremendum Mysterium in Altari positum est » S. etiam Dionysius *l. De Ecclesiast.*

Hierarch. ita sui temporis consuetudinem refert: « Accedens venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit: precatur divinam clementiam ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in Luce statuat ac regione vivorum ». His decretoriis auctoritatibus Tertii et Quarti sæculi addendæ sunt antiquissimæ tam Orientales quam Occidentales Liturgiæ, in quibus preces et oblationes pro defunctis sæpissime occurrunt. Sed inter innumera quæ prætermittere cogimur, ut brevitati studeamus, præterire nequimus gravem auctoritatem S. Gregorii Nysseni Episcopi, qui integram *Orationem pro Mortuis* contexuit, ubi inter alia habet: « Non poterit e corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit » Et inferius sequitur « Hoc prædicamus dogma veritatis servantes, et ita credimus: Hoc etiam universalis Ecclesia tenet pro defunctis exorans, ut a peccatis solvantur ». An plura cupiunt adversarii ut antiquam agnoscant Ecclesæ fidem?

CIV. Ast hæc traditio adeo certa est et explorata, ut ipsimet heterodoxi inficiari eam non sint ausi. Verum facile illam autumant se declinare posse, impudentissime asserendo, Ecclesiam hac in re, ut in aliis non paucis, quæ ipsis non placent, errasse. Et quidem Calvinus temerè ac procaciter l. 3. Inst. c. 5. ait « Patres per tredecim et amplius sæcula in hoc aliquid humani passos esse, ideoque ad imitationem trahendum non esse, quod fecèrunt » Audacem hunc hæresiarcham alii secuti sunt, aliis tamen ab eis dissentientibus; ut enim in pluribus ita et in hoc dogmate protestantes valde discordes habemus; nam angli defunctorum Officium re-

tinuere exceptis tantum orationibus, quod tamen alii damnant. In *confessione Augustana* dicitur, non impediri preces pro mortuis, de quibus veteres locuti sunt. Grotius quoque has preces non respuit. Lutherus ajebat, criminosum non esse, pro mortuis veniam exorare. Wiclefus et Jo. Hus Purgatorium non repudiarunt. Beausobrius concedit, doctrinam de Animarum purificatione rationi consentaneam esse, Scripturis, et Patribus. Cur ergo Purgatorium tam acriter impugnatur? In promptu causa est: Ut nempe hæretici sive jure sive injuria odio insano Catholicis adversentur. Petrus tamen Vermillius Florentinus, Petrus Martyr nuncupatus, qui a Catholicis transfuga ad hæreticorum partes defecit, modestius se gessit in hac controversia in *Locis Comm.* P. 3. c. 9. inquiens « De Patribus, quid senserint hac de re, non habeo quid aliud referam, nisi majorem illorum partem in eam sententiam esse propensos, ut Purgatorium concedant; sed apud nullum memini me legisse, articulum esse fidei, ut qui secus opinatus fuerit, salutem habere non possit ».

CV. Verum Vermillius legere potuerat apud Augustinum et Epiphanium Aërii errorem inter hæreses Ecclesiæ adversas recenseri; quod Isidorus Hispalensis aliique postea fecere: poterat Patres legere Tertullianum, Chrysostomum aliosque affirmantes, hanc doctrinam et morem ab Apostolis Ecclesiam accepisse; qui præterea in suis Scriptis divinitus inspiratis huic dogmati optime favent. Cæterum divina Revelatio, ut alibi invictè ostensum est, non tantum scripta habetur, sed et præcipue tradita; atque utraque ejusdem ponderis est. Hinc, ut eruditi omnes noverunt, Doctrina Evangelica apud

innumeras Ecclesias fundata atque plantata fuit, antequam ullum extaret scriptum Novi Fœderis. Exinde Irenæus, Tertullianus, et alii priores Patres in hæreticis oppugnandis non tantum ad Verbum Dei sacris Literis comprehensum confugerunt, sed et ad Verbum Dei non scriptum ac ore traditum et in Ecclesiis Apostolicis conservatum. Hæc itaque doctrina ac fides in Synodis ab Episcopis declarata et ad examen circa illius originem revocata instar normæ erat ad Scripturarum obscuritates interpretandas juxta Apostoli monitum: *Tenete traditiones quas didicistis*. Quare Tridentini Patres sapientissimè decreverunt, Scripturas minimè interpretandas esse contra sensum constantem et uniformem Conciliorum ac SS. Patrum. Traditiones itaque hujusmodi a Christianæ Religionis initio fluentes et independenter ab ipsa Scriptura sacra fundatæ, meritò Religionis nostræ compendium haberi debent, juxta quod ambiguas ipsas Scripturas interpretari nos decet, ut non pauci etiam inter Protestantes ipsos fatentur. Jure itaque Tridentinum Concilium constantissimæ huic Traditioni ac divinis etiam Scripturis inhærens dogma de Purgatorio adversus hæreticos neotericos definivit, ac tutatum est.

CVI. Hæc itaque docet Tridentina Synodus de Purgatorio Sessione xxv. « Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex Sacris Literis et antiqua Patrum Traditione in Sacris Conciliis, et novissime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari; præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a SS. Patribus et a sacris Conciliis traditam a Christifidelibus

credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt,et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus concionibus secludantur. Incerta item et quæ specie falsi laborant evulgari ac tractari non permittant. Ea verò quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant ec. » Quo sapientissimo decreto os malignantium obstruitur, abusus eliminantur, et vera Ecclesiæ doctrina edocetur, quam hæc Synodus jam tradiderat Sess. VI. can. 30. et Sess. XXII. cap. 1 et can. 2. et docuerat Synodus Oecumenica Florentina Sessione ultima in fine *in definitione Fidei*; sive *in Decreto unionis*; nec non definierat Concilium Carthaginense III. S. Augustini tempore celebratum an. CCCCXXVIII.

CVII. Superest hanc doctrinam divinis Literis concordem ostendere. Et hoc conficitur 1. ex decretorio illo testimonio Lib. II. Machabaeorum c. XII. relato, ubi sacer Scriptor post enarratam Jamnensem pugnam, addit, Judam Machabæum duodecim millia drachmas argenti misisse Hierosolymam, ut Sacrificia fierent pro iis qui in bello ceciderant, et sub quorum tunicis inventa fuerant de donariis idolorum,quæ apud Jamniam repererant quod erat contra Legem factum; At Judas *bene et religiosè de resurrectione cogitans ... quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*, has oblationes pro his mortuis jussit ex collectis pecuniis; quare concludit sacer Scriptor: *Sancta ergo et salubris*

est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Quo ex textu plura inferuntur, et 1. Esse locum quendam, ubi animæ quæ pie decedunt, detinentur. 2. Has animas precibus et oblationibus adjuvari posse ut citius a peccatis mundentur. 3. Sanctum esse et salutarem hunc morem orandi pro mortuis. Cum autem ea sacrificia utilia non essent pro iis qui nullo peccato obstricti erant; neque pro iis qui in æternam incurrissent damnationem: sequitur pro iis fuisse utilia qui in loco quodam medio detinebantur, et quorum peccata expiari possunt, quod est Purgatorium. Cum autem hac auctoritate heterodoxi vehementer torqueantur; hinc non pauca commenti sunt, ut eam eluderent. Et 1. hujus libri divinitatem rejiciunt. 2. Ajunt, Judam referre ad generalem corporum resurrectionem illam solutionem a peccatis, quod non convenit cum nostro de Purgatorio dogmate. 3. Eos pro quibus sacrificia Judas fieri mandavit, non in Purgatorio, sed videntur fuisse in inferno, qui contra Dei præceptum Deuteron. 7. Idola secum tulerant ex templo Jamniæ, quod expilaverant; ut ob id in prælio cecidisse creditum fuerit. Et hæc quidem heterodoxi.

CVIII. At hæc validis responsionibus refutantur; Et ad 1 Immeritò heterodoxi hujus libri auctoritatem rejiciunt; ut enim habet Augustinus l. xviii. *De Civ. Dei* c. 36. licet Judæi hos libros non reciperent, at Ecclesia ab Apostolis edocta pro Canonicis habet; quare Concilium Carthaginense iii. hos libros inter divinas Scripturas recensuit an. 428. Imo et a Judæis fuisse receptos plures cum Augustino ibid. testantur, eosque pro Canonicis habuere Clemens Alexand. Tertullianus, Cy-

prianus, Hilarius, ac ipse Hieronymus postquam de Libro secundo Machabæorum dubitaverat, eum authenticum recognovit. Verum alibi horum librorum genuinitatem ac divinitatem demonstravimus. Hic tamen non est reticenda Brentii Lutherani audacia, qui in eo quod Auctor II. Libri veniam in fine petit, *si quid minus dignè narraverit*; impudenter subdit « Demus illi veniam, quod erraverit. cum suffragia pro defunctis laudavit ». At fatetur doctrinam hic de suffragiis doceri: Verum Auctor non de erroribus, sed de stilo veniam petit. Quanquam ea non erat privata Auctoris doctrina, sed publica suæ gentis sententia. Itaque hæc historia quid Judæi antiquitus senserint hac de re apertum facit, quod alia plura monumenta testantur, ut videre licet apud Voisin *in Præfatione ad Pugionem Fidei Raim. Martinii*. Nec Lex Mosaica illi adversabatur, ubi Sacrificia generatim pro peccatis totius populi tam præsentis, quam absentis ac etiam defuncti offerebantur, ut propterea Ecclesiastici VII. 37. habeatur: *Mortuo non prohibeas gratiam*; eleemosynas nempe, sacrificia et preces. Ad 2. autem dicendum, illam esse puram cavillationem; Resurrectio de qua Auctor sacer, non est resurrectio corporum interfectorum, de qua tunc sermo non erat; sed loquebatur de resurrectione animarum ad vitam, sive de earundem liberatione et solutione a peccatis, de qua supra dictum est, et de qua loquebantur Martyres Machabæi, ut vidimus; et pro qua liberatione Judas sacrificia offerebat. Ad 3. Illa adversariorum evasio excluditur a sacro Auctore, dicit enim, Judam considerasse, quod *ii qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam*

gratiam. Offerebat itaque Judas sacrificia pro iis, quos illius facinoris pœnituerat, quique morte præventi donaria illa non potuerant abjicere: vel pro iis qui ob ignorantiam deliquerant aut leviter peccaverant non putantes Deuteronomii Legem ad donaria extendi, aut esse abrogatam illa legem, cum nullum idololatriæ periculum immineret. Infirma nimis erant igitur, quæ objecta sunt.

CIX. Nec alia desunt in novo præcipuè Testamento quæ catholicum dogma confirmant; ut celebris illa Christi Domini sententia Matth. xii. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*. Hoc testimonio explicantur obscuriora quæ habentur Marci iii. 29 et Lucæ xii. 10. Inde verò Purgatorium erui ostendit Augustinus de Civ. D. l. xxii. c. 24. « Neque enim de quibusdam, inquit, veraciter diceretur, quod eis non remittatur neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro »; nempe in Purgatorio. Eandem instituit ratiocinationem S. Ambrosius *De Elia et Jejunio* c. 20. aliique. Itaque S. Bernardus *Serm.* 66. *in Cant.* « Cur hoc dixerit, inquit, si nulla maneat in futuro remissio, purgatiove peccati? » Sed et Apost. 1. Cor. 3. v. 15. ait: *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Super quæ verba Augustinus *in Psalm.* xxxvii. « In hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit ». Hoc igitur dogma et Scripturis, et Patribus, et ipsa naturali ratione roboratur. Nec nova-

tores objiciant; Christum pro peccatis nostris plenè satisfecisse; ut iniquum sit, Animas in ejus caritate morientes iterum cogere ut satisfaciant, et pro suis peccatis pœnas luant: Non hæc, inquam, opponant, cum sit Ecclesiæ doctrina, pœnam æternam peccatis post baptismum patratis debitam in temporalem commutari, quam Animæ dare debeant vel in hoc sæculo vel in futuro. Hinc in Trid. Concil. Sess. VI. can. 30. decernitur: « Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Cælorum aditus patere possit, anathema sit » Quæ igitur animæ non plenè hîc satisfecerunt, superest ut id in Purgatorio adimpleant; quibus accedit venialium pœna quæ temporalis est, et quam si non pœnitentia, ignis probabit.

ARTICULUS II.

DE PURGATORII NATURA EJUSDEMQUE CONDITIONIBUS.

CX. Purgatorium locum esse aut statum, in quo Justorum Animæ post mortem pœnas luunt temporales suis peccatis debitas donec ab iis penitus mundatæ in Beatorum recipiantur cœtum, luculenter jam demonstratum est. Ibi remissa culpa lethalis peccati per Pœnitentiæ Sacramentum, non semper tota remittitur at manet sæpius saltem ex parte pœna temporalis satisfacienda

Itaque Adam, quem ut Sap. X. habetur eduxit Deus a delicto suo, pœnas temporales persolvit: Moyses et Aaron ab ingressu Terræ promissionis exclusi sunt, quod *increduli fuerint ad aquas contradictionis*: David cujus peccatum Deus transtulit, a temporali pœna luenda non fuit exceptus. De ipso hæc habet S. Gregorius L. IX. Moralium c. 27. « Nequaquam peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta relaxatur. Sic David post confessionem audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum; et tamen multis post cruciatibus afflictus, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit ». Concilium itaque Tridentinum Sess. VI. cap. 14. docet « Satisfactionem, jejunia, orationes et alia vitæ spiritualis exercitia præstari, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ ut sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in Baptismo, dimittitur » *Non semper*, dictum est, quia tam vehemens aliquando esse potest pœnitentis contritio, ut tota temporalis remittatur pœna. Cum igitur in sacris Literis dicitur, pœnitentium peccata non imputari, eaque deleri, de pœna æterna est id intelligendum, non de temporali, qua licet adæquate ac ad justitiæ rigorem pro peccatis satisfacere nequeamus; sufficit tamen ut inadæquatè et quantum possumus, id cum bona voluntate præstemus.

CXI. Adversarii tamen contra tam claram Purgatorii naturam, et apertas de eo doctrinas futilia quædam objicere pergunt; ut cum ajunt, Psalmo CXXVI. haberi « *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hær editas Domini* » Non igitur Purgatorio relinquitur locus. Et

Ecclesiastici xxi. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Nullus ergo, inquiunt, locus medius; quod confirmant ex illo capitis ix. 10. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Quæ quidem nullius sunt pretii, ut hoc dogma infirment. Nam ad 1. Ipsimet protestantes locum agnoscunt, in quo justorum animæ degunt, donec beatifica Dei visione post extremum Judicium donentur. At juxta nos, textus ille, aliique similes, de iis intelligendus est justis, quibus nihil luendum superest; *non enim intrabit in eam aliquod coinquinatum*, ut Joannes in Apocal. habet. Alias quoque interpretationes locus ille suscipere posset. Verum ipsemet Psalmista justos ita loquentes inducit Psal. lxv. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*; quæ ab Origene et aliis Patribus de Purgatorio accipiuntur. Ad 2. Locus ille in adversarios retorqueri posset. Verum ille textus vel de statu gratiæ et salutis in quo homines decedunt intelligendus est, aut de damnationis æternæ: Vel de finali sententia præmii aut pœnæ, ut Augustinus interpretatur. Ad 3. testimonium; clarum est, ibi affirmari, locum merito amplius nullum esse in altera vita, sed tantum satisfactioni aut præmio, ut sentiunt omnes; hinc et Apostolus monet: *Dum tempus habemus operemur bonum*. Quidam proferunt quoque illud Augustini ex *l. Hypognostici* ubi dicitur « Tertium locum penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis Sanctis penitus invenimus » At hic liber non est Augustini, qui alioquin sibi contradiceret: Verum

textus de locis æternis, non de temporariis accipiendus est. Protestantes præterea vim faciunt in iis Christi verbis: *Venite benedicti... Ite maledicti*; quibus sane imperitis imponunt, cum ibi agatur de extremo Judicio quando omne desinet Purgatorium; et si qui supererunt purgandi, igne mundabuntur postremæ conflagrationis, ut alibi dictum est.

CXII. Alia quoque proferunt ex suis erroribus; ut cum ajunt, justos ex hac vita discedere plene purgatos, juxta Jo. 1. Epist. c. 1. 7. *Sanguis Jesu C. Filii Dei emundat nos ab omni peccato:* et juxta Apostolum ad Hebr. X. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:* Et ad Rom. VIII. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Qui intelligere nolunt, hæc omnia esse dicta de gravioribus culpis ac de pœna æterna; non de venialibus ab ipsis justis sæpe neglectis; nec de satisfactoriis operibus, quæ nequidquam derogant valori infinito Sanguinis Christi, qui nos ab omni peccato mundare potest, sed ex Dei justitia nobis per Sacramenta applicari debet et per pia opera nostra. Quod ni ita esset, illud sequeretur absurdum, ut etiam impiorum peccata deleta essent, nec eis superesset ulla punitio. Si quid igitur perfectæ caritatis defuit justis, purgatorii pœnis expiari debet. Hoc sensu in suis afflictionibus ajebat Apostolus ad Coloss. c. I. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:* Nec tamen verebatur infinitum pretium evacuare Crucis Christi. Itaque cum ait: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:* pretium infinitum et perpetuum designat hujus Hostiæ

quæ ad omnia sufficit delenda peccata, ad discrimen oblationum Veteris Legis, quarum plures requirebantur, ut omnia peccata auferrent. At Hostia a Christo oblata tolluntur peccata omnia, quoties adhibeantur ea media, quæ Deus ipse sancivit; Alioquin nec bonis operibus opus esset, nec actibus Fidei, Spei, et Caritatis. *Nihil quoque damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. Verum subdit Apostolus: *Qui non secundum carnem ambulant*: In quibus propterea per fidem, dilectionem, et Baptismum nec originalis culpa invenitur nec actualis. At si nonnulli venialibus culpis inquinati sint, iis quidem perpetuò non damnabuntur, at purgatorio igne expiandi erunt; *ipsi enim salvi fient*, ait Apostolus, *sic tamen quasi per ignem*.

CXIII. Circa pœnas vero, quas Animæ patiuntur in Purgatorio detentæ; constat apud catholicos omnes, eas beatifica Dei visione ad tempus destitui; de qua pœna dicitur Proverb. XIII. *Spes quæ differtur affligit animam*. Constat præterea, pœnam sensibilem illas in suis facultatibus pati, ut habet Apostolus: *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Licet autem de fide non sit, nec in confesso apud omnes Catholicos habeatur, Purgatorii ignem esse corporeum; ex communi tamen fere omnium sententia admittitur corporeus ignis; imo ajunt nonnulli, id esse fidei proximum 1. Quia est communior SS. Patrum doctrina Origenis, Cypriani, Hieronymi, Augustini, aliorumque, quos laudat Bellarminus. 2. Quia hæc est communis sententia antiquorum sicut et recentium Theologorum, quorum concordiam contemnere temerarium foret. Ea quidem de re disputatum fuit in Florentino Generali Concilio

cum Græcis, qui purgatorium ignem esse nolebant, sed obscurum quendam locum doloribus plenum. Hæc tamen controversia cito expedita est, et Græci tandem ita de Purgatorio locuti sunt, quod quidem « Sive ignis, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, non putamus referre ». Ecclesia verò nihil de hac re, nec in Tridentino, quidquam definire voluit; omnia tamen in suis precibus comprehendere voluisse videtur, cum Deum orat, ut illis Animabus *det refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem*. De Purgatorii loco nihil quoque pronuntiavit Ecclesia, licet communior Theologorum sententia illud in Terræ visceribus collocet; cui obstare videntur narrationes nonnullæ S. Gregorii, S. Petri Damiani et aliorum; qui extraordinarii casus esse potuere. Probabile verò est e suis locis eas animas egredi, et ex divina dispensatione hominibus apparere, ut a suo tamen purgationis statu nisi tempore statuto egrediantur.

CXIV. Quantum ad pœnarum gravitatem ac diuturnitatem Purgatorii quidquam definiri nequit; ambigere tamen posset nemo, illas ut plurimum esse gravissimas. Ea de re Augustinus in Psal: XXXVII. habet « Quia dicitur *salvus erit quasi per ignem*, contemnitur ille ignis... gravior tamen erit, quam quidquid potest homo pati in hac vita » S. Thomas *in IV. Senten. distin.* 21. *q.* 1. congruis rationibus ostendit, has pœnas quascumque excedere pœnas vitæ hujus. Recte itaque Ecclesia fideles adhortatur ad opera satisfactionis subeunda in præsenti vita, eisque sedulo commendat Indulgentiarum usum, quibus eæ remittantur pœnæ. Dubium tamen est, quonam sensu sit intelligendum, eas pœnas illis hujus vitæ

esse majores. S. Bonaventura id vult eo sensu, quia maxima Purgatorii pœna est major, quam maxima vitæ hujus; licet aliqua reperiatur minor aliqua pœna hujus vitæ. Quæ sententia probatur. Quod ad diuturnitatem spectat, res est incertissima, inquit Bellarminus, nec nisi temere statui posset. Certum tamen est, pro diversis animarum reatibus fore longiores aut breviores. Videtur Apostolus peccata purganda comparasse lignis, fœno et stipulæ (1. Cor. 3. 12.), ut sicut ligna diutius ardent, quam stipulæ aut fœnum, ita et peccata quædam præ aliis tardius purgabuntur. Maldonatus opinabatur, non ultra decem annos ob pœnarum acerbitatem in Purgatorio animas detineri; quod et clementiæ divinæ conveniens arbitrabatur. Tutius tamen est dicere, id soli Deo notum esse, cujus justitiæ ac misericordiæ regulæ a cogitationibus nostris sunt remotissimæ. Et quidem S. Augustinus *l. IX. Confess. c.* 12. pro matre sua S. Monica, quæ jam ab anno trigesimo obierat, Deum exorabat, aliosque ut pro ea orarent, sollicitè hortabatur. Quare et Ecclesia Anniversaria probat quæ in multos annos et etiam in perpetuum pro defunctis instituuntur; et Alexander VII. illam propositionem proscripsit n. 43. qua dicebatur « Annuum legatum pro anima relictum non plus durat quam per annos decem ».

CXV. Quæsiverunt nonnulli, an Animæ in Purgatorio detentæ dæmonum potestati qui sunt divinæ justitiæ ministri, subjaceant? At licet alii id senserint; plurimi tamen cum S. Thoma id minime congruum existimarunt, cum hæ Animæ sint in Dei amore constitutæ, et sint extra statum viæ, quando permittitur dæmonibus, ut Dei amicos exerceant « Injustum est, ait S. Th. ut qui de dæ-

monibus triumphavit, eis post triumphum subjectus fiat. Sola itaque divina justitia electi post vitam purgantur, non dæmonum ministerio, quorum victores fuere: nec ministerio Angelorum, quos cives suos affligere minimè decet; licet probabile sit, quod eos ad loca pœnarum ducant, non affligendo, sed solando. Quæsierunt alii, an in Purgatorio animæ dubitent de assequenda felicitate. Sed hoc affirmavit Lutherus, qui eas incertas fecit de sua salute, licet postea Purgatorium omnino sustulerit. Verum eam opinionem Leo X. cum aliis articulis reprobavit, et quidem meritò: Nam eum post mortem statim judicium sequatur, unaquæque anima Judicis sententiam audiet. Præterea sentiunt hæ Animæ, se fidem, spem, et caritatem habere, ac Deum super omnia diligere, et patienter pœnas sustinere, ac æternam expectare felicitatem; quæ omnia suadere eas debent, se in statu gratiæ divinæ morari. Itaque Ecclesia *in Canone Missæ* de iis affirmat, *quod dormiunt in somno pacis, et in Christo quiescunt*. Hinc S. Hieronymus de his Animabus illa explicat Michææ verba c. VII. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: Consurgam cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet et faciat judicium meum: ducet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Consulendus Bellarminus *de Purgatorio l. 2. c. 4.* ex quo apparet sententiam hanc ad fidem non pertinere, cum affirmet, quosdam esse catholicos putantes varias esse in Purgatorio pœnas, ac unam esse omnium maximam, dubitationem nempe de propria salute, qua ambiguitate, ajunt, nonnullas tantum animas mulctari et laborare. Alii tandem

ex adverso quærunt: Num Purgatorii pœna animabus sit voluntaria? Quibus satisfacit S. Thomas duplex voluntarium distinguendo: 1. Quod fit *voluntate absoluta*; et sic nulla pœna est voluntaria; quia ex hoc est ratio pœnæ qua voluntati adversetur: Alio modo, *voluntate conditionata*, sicut ustio est voluntaria propter sanitatem consequendam; et sic aliqua pœna potest esse voluntaria dupliciter, 1. quia per eam aliquod bonum acquirimus, ut in satisfactionibus et in Martyrio contingit: Alio modo, quia quamvis per pœnam nullum nobis bonum accrescat, tamen sine pœna ad bonum pervenire non possumus, sicut patet de morte naturali; et tunc voluntas non assumit pœnam et vellet ab ea liberari; sed eam supportat, et quantum ad hoc voluntaria dicitur, ut sic Purgatorii pœna voluntaria sit, quamvis cupiant et petant Animæ ab ea liberari; ut hinc viventium suffragia eis maximè grata ac salutaria sint, de quibus nonnulla modo dicenda. De hoc argumento præter Bellarminum, Gazzanigam, aliosque, videnda Dissert. Calmeti de veterum hebræorum sententia, cui titulus, *De Natura Animæ et ejus post mortem statu.*

ARTICULUS III.

DE SUFFRAGIIS VIVENTIUM ERGA DEFUNCTOS IN PURGATORIO DETENTOS.

CXVI. Defunctos in Purgatorio detentos fidelium suffragiis juvari dogma fidei est, ut supra adnotavimus N. CVI. Idque 1. S. Augustinus ostendebat *l. de Cura pro mortuis c.* 1. tam ex sacris Literis, ex libro nempe

Machabæorum ; quam ex Ecclesiæ praxi ac Traditione. Itaque *Sermone CLXXII. de Verbis Apost.* hoc ipsum confirmans ait « Orationibus sanctæ Ecclesiæ, et Sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa servat Ecclesia »; et quæ sequuntur. Et *in Enchiridio N.* 110, *alias c.* XXX. scribit : « Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro iis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt ». Additque hæc bona opera, quæ pro animabus purgantibus fiunt esse propitiationes. 2. Eadem est omnium Patrum concors sententia ; nam præter Tertullianum, Cyprianum, Eusebium aliosque jam relatos, Ambrosius *in Oratione funebri de Obitu fratris sui Satyri* habet : « Tibi nunc Omnipotens Deus innoxiam commendo Animam: Tibi Hostiam meam offero : Cape propitius ac serenus fraternum munus, Sacrificium Sacerdotis » His similia profert S. Antistes *in Orat. de Obitu Valentiniani Imp.* tum in aliis *de Obitu Gratiani et Theodosii*. Item S. Hieronymus Epist. LXVI. Pammachium laudat, quod Animam Paulinæ eleemosynis satageret adjuvare ac subdit « Cæteri mariti super tumulos conjugum spagunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur : Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat. . . sciens scriptum : sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum (Ecclesiast. 3. 33.) Epiphanius vero Hær. 75. ait « Quæ pro mortuis con-

cipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant » Itaque Tertullianus *l. de Monogamia* habet: « Vidua pro anima viri sui orat, et refrigerium interim adpostulat ei ». Et S. Cyprianus Epist. LXVI. prohibet pro Victore defuncto Sacrificium offerri, eo quod contra legem egisset. Sed et S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ testatur, cum Psalmorum cantu et precibus exequias fuisse celebratas defunctorum; et juxta S. Jo. Chrysostomum solebant pro defunctis convivia dari pauperibus. Imo antiquus Auctor Hermas qui ante medietatem Sæculi II. florebat, in lib. qui *Pastor* inscribitur, apertè de Purgatorio et suffragiis loquitur, qua de re etiam S. Justinus Martyr persuasus erat.

CXVII. Abunde, quæ delibata sunt, sufficiunt; at præstat hanc praxim et Conciliorum auctoritate, et ex ipsa ratione evincere. Nam ex Concilio Bracarensi I. habetur, quod ut de suffragiis participes fierent, curabant, qui obibant, ut in Cœmeteriis juxta Basilicas Martyrum sepelirentur, ac in ipsis quoque Basilicis, ut ex Conciliis aliis colligitur. Alia plura congeri possent ad hanc Ecclesiæ doctrinam et praxim laudabilem confirmandam, ut evincatur quam sapienter Generalia Concilia hæc definiverint. Florentinum enim, cui Græci subscripsere, hæc in definitione Fidei habet: « Item si vere pœnitentes in Dei Caritate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis; eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum

Ecclesiæ instituta » Hinc Tridentinum præter ea quæ supra allata sunt, habet Sess. XXII. can. 3. « Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit « Denique huic praxi venerandæ ratio ipsamet astipulatur: Cum enim noverimus, Animas esse immortales, quidquid de earum statu opinemur, a natura ipsa pro earum quiete impellimur vota concipere: Hinc veteres illæ formulæ « felix vivas », sit tibi terra levis » et aliæ similes. Ipsa igitur natura ad hanc nos pietatem inclinat; ut non mirum sit, eam ubique terrarum vigere et viguisse, cum veluti digito Dei sit in hominum cordibus insculpta. Igitur tantum abest, ut Christi fideles doctrinam hanc a Gentilibus mutuati sint, ut ex primitivis potius traditionibus in omnes gentes manasse credere debeamus, ac rationis lumine ad id fuisse homines directos et confirmatos. Omni revera humanitatis sensu exuti sint, necesse est, qui hanc praxim contemnunt. Quid? Non ne ipsi heterodoxi qui hæc vota et suffragia vituperant, dum caros suos amittunt, nequeunt se quin vota concipiant continere? Hæc natura ipsa ab eis postulat, et quasi ab invitis extorquet. Hi ergo et omnium consensioni, et naturæ contradicunt, ac SS. Religioni.

CXVIII. Sed jam protestantes audiantur, qui contra tantam nubem testium argutari audent, et contra ipsam suam conscientiam pugnare, dum hæc suffragia rejiciunt ac damnant. Ajunt 1. Apostolum 2. Corinth. c. v. docuis-

se, unumquemque accepturum in judicio ut meruit: *Omnes manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Et ad Galatas VI. *Unusquisque onus suum portabit.* In quem locum scribit Hieronymus: « Dum in præsenti sæculo sumus . . . invicem posse nos coadjuvari: Cum autem ante Tribunal Christi venerimus non Job, non Daniel, non Noe rogare posse pro quopiam, sed unumquemque portare onus suum » 2. Similia habere alios Patres, ut Cyprianus *ad Demetriadem Tr.* 1. « Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus » Ita Ambrosius *De Bono mortis* c. 2. Chrysostomus vero *Hom. de Lazaro*, ait « Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere... neque enim qui in hac vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt » Non ergo, ajunt, suffragiis erit locus. At malè hæc hæretici accipiunt. Nam illud Apostoli Augustinus jam præoccupaverat *in Enchir. n.* 110, scribens « Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari . . . Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: Omnes enim astabimus ante Tribunal Christi etc. Quia etiam hoc sibi meritum quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei possint ista prodesse » Etsi ergo Animæ suffragiis juventur, semper referunt quæ in vita egerunt; cum hoc oriatur a statu gratiæ in quo decessere, qui status secum trahit effectus Communionis Sanctorum. Alterum Apostoli testimonium innuit, nos non de alienis, at de propriis actibus rationem esse redditu-

ros, ut ex contextu liquet. Ad Patres quod attinet, de pœnitentia et conversione intelligendi sunt, qua homines fiunt de malis boni; quæ pœnitentia certe in futuro sæculo locum non habet. Hinc ibi Cyprianus dixerat: «Hortamur vos, dum adhuc aliquid de hoc sæculo superest, Deo satisfacere, et ad veræ Religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere» Ita Ambrosius et Chrysostomus de peccatis lethalibus apertè loquuntur. S. vero Hieronymum de damnatis loqui manifestum est; Nam *in Ezech.* l. IV. c. 14. eadem repetens, ait: « Quid dicendum de iis, qui putant, merito parentum atque virtutibus posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? » De impœnitentibus ibi ergo sermo est.

CXIX. Binghamus *in Originibus Eccles.* l. XV. c. 3. Infirmare nititur argumentum ex antiquis Liturgiis ad hanc rem desumptum, dicens, contineri in iis preces etiam pro sanctis, neo ipsa excepta B. Maria V. 2. In Liturgia latina vult preces inveniri etiam pro damnatis, quibus nequeunt prodesse, ut cum oratur, ut liberentur *de morte æterna in die illa tremenda*. Verum decipitur Joseph Binghamus, ut patet ex formularum diversitate; Nam fit Sanctorum memoria non ad opem ipsis ferendam, sed potius ab iis opem implorandam, et ad celebrandam eorumdem gloriam: ita in S. Leonis Sacramentario dicitur «Quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.» In Liturgia S. Jo. Chrysost. habetur offerri Sacrificium « in honorem et memoriam gloriosæ Reginæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ, cujus precibus suscipe Domine, sacrificium istud » Et in Liturgia S. Basilii « Quo-

rum precibus et intercessionibus nostrum miserere ». Non inficiamur tamen pro sanctis Confessoribus aliquando oratum fuisse, cujus exemplum suppeditabat olim Missa S. Leonis M. in qua legebatur « Annue Domine ut Animæ famuli tui Leonis hæc prosit Oblatio « quæ postea immutata sunt; at in Secreta etiam modo legitur, «Ut per hæc piæ placationis officia et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona concilient « Itaque observare licet cum Card. Bona *l.* 2 *Rerum Litur. c.* 14 id ex antiqua ortum esse Ecclesiæ disciplina, quando solis Martyribus solemnis cultus concedebatur: reliqui vero præsertim Episcopi sacris defunctorum tabulis inscribi et promiscue legi consueverant, ut nullum esset discrimen inter illos, et eos qui Sancti postea nuncupati sunt. Tunc ergo cum nulla adhuc Ecclesiæ declaratione constaret, quinam suffragiis viventium non indigerent, sacrificia pro omnibus indiscriminatim offerebantur, ut vidimus Augustinum erga S. Monicam egisse. Itaque illa oratio forsan dicebatur cum S. Leonis depositio recens facta fuerat, ac inde in ejus Missa retenta, nisi eam cum Innocentio III. interpretari velimus, ut oblatio illi prosit ad honorem, ac ut magis a fidelibus glorificetur ». Ad id quod 2. loco opponebatur, jam supra responsum est. Orat itaque Ecclesia pro suis fidelibus, ne in tremendo judicii die simul cum reprobis inveniantur; quæ preces ad illud instans referuntur, quo Animæ ex hac vita migrarunt, quas preces cum Deus ab æterno prænoverit, sperat Ecclesia defunctis in illo instanti profuisse, licet eorum sors cum funduntur preces decreta jam sit.

CXX. Cæterum mortuorum suffragia præter aucto-

ritatem Libri Machabæorum supra relatam, alia indicant Scripturarum loca, uti Tobiæ c. IV. 18. ubi filiolum monet: *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus:* Quæ adhortatio nequit certe superstitionem sapere, sed præcipiebat elargitionem pauperibus faciendam in mortuorum suffragium et solamen. Ait etiam Dominus Lucæ XVI. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula:* Quæ de Purgatorii animabus melius intelliguntur quam de indigentibus, qui nos in cælum non semper recipere valent: Præterea Apostolus, ut spem ostendat quam habemus futuræ Resurrectionis, comprobat id ex usu quem habebant Judæi se purificandi, vel alia opera satisfactoria peragendi pro mortuis, inquiens 1. Corinth. c. XV. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Quid et baptizantur pro illis?* Quod utique Apostolus minimè improbat, sed laudat potius, eo quod spem resurrectionis inde profiterentur. Videnda ea de re Dissert. Calmeti *De baptismo pro mortuis;* nec non alia ejusdem argumenti *in Biblia Avenionensi* Tomo XV.

CXXI. An vero hæc suffragia defunctis prosint titulo Misericordiæ, an Justitiæ Dei, non consentiunt Theologi inter se; utrum nempe eis prosint per modum simplicis impetrationis, sive titulo tantum divinæ misericordiæ ac per modum suffragii et de congruo; An vero per modum satisfactionis, sive prout sunt opera satisfactoria in rigore sumpta, ut vim impetrandi habeant ac debitum solvant. Plures sentiunt has satisfactio-

nes esse tantum ex Dei misericordia et per modum suffragii; nam 1. Nulla de hac applicatione extat promissio aut pactum divinum. 2. Ecclesia Deum orat, ut hæc suffragia acceptet pro defunctis; quod est argumentum, esse opus misericordiæ. 3. Animæ in Purgatorio existentes jam extra forum Ecclesiæ sunt, ac pertinent tantum ad forum Dei. Cum ergo incertum sit, an ea promissio adsit, verisimilius est respectu defunctorum nullam adesse, maximè cum nulla id ratio ostendat. 4 De his satisfactionibus et Indulgentiis dici solet, animabus Purgatorii prodesse per modum suffragii; unde infallibilis applicatio excludi videtur. 5. Si esset id infallibile, necesse foret, ut intercederet lex divina et promissio, cum id in nullo alio fundari possit. Revera mereri et satisfacere de condigno pro alio, proprium fuisse censetur tantum Christi Domini; quare satisfactiones nostræ pro aliis non sunt de condigno, sed ex libera acceptatione ipsius Dei, quæ fundari etiam potest in aliqua congruitate ex parte offerentis; at non erit acceptatio certa. Quod si ita est erga viventes alios, longius aberit a Fide, posse viventem pro mortuis satisfacere, nisi per modum suffragii et orando. 1. Itaque de fide non est, suffragia quæ pro defunctis fiunt, certa lege illis prodesse. licet probabile id sit. 2. Nec de fide est, remissionem fieri purgantibus animabus per applicationem nostrarum satisfactionum, sed per modum inpetrationis suffragia illis prodesse. 3. Nec est de fide, sacrificium Missæ *ex Opere operato* certa lege id operari. (*) 4. Quamvis autem de fide non sit, Missæ Sa-

(*) Hanc phrasim *ex opere operato* suggillant hæretici et etiam grammatistæ nonnulli, quod a Scholasticis in sensu passi-

crificium certa lege et promissione semper operari remissionem pœnæ circa defunctos in Purgatorio existentes, sed illis ad hunc effectum solum valere per modum suffragii; communis tamen et vera sententia contraria est. Cæterum cum sit communis fidelium sensus, ut non unicum sacrificium postulent pro animabus suis sed plura, cui praxi Ecclesia consentit; hinc fit, non constare, quod sacrificia infallibiliter a Deo acceptentur pro illis singillatim pro quibus offeruntur; aliàs unico Sacrificio quilibet contentus esset, quod et de aliis operibus satisfactoriis dicendum est. Congruum tamen divinæ misericordiæ videtur, ut oblatæ satisfactiones pro animabus purgantibus alicui semper ex illis prosint.

CXXII. Cum vero purgantes animæ non sint amplius in statu viæ, qui status ad meritum sive de condigno sive de congruo requiritur; hinc certum est, eas nec mereri nec demereri posse ullo modo. Fuit autem Lutheri error, has animas posse mereri aut demereri, quem oppugnant Scripturæ et Patres: Nam Jo. IX. ait Dominus: *Venit nox in qua nemo potest operari:* Et S.Hieronymus explicans illud Eccles. IX. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*; inquit hoc in lo-

vo usurpata sit ea vox, cum tamen sit participium verbi quod in sensu activo tantum adhiberi possit. Verum apud veteres rarò licet in passivo quoque usurpatum habetur, ut cum Tibullus l. 2. Eleg. I. scribit:

Luce sacra requiescat humus, requiescat Arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus..
Omnia sint operata Deo, nec audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

(Videatur Rob. Stephanus *Thesaurus Linguæ Latinæ T.* 3. *Voc.* Operor).

ço « Mortui nec justè possunt agere, nec peccare » Atque ita passim alii Patres. Utrum verò pro viventibus orare possint, nulla videtur difficultas adesse, cum Dei caritate ornentur, nostramque salutem et suorum potissimum ament; licet earum preces ne quidem de congruo meritoriæ sint, neque vim habeant impetrandi. Hoc tamen non impedit, quin Deus ex sua clementia ac liberalitate illas exaudiat, uti Sanctos exaudit in cælo regnantes. Popularis tamen usus eas invocandi ut invocamus Sanctos a gravissimis Theologis improbatur, cui usui minimè favet Ecclesia, quæ orandum quidem præcipit pro animabus illis, non vero invocandas esse hortatur. Quare ne popularis hæc invocatio in superstitionem abeat, Ecclesiæ ministri observent attentè. Queunt etiam, uti dictum est, hæ animæ hominibus apparere, si Deus veniam faciat et potestatem det. Verum frequenter id contingere, minimè tenendum.

ARTICULUS IV.

DOCTRINA CATHOLICA DE INDULGENTIIS, QUAE ET ANIMABUS PURGANTIBUS APPLICARI QUEUNT, EXPONITUR.

CXXIII. Cum Indulgentiæ, sicut consuetudo in Ecclesia viget, non viventibus modo fiant, sed et defunctis in Purgatorio detentis posse applicari concedatur; hinc opportunè Catholica doctrina de Indulgentiis hoc in loco tradetur, et quanam ratione et forma his animabus prodesse queant declarabitur. Hic itaque in limine adnotandum, *Indulgentiæ* ac *Remissionis*

nomina uti synonima apud latinos haberi; quod fit etiam in Sacris Literis; nam ubi Isaiæ c. LXI. legitur: *Spiritus Domini super me ... ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam:* id vertitur a S. Luca c. IV. *prædicare captivis remissionem.* Hæc autem est de Indulgentiis Ecclesiæ Doctrina in Conc. Tridentino Sess. XXV. exposita his verbis: « Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Domino Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat qui aut inutiles esse asserunt, aut eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus verò qui in his irrepserunt et quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur ... statuit, omnino abolendos esse etc. « In Professione autem fidei habetur » Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo ». Hæc itaque est Ecclesiæ doctrina.

CXXIV. Generatim vero Indulgentiæ nomen significat juris alicujus remissionem seu relaxationem, atque hic sumitur pro remissione pœnæ temporalis quæ luenda superest post condonatum reatum culpæ ac pœnæ æternæ; definiturque « *Remissio major vel minor*

pœnæ temporalis, quæ post culpam et pœnam æternam condonatam luenda superest, extra Sacramentum ab eo data coram Deo, qui potestatem habet dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum ». Culpa itaque et pœna æterna per Indulgentias non relaxantur, ac distinguitur indulgentia a remissione quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ, assignaturque Minister, Pontifices nempe et Episcopi. Distinguitur autem in *Plenariam* sive totalem, et in *Partialem :* ut illa sit omnium pœnarum, hæc quarundam tantum. 2. Alia est *Indulgentia Jubilæi*, *alia ad formam Jubilæi :* illa certis temporibus et peculiaribus privilegiis insignitur; hæc extraordinario tempore conceditur, et minoribus privilegiis gaudet. Præterea Indulgentia alia est *temporalis*, quæ certo temporis spatio conceditur : alia *perpetua*, seu sine temporis limitatione : Item alia *personalis* quæ alicui personæ datur, uti profitenti Religionem seu institutum Regularem approbatum : alia *Localis* alicui loco addicta : et alia *Realis*, alicui nempe rei, seu materiæ annexa uti *Rosario*.

CXXV. Antiquitus contra Indulgentias Montanistæ stetere, ac subinde sæculo IV. Novatiani. Deinde Valdenses sæc. XII. qui temere asserebant, Indulgentias omnes nullius adjumenti esse populo Christiano. Hinc Wiclefus XIV. labente sæculo, cujus assertum « fatuum est credere Indulgentias » Synodus Constantiensis damnavit. Tandem Martinus Lutherus sæc. XVI. aegrè ferens, quod Leo Papa X. Indulgentiæ publicandæ officium non suis Augustinensibus, sed Dominicanis demandasset, odio et invidia excandescens Indulgentias hostiliter aggressus est, easque pias fidelium fraudes dictitabat : Calvinus et reli-

qua illa septentrionis colluvies eundem secuti sunt. At quanta cum injuria est modo ostendendum: Nam 1. Origo Indulgentiarum seu condonationum pœnarum temporalium ab Apostolis ducitur, et a potestate Ecclesiæ a Christo facta *ligandi atque solvendi*. Cum enim dogma Ecclesiæ sit, remissa culpa et pœna æterna, non semper remitti pœnam temporalem peccatis debitam (Trid. Sess XIV. can. XII.); congruum autem Ecclesia aliquando judicaverit ad pœnitentium levamen et ad eorum spem erigendam de pœna hac temporali remittere, hinc Indulgentias elargiendi origo fuit. Apostolum Paulum illa primitus usum fuisse erga incestuosum Corinthi, quem a fidelium communione semoverat, ac post annum luctus et pœnitentiæ Ecclesiæ reconciliaverat, legimus 2. ad Corinth. c. 2. 10. ubi ait: *Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi:* Id est Christi nomine et auctoritate: ex quo liquet, non tantum coram Ecclesia, sed et coram Deo indulgentiam impendi. Hujus Indulgentiæ exemplum dederat quoque Christus Dominus cum mulierem adulteram a culpa et a pœna temporali absolvit, inquiens Jo. VIII. 11. *Nec ego te condemnabo: vade in pace, et jam amplius noli peccare.*

CXXVI. Cum verò contigisset, ut Montanistæ et Novatiani Sæc. III. et IV. falso zelo adducti contra facilitatem declamarent, qua Episcopi peccatores Ecclesiæ reconciliabant et absolvebant, ad eorum sedandos clamores Canones Pœnitentiales conditi fuere. Verum non rarò de illorum rigore Episcopi remittebant erga pœnitentes qui veræ conversionis signa dabant, aut pro quibus Martyres exorabant, atque aliis etiam de causis

juxta regulas a Conciliis traditas; eorumdemque Pastorum agendi rationem Basilius et Chrysostomus commendarunt. Discimus etiam ex Augustino Epist. LIV. Episcopos a Magistratibus mitigationem frequenter implorasse punitionum quæ reis decernebantur, et Magistratus vicissim remissionem petiisse a Canonicis pœnis. Cum vero restituta Ecclesiæ pace, locus amplius Martyrum intercessionibus non superesset, non ideo putavit Ecclesia superefflluentia merita Christi et sanctorum exhausta fuisse; sed ea fidelibus applicare non destitit, quoties utile ac bonum id censuerat. Existimabat quippe id conferre quamplurimum, ut sancti ad bona opera excitarentur, ac ut peccatores in sanctorum communione confiderent, et a criminibus præcaverent, ob quæ a sancta illa communione arcebantur. Hæc et alia in causa erant, ut Indulgentias Ecclesia facilius elargiretur. Falluntur itaque hæretici, cum a publicis satisfactionibus eorumdemque relaxatione natas Indulgentias volunt, quasi essent tantum Ecclesiasticæ institutionis. Nam remissiones illæ fiebant per applicationem meritorum Christi vi clavium a publicis Ecclesiæ Ministris; ab eadem ergo origine a qua potestas remittendi peccata. Qui tandem in media, ut vocant, Europæ barbarie natas Indulgentias dicunt, ignaros se prorsus produnt Disciplinæ et Ecclesiasticæ Historiæ.

CXXVII. Inter Protestantes Joseph Binghamus dum plaudit veteri Ecclesiæ praxi ob severitatem Canonum Pœnitentialium, præsentem carpit Romanæ Ecclesiæ morem. 1. Quia antiquitus pœnæ tantum canonicæ hujus vitæ remittebantur, non autem vitæ futuræ. 2. Quia Indulgentiæ tunc defunctis minime tribuebantur,

uti modo usuvenire solet. Verum 1. ex his quæ ab hoc scriptore conceduntur, pœnæ canonicæ ostendunt, Ecclesiam semper professam fuisse, post remissionem culpæ ac pœnæ æternæ, peccatores teneri, temporalibus pœnis Deo satisfacere, quas nisi solvant in præsenti vita, in altera luant, necesse est. Non ergo valide ab illis in hac vita liberari queunt, nisi per indulgentiam in altera etiam vita ab iis eximantur. Ex quo autem pœnitentes justitiæ divinæ obstricti in altera vita ei satisfacere tenentur, ubi Ecclesiæ suffragiis juvari possunt juxtà omnium sæculorum fidem, cur nam superabundantia Christi et Sanctorum merita per modum suffragii sive impetrationis aut supplicationis juvamen ipsis afferre non possent? Hinc colligitur Indulgentiarum originem non omnino a canonum Pœnitentialium relaxatione desumendam esse; cum indulgentia et condonatio hæc fieret antequam illi Canones conditi essent: at vero ex potestate a Christo Ecclesiæ collata dimittendi peccata « *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* Atque ex usu pœnas mitigandi quem Apostoli secuti sunt: Canones verò fuisse sancitos, tum ut facinorum gravitatem fideles agnoscerent, tum ne indulgentia nimia a Pastoribus erga delinquentes adhiberetur; et ob alias hujusmodi causas. Jure optimo igitur prop. XL. Synodi Pistoriensis damnata est in Bulla *Auctorem fidei*, quæ asserit « indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per Canones statuta erat peccanti « Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam

valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam Justitiam (quo sensu damnatur ut) *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, in Luthero damnata* ».

CXXVIII. Modo itaque Indulgentiarum natura determinanda est, circa quam juxta communem doctrinam hæc consideranda veniunt. I. Indulgentiæ nec culpæ nec pœnæ æternæ reatum tollunt; nam culpa et pœna æterna non remittuntur nisi per Sacramentum, aut per contritionem perfectam, et per infusionem Gratiæ. At Indulgentia nec Sacramentum est, nec contritio, nec Ecclesia potestatem habet infundendi gratiam, nec Sacramenta instituendi. II. Indulgentiæ pœnam remittunt temporalem peccatis debitam, aut per Canones sancitam; ut ex jam dictis constat. Nec inde sequitur, pœnitentem non teneri ad pœnam in Tribunali Pœnitentiæ a Sacerdote injunctam; quia licet ea vindicativa tantum esset, ut medicinalis tamen consideranda semper est ad præcavenda peccata et ad vitæ emendationem. A medicinali autem pœna nunquam dispensat Ecclesia. Deinde participationi Indulgentiæ salutaria aliqua opera semper adjiciuntur; alioquin disciplina Ecclesiastica nimis enervaretur. III. Indulgentiæ liberant a temporali pœna non tantum coram Ecclesia, sed et coram Deo; ut ex Christi promissione Matth. xvi. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo*. Et quidem nisi ita foret, plus indulgentiæ nocerent, quam prodessent: eximerent a pœnis hujus vitæ, et ad Purgatorii pœnas remitterent, nec proinde *essent amplius fidelibus salutares,* uti definivit Ecclesia. Itaque Leo x. illam Lutheri propositionem perstringit « Indulgentiæ

his qui veraciter eas consequuntur non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud div. Justitiam ». Hæc tamen sententia licet certa sit habenda, ad catholicam tamen fidem non pertinere nonnulli Theologi in Ecclesia sentiunt. Vid. Bellarminus *de Indulg. l. 1. c. 7. prop. 4.* Et S. Thomas *in Suppl. q. 25. a. 1.* IV. Indulgentia propriè est Absolutio judiciaria habens annexam absolutionem *ex Thesauro Ecclesiæ*. Nam Ecclesiæ Prælati sunt judices constituti in dispensatione Indulgentiarum: *Quæcumque solveritis . . . . erunt soluta*. Non potest autem nisi proprius judex absolvere vel ligare. Hinc Pontifices in Indulgentiis impertiendis verbo absolutionis sæpe utuntur. Non est autem absolutio particularis quæ fiat secundum allegata et probata, quæque dicitur *ab homine*; sed generalis, quæ est *a Jure*; et ad quam sufficit justa et legitima causa. Judex vero ut Pontifex potest et ipse Indulgentiam lucrari, alteri potestatem faciens sibi indulgentiam largiendi, sicuti absolvendi dat potestatem. V. Indulgentiæ ab omnibus laboriosis operibus vix unquam hominem penitus eximunt. Id constat ex Apostolo 2. ad Cor. 2. qui nonnisi post annum laboriosæ pœnitentiæ incestuosum a satisfactionibus reliquis absolvit. Sed qui resipiscunt, bonis incumbere operibus oportere ait Christus: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ita Patres reos non reconciliabant nisi inspectis bonis eorum dispositionibus ac data saltem ex parte satisfactione. Denique iis Indulgentiæ concedi solent, qui determinata quædam peragunt pietatis opera ac laboriosa, atque injunctis piis aliis operibus; ita ut Indulgentiæ ut plurimum commutationes sint graviorum pœnarum in minores ac in alia opera pietatis.

CXXIX. Exposita Indulgentiarum natura, de illarum fundamento, seu *de Ecclesiæ Thesauro*, est inquirendum. Thesaurus hic appellatur metaphoricè « Cumulus sive Collectio divitiarum, seu spiritualium bonorum, quorum dispensatio Ecclesiæ concredita est » Cælestes hos Ecclesiæ thesauros memorat Tridentinum *Sess. XXI. Decret. de Reform. c.* 9. eosque in Scripturis nominatos habemus, ut cum Apostolus 1. ad Timoth. VI. 17. Fideles hortatur, *bonis operibus thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam:* Quo sensu hortabatur Christus Matth. VI. 20. *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo.* Stulte igitur ab hæreticis vox Thesauri improbatur, ac se imperitos produnt; quibus accesserat pseudosynodus Pistoriensis prop. inter damnatas XLI. nempe « Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum Meritorum Christi, et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum ». Quæ prop. Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint Merita Christi et Sanctorum, damnatur *ut falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in Luthero damnata.*

I. Itaque certum est fide catholica, Thesaurum hunc, unde Ecclesia Indulgentias sumit, præcipue coalescere ex Meritis et satisfactionibus Christi infinitis et superabundantibus; nam ut 1. Joan. c. 2. habetur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et Apost. ad Eph. c. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*

secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis. **Ita ad Rom. c. v. 20. et alibi. Quare Franc.** Mayronius qui asserebat, fuisse Christo cumulatissime tantum præmium redditum quantum meruit, malè audivit, ut qui errorem doceret hæresi proximum. II. Sanctorum merita et satisfactiones pertinent quoque modo aliquo ad Ecclesiæ Thesaurum. Id constat ex Symboli Articulo *de Communione Sanctorum*. Quid enim est Communio isthæc, nisi bonorum operum ac meritorum societas et communicatio, ut quod ab uno agitur ad alios quodam jure pertineat, ac se mutuo juvent? « Ecclesia, inquit Ambrosius l. 1. de Offic. c. 29. in commune orat, in commune operatur » 2. Ex Scripturis, Deus sanctorum precibus aliis pepercit: pepercit Loth ob fidem Abrahæ, pepercit Israelitis propter Moysen. 3. Antiquitus ex meritis Martyrum satisfactiones pœnitentibus relaxabantur. Dictum est autem, *aliquo modo* ad Ecclesiæ Thesaurum pertinere merita sanctorum qui plus passi sunt quam meruerant aut debuerant secundum divinam justitiam, saltem secundario et per accidens, licet non essentialiter, reponantur in illo Ecclesiæ Thesauro. Revera B. Virgo, quæ non peccaverat, plurima opera satisfactoria peregit, quorum fructum quantum ad pœnæ remissionem non percepit: Ita S. Joannis Baptista, aliique. Quare Clemens vi. *in Extrav. Unigenitus*, ait « Ad cujus quidem Thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque electorum a primo justo, usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur » Hinc damnata est illa Lutheri prop. « Thesauri Ecclesiæ unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum » Cæterum an Sanctorum merita ad Thesaurum

illum concurrant via solutionis et satisfactionis: An tantum via suffragii, intercessionis et impetrationis, definitum non est, nec fide certum. At his opponitur, injuriosum videri meritis Christi, quod ipsis momentaneæ Sanctorum passiones adjiciantur. Non tamen ita est; Nam eæ non jam adjunguntur, quasi Christi merita non sufficiant, aut quasi augeantur per eorum merita; sed ne sint otiosa, et quia voluit Christus suos ita sanctos extollere. Imo in ejus honorem id redundat, tum quia sunt ejus Sancti, tum quia ex ipsius Christi gratia ea sibi merita compararunt, ut non propterea eidem æquiparentur. Sanctorum itaque passiones non sunt condignæ si spectentur ut humanæ ac naturales; at non ita est si spectentur per Dei gratiam elicitæ. Thesaurus tandem iste non ut res physica, sed moralis, et in Mente Dei considerandus est, qui horum meritorum intuitu indulgentiam largitur.

CXXX. Potestatem verò Indulgentias largiendi esse in Ecclesia, earundemque usum esse fidelibus salutarem ostenditur 1. contra recensitos hæreticos ex Christi verbis Matth. XVI. quibus ita Petrum alloquebatur: ***Tibi dabo claves Regni Cælorum . . . et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cælis:*** Quæ verba generalia sunt, nihilque excludunt. Ut sicut per verba: *Quodcumque ligaveris*, potestas conceditur pœnas cum prudentia imponendi: ita per verba, *Quodcumque solveris*, facultas concedatur pœnas cum discretione relaxandi. Id vero ad Apostolos cæteros extendit Christus Matth. XVIII. *Quæcumque solveritis . . . erunt soluta* etc. Ea itaque potestate usus est Apostolus; ut vidimus, erga corinthium, atque ea semper usa est Ec-

clesia, ut ex Cypriano et ex Conciliis patet. Et quidem hæretici assignare nequeunt, quis auctor fuerit Doctrinæ de Indulgentiis, aut quo tempore inceperit nisi ab Apostolis ipsis. Præscriptione itaque gaudet, estque divina, ut Tridentinum testatur. Quomodo autem Indulgentiæ Defunctis applicentur, in sequenti videbitur

ARTICULUS V.

DE INDULGENTIARUM VALORE, ET QUA RATIONE DEFUNCTIS PRODESSE QUEANT.

CXXXI. Quanquam hæretici contra valorem Indulgentiarum, quas filiis suis Ecclesia largiri consuevit sint infensissimi; in usu tamen quem sibi arrogant hujus potestatis benigni admodum deprehenduntur; qui pœnas quas eorum disciplina infligit, frequenter variis ex causis relaxant. Quinimo, ut ait Molinæus *in Erasmum*, censent, quotiescumque ab eorum ministris, ut vocant, remittuntur peccata, ea remittere nulla remanente pœna luenda neque in purgatorio neque in hac vita. Dant ergo indulgentias et quidem exuberantes, ac singulis fere diebus, quibus conveniunt secum, et cum totius pœnæ debitæ remissione; ut propterea mireris, cur audeant Romano Pontifici hanc denegare potestatem, quam quique ex infimis eorum ministris sibi assumunt. Modo itaque nonnulla de Indulgentiarum valore dicenda sunt; quo nomine hîc non intelligitur aut pretium aut earum utilitas, sed validitas earundem: Et quæritur qua certa regula dignosci queat ratas esse ac validas Indulgentias; eaque Quæstio cum S. Thoma ita proponi solet: An In-

dulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, sive pronuntiantur « Clave, inquiunt, non errante »: Atque ea resolvitur: Quod tantum valent Indulgentiæ quantum sonant, Clave non errante; id est si quatuor istæ conditiones concurrant: Nempe ex parte dantis Auctoritas, et causa legitima: Ex parte accipientis caritas, et eorum executio, quæ in Indulgentiæ Literis præcipiuntur. Nam 1. necessaria est in dante auctoritas; nullus quippe major est defectus quam auctoritatis seu potestatis, ut habet Axioma Juris. 2. Causa requiritur justa et legitima; Summus enim Pontifex et Episcopi dispensatores sunt bonorum Ecclesiæ in ædificationem, non absoluti domini, ut juxta Christi intentionem bona illa sint fidelibus communicanda. 3. Necessaria est in suscipiente Gratia et Caritas; cum pœna non remittatur, nisi sublata culpa. 4. Executio Operis injuncti requiritur; cum sub ea conditione Indulgentiæ concessæ sint.

CXXXII. Inter Indulgentias omnes eminet Jubilæum cujus etymologia desumitur ab hebræa voce *Jobel*, quæ *remissionem* seu *libertatem* significat. Nimirum Judæi quolibet quinquagesimo anno a debitis omnibus solvebantur, et redibant ad possessiones suas, si forte necessitate compulsi eas vendidissent: Servi autem cum filiis suis eo anno liberi abibant: cessabant labores agrorum quiescebat tellus, non arabatur, non serebatur, sed ex frugibus superioris anni, quas Dominus multiplicabat, omnes nutriebantur. Ad hujus veteris Jubilæi normam institutum est Jubilæum in Ecclesia, quod Bonifacius VIII., anno MCCC. voluit centesimo quocumque anno recurrente esse celebrandum; sed Clemens VI. anno MCCCL. instar Jubilæi Mosaici anno quinquagesimo redeunte

celebrari decrevit. Urbanus vero VI. an. MCCCLXXXIX. in memoriam annorum, quos Christus in terris egisse creditur, statuit, ut Annus Sacer trigesimo tertio quovis anno recurrente celebraretur: Ac demum Paulus II. an. MCCCCLXX. Jubilæum ad annum quemlibet vigesimumquintum reduxit, ut modo in more est. Hæc plenaria Jubilæi Indulgentia præter temporalis pœnæ relaxationem aliis Indulgentiis communem privilegia habet, ut potestatem eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis, qui possit ab omnibus etiam reservatis peccatis et censuris absolvere, votaque omnia, excepto voto Religionis et castitatis perpetuæ, in alia opera commutare: excepta absolutione complicis in peccato inhonesto, ut ex Bulla Benedicti XIV. an. MDCCL. Excipiuntur quoque publicè excommunicati, qui a privato Confessario nequeunt absolvi, tum qui semel Jubilæum lucrati sint, qui a reservatis bis absolvi non possunt. Censuras vero et reservationes non tollit confessio sacrilega. Qui autem sine culpa peccata reservata obliti essent tempore Jubilæi, possunt in sequenti confessione absolvi expleto etiam Jubilæi tempore: Item pœnitentes, qui non satis dispositi ad tempus remittuntur a prudenti Confessario pro absolutione obtinenda. Ab irregularitate autem non dispensatur, nisi hæc facultas in Bulla expressa sit. Sed absolutiones omnes, dispensationes, et votorum commutationes nonnisi in Sacramento Pœnitentiæ conferri queunt.

CXXXIII. Non sunt autem Indulgentiæ certæ ac validæ certitudine Fidei si in particulari sumantur; sed tantummodo plures probabiliter validæ censendæ sunt. Nulla enim in specie de fide credenda proponitur a Tridentino, nec in singulis justam causam concurrere cer-

tum est, sine qua indulgentia rata esse non posset. At ex quo certa non sit ac infallibilis peculiarium indulgentiarum validitas, non sequitur, culpandam esse Ecclesiam in illarum dispensatione, sed potius laudandam; cum ad praxim legitimam probabilis sententia sufficiat. Neque ex quo contingeret nonnullas Indulgentiarum concessiones esse invalidas, ullum inde damnum in Ecclesia sequeretur, quinimo fideles semper ad pietatis opera excitarentur. Hinc defectus hujusmodi certitudinis fideles retardare non debet ab Indulgentiis consequendis; cum in omnibus humanis rebus semper homines prudenter ex probabili opinione varia aggrediantur, ut Medici, Judices etc. Prudenter ergo Pontifices elargiuntur, et conantur fideles hujusmodi Indulgentias lucrari. Nec inde ullum sequitur periculum deceptionis; sicut enim contingit, ut indulgentia ob suscipientis defectum invalida fiat: ita nec absurdum videri debet, si ob defectum causæ idem eveniat. Nec fideles ignorant esse in Ecclesia potestatem indulgentias conferendi, et simul fieri posse ut non sint rectæ, vel non prosint. Quare fideles prudentiores sic indulgentias suscipiunt, ut studeant simul dignos pœnitentiæ fructus facere, et coram Deo sanctis operibus peccata redimere.

CXXXIV. Quomodo autem Indulgentiæ dierum et annorum respondeant pœnis et tempori in Purgatorio solvendis; juxta Bellarminum dubia res est; num scilicet aliquot dierum vel annorum Indulgentiæ totidem respondeant diebus vel annis in Purgatorio transigendis. Certum est per Indulgentias rite susceptas aliquam condonari Purgatorii pœnam, quæ satisfactioni remissæ respondeat ac proportionata sit; sed utrum pœnitentia

unius diei vel anni in hac vita tantundem pœnæ expiare valeat coram Deo, quantum unus expiaret dies vel annus in Purgatorio exactus, controversia viget. Quantum ad multorum millium annorum indulgentias, sunt qui negant a Pontificibus unquam datas, sed confictas volunt; cum soliti fuerint indulgentias tot annorum largiri, quot injungebantur satisfactionis per Canones Pœnitentiales, unius scilicet, duorum, trium, aut septem aut viginti annorum, aut ad summum per totam vitam; quæ ultra centum annos porrigi non censetur. Sed quid sit de hac re, negandum non videtur, posse aliquos fieri reos pœnitentiæ agendæ juxta Canones per aliquot annorum millia, ut qui consuetudinem habent pejerandi, blasphemandi, homicidia, sacrilegia, adulteria perpetrandi, et qui denique ut ait Job. c. xv. *bibunt quasi aquam iniquitatem*. Ad hoc respexisse Pontifices, si qui sunt qui eas concessere, tenendum est. Sed juxta Bellarminum tot annorum indulgentia remissionem significat satisfactionis, quæ juxta Ecclesiæ ritum tanto tempore peragenda fuisset. Indulgentiæ denique *Carenarum* et *quadragenarum* sunt indulgentiæ quadraginta dierum quibus remittuntur quadraginta dies jejunii in pane et aqua olim soliti injungi: Nam *carena* id significat, sive corrupta a *quarantena*, sive a carentia ciborum dicta sit. *Quadragena* demum remissionem pœnæ per jejunium Quadragesimale subeundæ adnotabat.

CXXXV. Quod vero Ecclesia etiam pro defunctis fidelibus in Purgatorio detentis Indulgentias dispensare queat, nulli id inter Catholicos dubitationi est obnoxium. Quamvis enim doctrina, quod Indulgentiæ ad

Purgatorii animas extendi possint non sit absolute de fide, utpote nondum ab Ecclesia definita, est tamen certa inter Catholicos, quamvis non sentiant eadem ratione vivis ac defunctis indulgentias juvare: illis enim eas concedit *per modum absolutionis*, defunctis vero *per modum suffragii*; cum illi subditi sint jurisdictioni Ecclesiæ, quæ actum juridicum erga illos exercet. At per modum suffragii, non absolutionis Indulgentias defunctis impertit, cum Ecclesia in defunctos fideles non fruatur jurisdictione, nec ei amplius subjecti sint. Dicitur autem per modum suffragii, ut significetur, Ecclesiam offerre preces suas meritis Christi et sanctorum junctas, Deumque exorare pro solatio mortuorum, eorundemque levamine. Id autem constat 1. Ex Ecclesiæ antiqua consuetudine, ut videre est apud Bellarminum. At juxta Augustinum «Quod tota per orbem frequentet Ecclesia, quin id faciendum sit disputare, insolentissimæ audaciæ est » 2. Ex damnata Lutheri prop a Leone X. qua negabat « Mortuis utiles esse Indulgentias » Et ex damnata Prop. XLII. Synodi Pistor. in Bulla *Auctorem Fidei*: quæ ita se habet « Luctuosius adhuc esse, quod chimeræa isthæc applicatio (Indulgentiarum) transferri volita sit in defunctos » Quæ damnatur ut *falsa temeraria*, *piarum aurium offensiva*, *in Romanos Pontifices et in praxim et sensum Universalis Ecclesiæ injuriosa etc.* 3. Licet fideles defuncti non sint de foro Ecclesiæ, in communione tamen sanctorum sunt, ac sunt vera Ecclesiæ membra, ut ideo se invicem juvare possint: *Pro invicem sollicita sunt membra*, ait Apostolus « Nec est alia ratio, ait S. Thomas, quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus In-

dulgentiæ innituntur, in vivos, et non in mortuos ». Nec opponatur, hunc usum nec in Scripturis nec in Traditione fundari, fundatur enim in Traditione, qua ostenditur, pro defunctis orandum; nam si preces pro iis offeruntur, cur non et indulgentiæ? Quo titulo autem defunctis indulgentiæ prosint, an justitiæ, vel misericordiæ Dei: An de condigno vel potius de congruo? Verisimilius est illas non ex justitia prodesse, nec de condigno; sed ex liberalitate Dei ac benigna et misericordi acceptione, ut de congruo tantum prosint. Non enim habemus certam ea de re promissionem. 2. Incertum est, utrum viventes de condigno pro viventibus satisfaciant; potiori ergo jure est id pro mortuis incertum ob status diversitatem; ut ex Dei benignitate iis indulgeri probabilius sit.

CXXXVI. Quænam autem conditiones requirantur, ut Indulgentiæ valeant pro defunctis in Purgatorio morantibus; Clarum est, ex parte conferentis auctoritatem requiri, et causam legitimam: Ex parte illorum qui suffragia offerunt, executionem eorum, quæ præscripta sunt: Ex parte autem defunctorum certam meritorum præteritorum mensuram, ut pro peccatis satisfacere non neglexerint, defunctos suffragiis juvare studuerint, et his similia. An vero Indulgentiæ his solis prosint pro quibus offeruntur? Juxta communem sententiam hæc suffragia omnibus prosunt quantum ad gaudium quoddam accidentale, cum Caritas faciat omnia communia ac si propria essent; sed quantum ad satisfactionem et liberationem communia Ecclesiæ suffragia omnibus in communi prodesse tenendum est; particularia verò præcipuè iis prodesse quibus ex intentione viventium appli-

cantur si iis indigeant; alioquin omnibus in communi esse utilia. Tandem quæri solet, An venialia peccata quantum etiam ad reatum culpæ in Purgatorio remittantur et expientur? Cui respondet S. Thomas, id omnino esse oportere; nam 1. Corinth. 3. *per lignum, fœnum et stipulam* venialia intelliguntur, quæ in Purgatorio consumenda sunt. Deinde per SS. Gregorium et Augustinum quædam leves culpæ remittuntur in futuro; sed intelligi nequit quantum ad pœnam, nam quantum ad reatum pœnæ omnes culpæ quantumvis graves in Purgatorio expiantur; de venialibus ergo quantum ad culpam id intelligendum est. Itaque dicendum, veniales culpas in eo qui cum gratia decedit, dimitti per purgatorium ignem; quia pœna illa aliquo modo voluntaria virtute Gratiæ vim habebit expiandi culpam omnem quæ simul cum Gratia stare possit.

ARTICULUS VI.

DE STATU DAMNATORUM, DEQUE POENARUM EORUNDEM AETERNITATE.

CXXXVII. Temporariis Purgatorii pœnis æterna inferorum supplicia opponuntur, de quibus sententiam irrevocabilem jam audivimus in extremo futuro Judicio improbis decernendam illis verbis Matth. xxv. relatis: *Et ibunt hi in supplicium æternum: Justi autem in vitam æternam*. De vita æterna est infra agendum; Modo est de inferno pertractandum, seu de Loco tormentorum, ubi impii criminum suorum pœnas luent.

Est itaque infernus locus Cælo seu Paradiso justis destinato oppositus. Vocabulum latinum Infernus, et Orcus, græce Tartarus et Αδης, hebraicè exprimebatur per vocem *Scheol*, et his vocibus intelligabant locum inferiorem ac profundum, ac mortuorum habitationem; unde per analogiam hæc vox aliquando adhibita est, ut sepulcrum quoque denotaretur. Apud Judæos invaluit quoque vox *Gehennæ*, ut illum significarent locum tormentorum; quæ ab analogia desumpta erat. Nam Gehenna Vallis erat prope Jerusalem ubi antiquitus Chananæi filios comburebat et idolo Moloch immolabant, cujus etymologia erat *Vallis tristitiæ*, et ad infernum significandum *Gehenna ignis* in Evangelio dicitur. Ineptiunt itaque Sociniani et cum iis increduli omnes cum nolunt veteres hebræos infernum damnatorum agnovisse, eo quod non adeo clara et expressa de eo fiat mentio in Veteri Testamento uti fit in Novo. Nam inde sperant, supplicia illa evasuros, quæ conscientia eis minatur. At vana illuduntur spe. Nam sententia de Animorum immortalitate deque præmiis justorum, et iniquorum suppliciis, est antiquissima et omnium locorum, omniumque temporum, ac hebræorum potissimum, uti supra jam vidimus N. xx. et xxiii. et seq. Sed mirari subit, cur velint increduli, hebræos hoc dogma a Chaldæis arripuisse post Babylonicam captivitatem, et non potius ab Ægyptiis inter quos antiquitus per annos centenos commorati fuerant, et apud quos erat vulgatissimum, ut est notum omnibus. Verum undenam et Ægyptii et Chaldæi hanc doctrinam acceperant, nisi a primitivis traditionibus a Deo hominibus factis et per gentes omnes pervagatis? Quod ni ita esset, undenam

bræ gentes eam accepissent, et quomodo in ea constantes essent, et omnes in eam convenissent?

CXXXVIII. At cum monumenta hebræorum sint omnium vetustiora; hinc doctrina hæc præ cæteris gentibus antiquior elucet. Nam quantum ad locum luendis criminibus post mortem destinatum et Moyses, et Jobus, et Psalmista, et Isaias locuti sunt. Nam Deuter. xxxii. 22. de hoc loco ait Deus ipse: *Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.* « Quod futurum in extremo tempore jam supra vidimus. At cum inferni novissima hic memorantur, non certe sepulcrum intelligi potest, quod inepte volunt esse intelligendum adversarii per nomen *scheol*, quod hic adhibetur a Moyse. Ait Job. c. xxvi. 6. *Scheol*, sive infernum patere divino aspectui, in quo gemunt iniqui gigantes: *Ecce gigantes gemunt sub aquis et qui habitant cum eis: nudus est infernus coram illo; et nullum est operimentum perditioni*. Cap. autem x. 22. Job mœste infernum hunc vocat *terram tenebrosam et opertam mortis caligine: terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Plura habet Isaias locum hunc tormentorum designantia, ut cum c. xiv. 9. repræsentat inferorum incolas qui obviam pergunt regi Babylonis ad inferos descendentis: *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes*. Et Cap. xxxiii. 14. antithesim stantuens inter peccatores et justos, ait: *Contriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: Quis poterit habitare de*

vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis... iste in excelsis habitabit... Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. Ubi manifeste contraria sors justorum et iniquorum promittitur in altera vita. Ita de prævaricatoribus dicitur c. LXVI. 24. quod *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*. Quæ verba, quibus conscientiæ angores et pœna sensus exprimitur, afferuntur a Christo D. Marci IX. v. 45. ubi de iis agit qui mittuntur *in gehennam ignis inextinguibilis*. Sed innumera habentur in Prophetis ac in Psalmis quæ inexplicabilia forent, si non ponerentur præmia et pœnæ in altera vita, quæ perpetuo sint duratura. Sed hi Prophetæ ante babylonicam captivitatem scribunt: Inepte igitur volunt Sociniani a Chaldæis in captivitate hanc hausisse doctrinam, idque potissimum quod eam hebræi, ut supra vidimus N. XXXIII. XXXV. et seq. cum doctrina conjunxerint de corporum resurrectione universali, de qua Chaldæi ne suspicati quidem fuerant.

CXXXIX. Hunc tamen æternum damnatorum statum et antiquitus et recenter adversarios nactum fuisse legimus. Nam Origenes Adamantius serio de hac æternitate dubitasse videtur, licet eruditi nonnulli ab ea labe eum purgare tentaverint. Et quidem non pauca ejus loca afferuntur, ex quibus apparet, pœnas damnatorum æternas sustulisse, et quandam confinxisse *restitutionem*, qua reprobi omnes inferni igne purgati ad vitam æternam commigrabunt, ut *sit Deus omnia in omnibus*, juxta Apostolum. Hunc errorem Veteres Patres graviter in Origene reprehenderunt, ac notat S. Augus-

tinus *l. XXI. de Civ. Dei* inde ortam sectam quamdam quæ *Misericordium* dicebatur, qui licet Origenis paradoxon adoptassent, in plures tamen classes dividebantur. Et 1. erat eorum, qui damnatorum omnium citius aut serius liberationem, æternamque statuebant felicitatem, quam tamen dæmonibus asserere non audebant. 2. Illorum erat, qui malos et infideles reos pœnæ æternæ censebant, quos tamen Deus precibus sanctorum daturus sit, dæmonibus exceptis saltem ex parte. 3. Illorum qui liberationem hanc Baptismate ablutis pollicebantur, quamvis male vixerint, et hæresi aut impietate polluti decesserint. 4. Erat illorum, qui hanc restitutionem, quam *apocatastasin* vocabant, solis spondebat Catholicis, etiamsi perverse vixissent, ac in apostasiam lapsi essent. 5. Classis erat illorum; qui hanc prærogativam solis in catholica Ecclesia perseverantibus concedebant, quocumque modo vitam duxissent. 6. Demum erat illorum, qui id sibi promittebant quoties eleemosynas erogassent, his enim sperabant judicium cum misericordia futurum, aut eos saltem post diuturnum tempus liberandos. Et hi quidem inter veteres, quos Augustinus l. c. refutabat. At post exortam Sæc. XVI. errorum colluviem, rursus hic error jamdiu extinctus apud hæreticos plures et apud incredulos exsuscitatus est, eorumqué omnium patrocinium suscepit Jo. Guill. Petersenius prægrandi opere trium voluminum, quod græco titulo inscripsit « Mysterium restitutionis omnium » an. 1698. Sed horum Novatorum nomina et opera videre licet apud Jo Bap. Gener *Theologiæ T. IV. p. 395. in Notis.* Verum quod mireris est, in eundem errorem inclinasse Th. Burnetum

et Car. Bonnetum, qui cum cæteris protestantibus a sua fide discessisse revincuntur; cum *in Confessione Augustana* art. 17. damnentur Anabaptistæ, qui docebant « Tormenta dæmonum et damnatorum finem habitura, et angelos apostatas in eundem locum redituros, in quo creati fuerunt » Qui est ipsemet error quem in Origene damnabat Hieronymus *Contra Jo. Hierosolym. c.* 7. scribens: « Tertium, quod dicat et diabolum et dæmones acturos pœnitentiam aliquando, et cum sanctis ultimo tempore regnaturos » Et *contra Rufinum* l. 2. c. 10. « In restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit . . . angelos, diabolum, dæmones, animas omnium hominum tam Christianorum quam Judæorum et Gentilium ejusdem conditionis et mensuræ fore . . . Hæc in Origenis libris ego hæretica esse doceo ».

CXL. Antequam ergo argumenta divinæ auctoritatis proferantur adversus hæresim hanc, quæ totam subvertit divinam justitiam, et ad humana deprimit cogitata; nec non mores corrumpit, et sceleribus cunctis latissimam pandit viam, nonnulla in antecessum consideranda sunt, quæ hoc argumentum et illustrant et cuicumque suadere debent. Nam I. hoc dogma nobis est cum omnibus deistis commune, qui Deum remuneratorem, virtutis et criminum vindicem confitentur. II. Nihil est in hac Evangelicæ Legislationis parte, quod novum sit; nam pravos homines ac scelestos æternis pœnis esse post mortem plectendos non Christiana tantum religio docet; sed et nationes omnes veteres ac recentiores, cultiores ac barbaræ idipsum sensere. Et primo memorandi veniunt græci et romani, apud quos nihil vulgatius futura bono-

rum post mortem felicitate, ac miseria improborum. Poëtæ ac philosophi græci latinique justitiam, judicia, pœnàsque alterius vitæ ita prædicabant, ut nobiscum consentirent omnino, quemadmodum Theophilus Antiochenus, Augustinus, aliique ostenderunt. Et quidem bonis, quorum anima ter probata fuerit, sedem ad Terræ fines dabant, quem locum *Fortunatas insulas* appellabant et *Elysium campum,* et *Turrim Saturni,* et *Plutonis ac Piorum prata*, et *Aëreos campos*, et *Adrastæ Regnum*. Nefarios vero in horribile barathrum detrudebant in quo *fluvius igneus periphlegeton* et *ministræ furiæ*, et *civitas ignis* et *vastus horror tenebrarum.* Spes illic præcisa melioris sortis. Hinc immeabiles inferorum viæ, et ferreæ portæ et centum vectes ærei: hinc irrequietum Sisyphi saxum, et aquæ Tantali incomprehensibiles: hinc ut Virgilius habet:

. . . . Sedet æternumque sedebit
Infelix Theseus, Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Et Seneca *Trag.* 1. ait:

Ut fert fama, impios
Supplicia vinculis
Sæva perpetuis domant.

Et auctor *Elegiæ in Ibin* Ovidio tributæ:

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Atque hæc non poetæ modo, sed et gravissimi philosophi, Plato in primis, docuere. Græcis consonant Romani apud quos eadem ferme theologia. Egregia sunt quæ de Socrate refert Tullius *L.* 1. *Tuscul. Quæst.*

c. xxx. qui cum a suis civibus innocens capite damnatus esset, ita ejus postrema verba eleganter describit: « Cum pene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque disseruit: Duas esse vias, duplices cursus animorum e corpore excedentium: Nam qui se humanis vitiis contaminavissent, et se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel in republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse seclusum a concilio deorum: Qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum; his ad illos a quibus essent profecti reditum facilem patere ». Jam verò doctrinam hanc græci et romani cum veteribus cunctis barbaris nationibus communem habebant, ut Clemens Alexandrinus in ethnica theologia versatissimus testatur *Stromaton* l. v. Et sane qui aut in veteris orbis aut recentis historia hospites plane non sunt, ii norunt, non veteres modo Ægyptios, Chaldæos, Indos, Scythas, Etruscos, sed novos istos Turcas, Persas, Mogulenses, Tartaros, Siamenses, Sinenses, Japonenses, Americanos, in cæteris quidem valde inter se et a nobis discordes, in hoc mirificè convenire, præmia et pœnas post hanc vitam superesse, idque perpetuò. « Omni autem in re, ut ibidem Tullius c. xiii. consensio omnium gentium lex naturæ putanda est ».

CXLI. Cum igitur totum humanum genus duo hæc dogmata, bonum nempe et beneficum esse Deum, ac

æternis interim pœnis impios excruciari perpetuo, constanter tenuerit, invictum sane argumentum est, iisdem persuasum fuisse, nihil ea in re rationi adversum, nihil absurdi, nihil Deo indignum haberi; sed omnia cum idea justitiæ et æquitatis potius convenire. Hinc recte sapientes viri sensere, quod si punitio perpetua sit contra inclinationem particularis naturæ rationalis quæ eidem subjicitur; tamen est consentanea rationi universali creaturarum rationalium, quæ naturaliter ordinem diligunt et æquitatem. Et quidem falsum est 1. hoc dogma esse Justitiæ contrarium. Qua enim ratione Deus justus esset ac sanctus, si unicuique non redderet secundum opera sua? At, inquiunt, pœna æterna punire unius momenti delictum videtur divina justitia indignum. Respondetur, non fugacem dumtaxat inobedientiam, sed et noxios effectus, ac pertinacem in pravo ad mortem usque voluntatem ea ratione puniri. Cujus rei æquitatem ut intelligamus, scire necesse est, quodnam Deo justum aut iniquum dicimus. Id justum est, quod cum lege æterna et ordine mundi consentit: injustum, quod ei adversatur. Ordo mundi est, ut omnia tendant in Deum, singula pro sui natura et conditione. Homines ergo qui ad Deum vitam suam moderantur, æternam adipiscuntur felicitatem, et cum iis Deus bonus et justus est. Qui autem ab illo ordine desciscunt, extra omnem ordinem esse nequeunt; quod dissentiret a lege æterna. Cum vero hic sit ordo criminum et a primo dissideat, nequit eandem metam attingere ac ordo virtutum; sed ut stat illi ex adverso, ita in contrarium abeat necesse est. Prioris ordinis meta est vita æterna, posterioris ergo meta infelicitas esse debet ac

miseria æterna. Uterque ordo legi æternæ consentaneus est: in utroque igitur Deus est justus. At si Deus justus est; hinc sequitur, quod nemo miser erit quin mereatur, nec plusquam mereatur. Quod si fragilis et infirma creatura est homo, tamen liber est et suorum actuum dominus, ac præterea Dei suffultus auxilio. Supplicii vero acerbitas ut ut magna futura sit, non tamen peccatorum malitiam excedet, quinimo mitiorem potius quam graviorem futuram credendum est; non eam vero juxta voluntatem reorum, at juxta æquissimas Dei leges, quæ modo omnibus promulgantur, tunc autem etiam optimè cognoscentur.

CXLII. Hæc autem dogmata minime obstant, quin in Dei amorem ac reverentiam homines inducantur. Id quidem in nefariis poterit ac impiis contingere, qui nec Dei beneficiis flectuntur, nec minis: Imo Deum criminum vindicem ac justitiæ et ordinis amantem esse nollent, ac si possent de medio tollerent; tanta est horum improborum malitia atque impietas! Verum hi sunt hominum pars deterior atque infecta. At probi omnes et virtutis cultores tantum abest, ut in suis justis judiciis Deum non adorent ac venerentur, quin potius ob id et ipsum ament ut bonorum et æquitatis vindicem, ac sancto timore ab omni ipsius legis offensa retrahantur; uti quotidiana experientia edocemur. Apposite S. Thomas *in Suppl. q.* 97. *a.* 5. animadvertit, quod Deus dupliciter apprehenditur: 1. *in se*, sicut a Beatis in cælo: 2. *per effectus*, ut a nobis, et a damnatis. In seipso cum sit ipsa bonitas, non potest alicui voluntati displicere: sed ratione effectuum aliquis Deum odio habere potest; ut in damnatis contingit, qui effectus

experiuntur divinæ Justitiæ. Ita in hac vita perversi homines, qui Dei legem suis cupiditatibus adversam sentiunt, legem et ejus auctorem odio habent. Falsum quoque est, quod ajunt, Deum non paterno affectu se erga homines gerere; qui tamen tot argumenta suæ longanimitatis nobis impendit. Quod si ejus ira et indignatio erga pravos in Scripturis memorantur; at probè scimus, Deum propriè non tangi passione aut perturbatione ulla, atque hæc metaphoricè de Deo dici, ut effectus ipsius justitiæ significentur; quæ dum exigit, ut impii inexcusabilis suæ improbitatis pœnas luant, tot interim media ordinaverat, ut iis salutem afferret, totque disposuerat auxilia, ut qui in illam perpetuam damnationem incurrent, non nisi propriam pertinaciam ac perversitatem sint accusaturi. Quod si tunc veræ pœnitudini, quæ veniam mereatur, non amplius est locus futurus, impii de hoc, dum tempus erat, sæpius fuere admoniti, nec non beneficiis, minis, punitionibus a stulto proposito frustra deterriti. Quare si scientes volentesque in infelicem hunc statum se conjecerint, contra Dei justitiam nihil mussitare poterunt. Nam si propriè loquamur, non jam Deus, sed homo sibi calamitatem infligit, in quam non alia via prolabitur quam media omnia fugiendo et contemnendo, quæ Deus ipsi paraverat, quibus eam perniciem evaderet.

CXLIII. Absurdum itaque et impium esset, dicere, Deum creasse ingentem animarum numerum ut eas damnaret. Blasphemiam hanc a manichæis olim invectam Calvinistæ hujus temporis renovarunt, illamque summa cum injuria frequenter increduli Catholicæ Ecclesiæ appingunt, quanquam nihil sit quod abhorreat magis.

Utrum enim homines ut ut scelesti et impii a Deo veniam impetrare queant, audiant quid eis polliceatur Deus ipse apud Ezechielem c. XVIII. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor ... Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Atque ita passim. Quod autem ajunt, misericordem esse Deum erga quosdam, erga alios immisericordem idque æterno decreto, redolet jam dictam Calvinistarum impietatem a Catholica Ecclesia explosam et execratam. Nec huic blasphemiæ favet, quod dicamus, Deum utpote summa sapientia præditum omnes futuras hominum actiones ab æterno prævidisse; et quid ipse pro nostra omnium felicitate facturos esset, decrevisse; id enim ob commune omnium Bonum factum est, nec inde ullam vim erat nostræ voluntati allaturus, sed omnia potius commoda erat præstiturus, quæ ab improbis rejiciuntur. Cæterum incredulos præclare Augustinus redarguebat *De Civit. Dei* l. XXI. c. 23. hæc effatus « Non argumentari adversus Deum, sed divino potius dum tempus est debent parere præcepto; qui sempiterno cupiunt carere supplicio » Denique non inficiabimur, aliquid in hoc dogmate, sicuti et in cæteris divinis decretis, reperiri posse, quod hominum ingenia lateat, ex quo fiat, ut aliqua perturbatione afficiantur. Verum præter quam quod nihil molestiæ id afferre possit iis, qui virtutem colunt, constanter certi esse debemus, nihil in hoc judicio futurum, quod divinæ justitiæ ac sapientiæ maximè consentaneum non sit; quod Christus

Dominus, qui judex constitutus est vivorum et mortuorum, coram omnibus palam facturus pollicetur Matthæi c. XVI. 27. *Filius enim Hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.*

ARTICULUS VII.

PERPETUUS DAMNATORUM STATUS EX SCRIPTURIS ET EX CONSTANTI TRADITIONE EVINCITUR.

CXLIV. Cum futuræ vitæ status atque immortalitas animorum dogma sit omnium gentium, omniumque temporum; illud verò aliud dogma semper secum tulerit de sorte diversa et opposita ac perpetuo futura justorum et iniquorum; quod ita rationi consentaneum deprehenditur, ut contrarium naturalibus justitiæ notionibus omnino visum sit adversari; inde factum est, ut hebræi non modo cum cæteris gentibus in hac doctrina consenserint, sed præterea a Deo edocti in propheticis Libris eam consignaverint, ut supra vidimus N. XXXVII. et XXXVIII. ubi et ostendimus, desipere prorsus, aut fallere voluisse, qui ajunt, eos hanc ignorasse doctrinam. Sed non modo hi damnatorum punitionem docuerunt, verum et iis phrasibus eam designarunt, ut eam perpetuam et nunquam cessaturam agnoverint; ut cum Isaias c. LXVI. 24. de damnatis ait, quod *vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur.* Et c. XXXIII. 14. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Celebris est etiam locus Danielis

c. xii. 2. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam: et alii in opprobrium ut videant semper:* quæ postrema verba juxta hebraicum textum vertuntur *in contemptum æternum;* quam lectionem secuti sunt septuaginta interpretes, qui scribunt: *in opprobrium æternum, εις αισχυνην αιωνιον.* Hæc autem et alia loca plura similia ipsimet hebræi de vera et propria pœnarum æternitate intellexere. His vero consonant loca plura Novi Testamenti, ut Matth. xviii. et xxv. ubi damnatorum pœnæ dicuntur *ignis æternus.* Ab Apostolo 2. ad Thess. 1. 9. vocantur *pœnæ in interitu æternæ:* et in Epist. Judæ v. 6. *vincula æterna sub caligine, et procella tenebrarum servata in æternum:* Apocalypsis autem xiv. 11. dicitur de his qui adoraverunt bestiam: *Et fumus tormentorum suorum ascendet in sæcula sæculorum.* Et c. xx. 10. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Imo non tantum iis phrasibus æternitas designatur, quibus positivè significetur, sed iis etiam, quæ denotent negationem finis; ut Marci ix. v. 45. affert Dominus allata Isaiæ verba: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Et v. 49. dicitur *gehenna ignis inextinguibilis;* ut *ignis inextinguibilis* vocatur Lucæ iii. 17. *Et ignis qui non extinguitur.* An ne quis sibi fingere posset his repetitis locutionibus ab omni ambage remotis, quæque semper de vera ac interminabili æternitate intellecta sunt, non perpetuam significari pœnam et quovis fine carentem, sed tantummodo diuturnam notari?

CXLV. Hæc itaque loca Socinianorum effugia excludunt, quibus ajunt, has æternas impiorum pœnas esse

destructionem illorum, qua in nihilum redigentur. Miserum sane commentum, cum quo illæ formulæ conciliari nunquam possent: *Vermis qui non moritur, ignis qui non extinguitur, ardores sempiterni, cruciari die ac nocte*, et aliæ similes, quæ perpetuum impiorum sensum vitamque designant in ærumnis transigendam. Quid refert autem, illorum damnationem nomine *mortis, interitus, perditionis* designari? Hæc non nisi infelicem eorum statum exprimunt, qui morti æquiparatur, et vitæ ac felicitati æternæ beatorum oppositus: similem antithesin instituit Olympica II. Ep. γ. Pindarus, ubi hæc de probis et improbis habet:

Ισον δε νυκτεσσιν αιει
Ισα δ' εν αμεραις Αλι-
ον εχοντες, απονεστέρον
Εσθλοι νεμονται βιο-
τον .... τοι δ' απροσαρα-
τον οκχεονται πονον:

Æque vero noctu semper,
Et æque die Solem
Habentes sine labore
Probi ducunt vitam ....
Alii tamen horrendas
Ferunt pœnas.

Cæterum, ut animadvertit S. Thomas, *Quæst. v. de Poten. a. 4. ad 6.* Si destruerentur impii, natura puniretur quæ non peccavit; et voluntas, quæ rea est, indemnis et impunita abiret, quod est absurdum. Origenistæ vero antiquitùs argumenti vim evadere fingebant allata divina Oracula exponendo de æternitate in sensu improprio sumpta, pro ut nempe diuturnum tempus,

non proprie infinitum designat; et loca ex Scripturis colligebant, in quibus *æternum* pro longo quidem sed pro finito tempore accipiendum est. Quibus respondebat Augustinus l. xxi. *de Civ. Dei* c. 23. eodem modo dictum esse de reprobis: *Ibunt hi in supplicium æternum*, ac de justis: *Ibunt in vitam æternam*. At nemo, præter Origenistas, qui sanctos quoque perpetuis subjiciunt revolutionibus, nemo, inquam, justis vitam vere æternam negavit; quare nec impiis pœna vere æterna subtrahenda est. Plura et alia loca sunt, quæ idem confirmant, ut vidimus, eandemque antithesin instituit Daniel, c. xii. cum ait: *Evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum*. Sed quid significaret *sempiternus* horror a Job notatus c. x. 22.? Quid illud Salomonis *Sapien. V.* 2. *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis?* Si nunquam iis erit speranda salus, jam in perpetua damnatione morabuntur. Quæ vero afferunt loca in quibus nomen æternitatis usurpatur ad tempus diuturnum significandum, ejus generis sunt, ut ex adjunctis Scripturarum sensus liquido appareat. Nam quædam sunt conditionata, ut possessio terræ Chanaan, si Judæi fideles futuri essent. Alia respiciunt veritatem futuram, uti Regnum Messiæ, quod *stabit in æternum*, ut ait Daniel. Quantum ad Legem Moysis, erat perpetuò duratura in præceptis moralibus, in cæremonialibus verò æterna erat in veritate Mysteriorum quam significabat, uti figuræ redemptionis futuræ. Cæterum notum est, cum in hebræo textu *æternum* exprimitur per vocem *holam* non semper infinitum tempus significare, sed sæpe diuturnum

tantum ; at cum voces adhibentur *netsach* , aut *nghad*: veram exprimi æternitatem ullo fine carentem , certum est apud hebraicæ linguæ peritos , uti in allatis textibus frequenter contingit . Verum etiam sine his grammaticalibus inquisitionibus ex contextu et ex locis parallelis, nec non ex constanti traditione germanus Scripturæ sensus eruitur . Revera iisdem phrasibus exprimitur perpetua justorum felicitas ac notatur miseria impiorum æterna ; at nemo illam serio impugnaverit, nec ergo ista impugnanda est , præsertim cum nullibi innuatur, quod hæc æternitas finem sit aliquando habitura . Quinimo hac in re Christi verba clara sunt atque aperta et ab omni ambiguitate libera . An ne dici posset in re tanti momenti Christum flexiloquis verbis uti voluisse , aut discipulos et Ecclesiam in errorem invincibilem voluisse pertrahere ? Matthæi xii. 32. habet Christus : *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum , non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro .* Quæ sententia ita exponitur apud Lucam c. xii. 10. *Ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit , non remittetur* . Et Marci c. iii. 29. ita hæc sententia effertur: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum , sed reus erit æterni delicti :* Non videtur , quibusnam clarioribus validioribusque verbis vera damnationis æternitas significari potuisset .

CXLVI. His divinæ Auctoritatis inconcussis momentis accedit Ecclesiæ auctoritas et constans Patrum Traditio . Nam ille Origenis error damnatus est in synodo Alexandrina an. cccc. cujus Synodica Epistola primum evulgata est a Vallarsio Tom. 1. Operum S. Hieronymi

una cum Responsione Synodi Hierosolymitanæ *Epistolis* XCII. *et* XCIII. eaque damnatio ab Anastasio Rom. Pont. approbata est. 2. Solemnior ejusdem erroris proscriptio facta est in Synodo V. Oecumenica an. DLIII. uti ex VII. Synodo colligitur *Actione I.* 3. Justinianus Imp. in celebri sua *Epistola ad Mennam* a Pontifice Rom. aliisque Patriarchis approbata extremo anathematismo definit « Si quis dicit vel sentit temporariam esse dæmonum vel impiorum hominum punitionem, finemque aliquo tempore hanc habituram, nimirum restitutionem dæmonum vel impiorum hominum futuram, anathema sit » 4. Constat a Patribus singulatim illius ætatis illum errorem fuisse explosum, ut ab Epiphanio *Epist. ad Jo. Hierosol.* ubi inter alia habet « Proh nefas! Quis tam vecors et stolidus, ut hoc recipiat, quod S. Joannes Baptista, et Petrus, et Joannes Apostolus, Isaias quoque et Jeremias et reliqui prophetæ cohæredes sint diaboli in Regno cælorum? » S. Hieron. in c. III. Jonæ « Quæ distantia, inquit, erit inter virginem et postribulam... Idem ne erit Gabriel et diabolus? Idem prophetæ et pseudoprophetæ? Idem Martyres et persecutores? » Hinc illum Origenis errorem S. Doctor *dogma perversum* appellat, ac diabolicum propugnaculum; ut reliqui Patres Augustinus, Fulgentius, ac cæteri; quare Symbolum Athanasianum concludit. « Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum ». Quidam tamen nonnullos ex veteribus Patribus in suspicionem hujus erroris adducunt, ut apud Petavium videre est *L.* 3. *de Angelis c.* 7. At frustra; non enim stant quæ ajunt de S. Gregorio Nysseno, quasi id affirmaverit *l. de Anima et resurrectione*,

ubi explicans illud Apost. 1. Cor. xv. *Deus erit omnia in omnibus*, id dixerit futurum, « quando vitiositate longis sæculorum amfractibus et circuitionibus aliquando abolita atque extincta, nihil præter bonum relinquetur; sed etiam dæmones concorditer et consentienter dominationem Christi confitebuntur » Nam hæc verba non esse Nysseni, sed eidem supposita a veteri aliquo Origenista plura suadent. Et quidem veteres orthodoxam ejus doctrinam laudant, et ab his erroribus vindicant, ut S. Germanus Patr. Cpolitanus *apud Photium Cod. ccxxxiii.* Imo et Justinianus Imp. et v. Synodus Oecumenica illum impense commendant. Revera in genuinis suis fœtibus hanc pœnarum æternitatem adstruit, ut *Orat. adv. eos qui castigationem ægre ferunt*, scribit « Misera anima tum suæ se temeritatis accusans, lugensque ac plorans et gemens in locum quemdam tristem tanquam angulum abjecta permanebit, luctuque nunquam finituro ac insolabili in æternum pœnas luens etc. » atque ita sæpe, ut de illius mente ambigi nequeat. Ita Nazianzenus frequenter pœnarum declarat æternitatem. Ridiculum vero est de Hieronymi sensu suspicari, ut quidam vellent, qui Origenistas ob hunc errorem strenue exagitavit. Vano etiam conatu in suspicionem adducere nituntur S. Ambrosium, quod Serm. xx. in Psal. cxviii. n. 23. scribat « Dives ille in Evangelio licet peccator, pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere ». Non enim de epulone hic loquitur Ambrosius, sed de alio aliquo in Purgatorium dimisso. Et quidem epulonem perpetuo cruciari ait Serm. iii. ibid. n. 17. « Alius ille ignis, inquiens, quem deputavit diabolo . . . de quo dicit : intrate in ignem æternum; quo il-

e dives ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem » Et in Psalm. XXXVII. 2. ait: « Nam si tunc peccata gravia portaveris, illic requiem non habebis». Tandem nec de Justino M. nec de Irenæo dubitari non potest, ut qui sæpissime perpetua impiorum supplicia deprædicant. Quod si nonnulli ea de re non accurate locuti essent, aliqua excusatione eos prosequi deberemus, cum Ecclesiæ auctoritas nondum id declarasset, uti postea factum est.

CXLVII. Sed nonnulla adversarii etiam ex Scripturis proferunt, ut illud Psal. CXXXIX. *Cadent super eos carbores: in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent*, damnati ergo vel destruentur, vel liberabuntur. Item illud Psal. LXXVI. *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non opponet, ut complacitior sit adhuc... aut obliviscetur misereri Deus?* Et Psal. CII. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*. Et Isaiæ c. LVII. 16. ait Dominus: *Non in sempiternum litigabo* (seu juxta LXX. Interp. *ulciscar*); *nec usque in finem irascar*. 3. 1. ad Cor. XV. habetur: *Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subjecit sub pedibus ejus*: Et ad Coloss. I. 19. *Complacuit per eum conciliare omnia in ipsum*. Et ad Rom. XI. 3. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*. 4. S. Petrus Act. 3. 20. ait de Christo: *Quem oportet quidem Cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium*. 5. Demum Marci XII. 40. de hypocritis ait Dominus: *Hi accipient prolixius judicium*; nempe longiorem præ cæteris damnationem; non ergo æternam. At hæc adversarios minime juvant; nam ad 1. locus ille Psalmi po-

tius significat, impios nunquam fore a miseriis liberandos; nam ex hebræo Hieronymus vertit: *Cadent super eos carbones ignis: dejicies eos in foveas ut non consurgant*. Ad 2. nempe Psal. LXXVI. clarum est, sermonem fieri de punitione Dei in hac vita, in qua semper misericordiæ suæ recordatur. Quod si quis ad damnatos ea vellet extendere « Saltem sic intelligant, ait Augustinus de C. D. l XXI. c. 24. ut faciat eos, non tanta quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari ». Revera idem Psalmista Psal. XLVIII. 20. de improbo divite ait: *Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in æternum non videbit lumen*. Ait quidem ib. David: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi*: Verum id habet ob firmam spem quam gerebat erga Dei misericordiam, qua a promeritis suppliciis liberandus erat. Isaias vero de vitæ hujus pœnis apertius loquitur, non de altera vita. Ad 3. Apostolus 1. Cor. XV. de sanctorum resurrectione sermonem manifeste instituit, quando *erit Deus omnia in omnibus* in aliis per misericordiam, per justitiam in cæteris. Ad Colossenses autem loquitur de reconciliatione hominum et Angelorum, cum id quod ex Angelis cecidit, ex Sanctis hominibus instauratur. Ad Rom. vero XI. indicare vult, quod non sivisset Deus universum genus humanum pessum ire, nisi decrevisset simul media salutis omnibus per misericordiam præparare atque exhibere. Ad 4. S Petrus *per restitutionem omnium*, generalem resurrectionem intelligit. Hinc antea Judæos hortatus fuerat, ut pœniterent; quæ adhortatio inutilis fuisset, si tam boni quam mali in beatam vitam essent omnes surrecturi. Tandem apud Marcum *prolixius judicium*

non significat, magis diuturnum, sed majus et gravius, ac, ut habet græcus textus, περισσότερον κρίμα *abundantius judicium*.

CXLVIII. Plura proferunt Sociniani contra hoc dogma ex naturali ratione deprompta, quasi ratio humana imbecillis et infirma et circa divinæ Justitiæ notiones lumine capta, de his possit judicium ferre, et non potius divinæ debeat assentiri Revelationi tanta auctoritate nobis factæ. Præter ea quæ Articulo præcedenti adnotata sunt, præstat nihilominus nonnulla eorum sophismata audire. Ajunt 1. Quod si in Deo est summa potentia cum summa sapientia conjuncta, nunquam punire debeat, sed creaturas rationales vel ad perfectionis statum adducere, vel redigere in nihilum. Sed hoc sophisma est manifestè falsum, 1. enim sequeretur absurdum, quod nec brevi tempore sinere posset Deus, ut creatura justæ punitioni subjecta fieret; nam quin puniretur, eam potius perficere deberet, aut destruere: At in primo casu, mala voluntas præmio afficeretur: in altero casu, natura quæ non peccavit puniretur, et mala voluntas indemnis abiret; quæ absurda sunt, omnemque justitiam subvertunt. 2. Falso supponit sophisma, Deum justitiæ vindicem necessario debere voluntatem creaturarum malam aut absoluta potentia ad bonum convertere; aut nisi id velit, teneri in nihilum eam redigere: Nam nostrum non est divinæ justitiæ, potentiæ ac sapientiæ leges ac limites figere: sed præter recensita absurda, congruum non videtur, ut absoluta sua potentia agat Deus erga humanam voluntatem; nec decet Dei sapientiam, quæ hominem liberum condidit, ut hanc destruat libertatem; sed inter utrumque conveniens est,

ut mala voluntas meritas pœnas luat. Ajunt 2. si Deus perpetuo puniret plus mali his creaturis faceret, quam fecisset boni; non ergo juste perpetuo puniuntur. Ubi falsum est antecedens: Nam Deus bona omnia confert, mala verò sibi creatura conscivit. Deus non tantum esse ac naturales proprietates, sed et supernaturalia omnia media et auxilia suppeditavit, quibus ad æternam perveniret felicitatem; sed creatura hæc dona rejecit, iisque abusa est prava sua voluntate; quare propriè loqnendo, non Deus pœnas infligit, sed homines sua malitia sibi parant damnationem, a qua Deus modis omnibus suæ sapientiæ consentaneis eos nititur avocare: Hinc *Sapientiæ c. 1. v. 12.* admonentur: *Non acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum; quoniam* ***Deus mortem (et damnationem) non fecit, nec lœtatur in perditione vivorum: creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum . . . impii autem manibus et verbis accersierunt illam***. An non hoc exitium pluries Deus hominibus comminatus est? Sua ergo culpa pereunt. At si impii scirent, eorum pœnas finem fore tandem habituras, seque cum beatis ad æternam perventuros felicitatem; utique multo minus formidarent damnationem, fidentiusque facinora quæque patrarent. Falsa ergo esse ea opinio debet, quæ tantam in hominum societatem induceret perturbationem. (Consulantur quæ de hac re dicta sunt *De Principiis Theologiæ* Sect. I. Cap. II. N.° VIII. et IX.)

CXLIX. Nec opponant, oportere, ut adsit proportio inter culpam et pœnam; quæ nequit esse inter culpam unius instantis et punitionem æternam. Cui respondebat

S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 3. Pœnam debere quidem peccato commensurari quantum ad acerbitatem, non quantum ad durationem ita in nullo judicio, juxta Augustinum l. c. C. xi. requiritur, ut pœna adæquetur culpæ secundum durationem; nam scelus non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum est. Non enim quia adulterium ex. g. in momento committitur, ob hoc punitur momentanea pœna, sed vel carcere, vel exilio, et non raro etiam morte, quæ suo modo repræsentat pœnarum æternitatem. Cæterum non est cur plura sophismata agglomerent increduli, qui nunquam ostendent, 1. repugnare divinæ justitiæ, quod anima creata sit immortalis. 2. Aut eidem repugnare, quod nequeat homo a sua iniquitate emergere, nisi divina gratia adjutus, quam Deus pro sua clementia largiri decreverit toto præsentis vitæ tempore, et non ulterius: aut 3. repugnare, ut qui obstinate in peccato perdurat, perduret quoque in pœna peccati. Hæc certe non repugnant, quæ imo consona deprehenduntur divinæ sapientiæ ac justitiæ (*). Anima

(*) Leibnitius in *Theodicæa* T. 2. plura habet in rem hanc: ait: *La méthode de dériver le mal de peine du mal de culpe sert sur tout pour rendre raison du plus grand mal physique, qui est la damnation. Ernest Sonerus avoit fait un discours intitulé « Demostration contre l'éternité des peines » Elle étoit fondée sur ce Principe assez rebattu, qu'il n'y a point de proportion entre une peine infinie et une coulpe finie ... Je repondis, qu'il y avoit une considération à faire: c'etoit, qu'il suffisoit de dire, que la durée de la coulpe causoit la durée de la peine; que le damnés demeurant méchans, ils ne pouvoient être tirés de leur misère ... J'ai remarqué, que plusieurs habiles théologiens ont rendu raison de la durée des peines des da-*

igitur immortalis si in peccato obstinata decedat, gratia destituta quam in vita rejecit, perpetuo in peccato morabitur, unde et in pœna peccato debita moretur necesse est. Tandiu enim peccatum juste punitur quandiu durat reatus pœnæ; qui porro æternum durabit. Nam homo se sponte constituit in statu, quo nec mereri nec satisfacere potest pro eodem peccato; adeoque juste in æternum punitur pro peccati reatu, seu pro obligatione satisfaciendi, quæ in eo statu æterna est. Nec

mnés comme je viens de faire. Le P. Drexelius jesuite, dit dans son livre intitulé, Nicetas, *ou l'incontinence triomphée.* Nec mirum damnatos semper torqueri: continuè blasphemant; et sic quasi sempet peccant; semper ergo plectuntur. *Il rapporté la même raison dans son ouvrage de l'Eternité l. 2. c.* 15. *en disant:* Sunt qui dicunt, nec displicet responsum: scelerati in locis infernis semper peccant, ideo semper puniuntur... *M. Jurieu dans son livre de l' Unité de l' Eglise... juge p.* 379. *que la raison nous dit, qu' une creature qui ne peut cesser d' être criminelle, ne peut aussi cesser d' être misérable. M. Jaquelot dans son livre, de la Foi et de la Raison p.* 220. *croit, que les damnés doivent subsister éternellement privés de la gloire des bienheureux, et que cette privation pourroit bien être l'origine et la cause de toutes leurs peines, par la reflexion, quæ ces malheureuses créatures feront sur leurs crimes, qui les auront privées d' un bonheur éternel. On sait quels cuisans regrets, quelle peine l' envie cause à ceux qui se voient privés d' un bien, d' un bonheur considerable qu' on leur avoit offert, et qu' ils ont rejeté, sur tout lors qu' ils en voient d' autres, qui en sont revêtus. Ce tour est un peu différent, mais ils conviennent tous deux dans ce sentiment, que les damnés sont eux-mêmes la cause de la continuation de leurs tourmens... Les anciens ont déja conçu que le diable demeure éloigné de Dieu volontairement aux milieu de sés tourmens, et qu' il ne voudroit point se racheter par une soumission...*

dicat Baylius illam pertinaciam et obdurationem in peccato non posse damnatis imputari in culpam, qui gratia destituti resipiscere nequeunt; sicuti peccata non imputantur amentibus, qui vitare illa non possunt. Nam hic sophista non advertebat, id verum esse de amentia quæ sit involuntaria; quod si voluntaria esset amentia illa, tunc peccata et obstinatio rectè imputarentur, licet durante amentia nequiret resipiscere: Ita damnati cum in impotentiam pœnitendi se libere ac sponte conjecerint, meritò eis pertinacia in malo imputatur, meritoque perpetuo puniuntur. S. autem Thomas l. 3. *contra Gentes* c. 143. ita pœnarum explicat æternitatem, nempe discrimen ponit inter peccatum mortale et veniale, quod illud ab ultimo fine avertat, hoc vero retardet. « Si ergo ob differentiam peccatorum oportet esse differentia pœnarum, consequens est, quod ille qui mortaliter peccat, sit puniendus sic, quod excidat ab hominis fine: qui autem peccat venialiter, non ita quod excidat, sed ita quod retardetur, aut difficultatem patiatur in adipiscendo finem; sic enim justitiæ servatur æqualitas, ut quomodo homo voluntarie peccando a fine se divertit, ita pœnaliter contra suam voluntatem in finis adeptione impediatur ». Et c. 144. n. 3. habet « Naturalis æquitas hoc habere videtur, quod unusquisque privetur bono contra quod agit; ex hoc enim reddit se tali bono indignum; et inde est, quod secundum civilem justitiam, qui contra rempublicam peccat, societate reipublicæ privetur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando, sed quid sit contra quod peccavit: eadem autem est comparatio

totius vitæ præsentis ad rempublicam terrenam, et totius æternitatis ad societatem beatorum ... qui ergo contra ultimum finem peccat et contra Caritatem per quam est societas beatorum et tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri; quamvis brevi temporis mora peccaverit » Videantur cætera.

ARTICULUS VIII.

DE CONDITIONE POENARUM QUAS DAMNATI PATIUNTUR.

CL. Non una olim fuit sententia de pœnarum æternarum in inferno mitigatione, aut remissione. Quidam enim quasi ferias quasdam constituerunt, in quibus damnati requie aliqua potirentur. Prudentius censuit *Hymno V. Cathemerinon v.* 125. dæmonibus et inferorum incolis nonnihil interdum quietis et relaxationis indulgeri præcipue in Festo Paschali, cui opinioni favere visi sunt Chrysostomus et Augustinus, et ex Scholasticis Præpositivus a S. Thoma refutatus. Ex a catholicis nonnulli putant, acerbioribus tormentis successura mitiora, aut per intervalla remitti, ut visum est Franc. de Roches ministro Genevensi. Alii quoque ex veteribus perpetuas quidem et nunquam interruptas eas pœnas esse volebant, eas tamen in acerbitate atque intensione nonnunquam minui. S. Thomas I. P. 9. x. a 3. quandam pœnarum transmutationem agnoscit. Quidam has pœnas minuendas ponunt si damnati vel peccata venialia, vel satisfactiones luendas peccatorum antea dimissorum secum detulerint, quibus persolutis, temporariæ illæ

pœnæ cessaturæ sint, remanentibus aliis. Putarunt nonnulli, orationes sanctorum etiam damnatis prodesse non ad liberationem sed ad levamen; quod innuere Augustinus videtur *Enchir.* n.cx. cum ait «Quibus autem defunctis sacrificia prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio» Quæ sententia Præpositivo arridebat, ut dictum est. Hæ tamen opiniones omnes cum nullo solido fundamento innitantur, arbitrariæ penitus habendæ sunt. Imo cum Scripturarum Oraculis pugnare videntur, ut cum Apocalypsis c. xiv. 11. dicitur: *Nec habent requiem die ac nocte*. Sed et ille epulo Lucæ xvi. impetrare non potuit, ut aquæ stilla refrigeraretur lingua ejus. Cyprianus itaque *ad Demetriadem* de damnatis ajebat « Nec erit unde habere tormenta possint vel requiem aliquando vel finem » Prudentii autem opinio l. c.

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus

Pœnarum celebres sub styge feriæ etc.

magis poëtica videntur, quam ad Ecclesiæ traditionem exacta. Mutari tamen posse illorum pœnas, semper tamen manente cruciatu, probabile est. Circa autem venialia peccata in damnatis duplex est sententia: alia Thomistarum dicentium non per se, sed per accidens fieri irremissibilia, cum remissio pœnitentiam supponat, quæ in damnatis non sit: Alia est Scotistarum docentium, venialia in inferno non puniri pœna æterna cum nonnisi temporalis pœna ipsis debeatur; quare si ob conjunctionem cum lethalibus secum ferunt pœnam damni, non tamen pœnam sensus ferunt nisi temporalem; et si nequeunt satisfacere, possunt tamen satis pati. Quantum vero ad opinionem orationum pro damnatis,

Ecclesiæ praxi ea adversatur, quæ numquam pro his orare consuevit, ut habet Augustinus l. xxi. *de Civ. Dei* c. 24. et Gregorius M. l. iv. *Dial.* c. 44 Augustinus tamen id quantum ad levamen concessisse videtur. Quare Petavius l. 3. *de Angelis c. ult.* n. 18. nonnullis pro hac sententia adductis concludit: « De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia Catholica, ut propterea non temere tanquam absurda sit explodenda SS. Patrum hæc opinio, quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena ». At quamvis illa opinio de aliqua pœnarum mitigatione fuerit olim satis pervulgata, cum in Missalibus nonnullis orationes pro damnatorum refrigerio invenirentur; hæc probant, quidem apud aliquos illam invaluisse: non tamen universalem fuisse hunc orandi modum; multoque minus a majori Ecclesiæ parte fuisse admissum; cum pauci libri liturgici manu scripti inventi sint, in quibus adsint.

CLI. Celebris autem hic Quæstio occurrit de liberatione animæ Trajani Imp. ab infernali igne precibus et lacrymis S. Gregorii M. de qua Baronii ætate acriter disputabatur. Solent etiam alia proferri exempla sanctorum, qui suis precibus quorundam impetraverint liberationem, ut Falconillæ precibus S. Theclæ, Dinocratis S. Perpetuæ intercessione, Patris S. Otiliæ Virginis, quam tandiu flevisse referunt, quoadusque a pœnis inferni Deus ipsum abstraxerit. Alii memorantur, qui jam damnati, ad vitam revocati fuerunt ut possent pœnitentiam agere, et S. Augustinus Serm. cccxxiii. refert, mulierem quandam a S. Stephano impetrasse, ut ejus filius ad horam suscitaretur, quo Baptismo

abluì posset. Verum non omnia facile credenda sunt, quæ de miraculis hujusmodi circumferuntur; quorum si quæ vera essent, dicere tunc oporteret, eas animas non fuisse finali et irrevocabili sententia damnatas, sed ad tempus, ut habet S. Thomas *in IV. Sent. Dist. XLV.* 9. 2. Et quidem quantum ad Trajanum, hæc fabula facile exploditur. Et 1. ex generali lege damnationis æternæ reproborum Matth. xxv. 41. 46. 2. Ex quo sine baptismo et fide nemo salutem consequi possit Joan. iii. 5. et Marci xvi. 16. Quanquam igitur concederetur Deum potuisse absolutè his legibus derogare, quis tamen id asserere audeat sine idoneis testibus, qui desunt omnino. 3. Itaque criticæ regulis revincitur falsitatis illa narratio: Nam ea non uno modo refertur; ut enim Baronius observat ad an. dciv.«Alii dicunt ad vitam Trajanum revocatum et baptizatum a S. Gregorio, rursumque vita functum abiisse in cælum: alii, non revixisse corpus, sed clanculo animam a Gregorio baptizatam: alii, nequaquam ab inferis liberatam, sed pœnis ut dicunt alleviatam, atque ita fabulas fabulis addidere; ut ridiculum denium sit, quod additur de Trajani cranio cum vivida adhuc lingua reperto, qua ipse suam miseriam deplorans S. Gregorium ad commiserationem commoverit « Licet alii narrent, ideo Gregorium pro eo orasse, quia dum ad bellum proficiscebatur, stetit, et viduæ cujusdam causam prius audire ac judicare voluit, quam ulterius progredi. Sed ipse S. Gregorius non modo nullibi id affirmat, quin etiam *l.* xxxiv. *Moralium* c. 16. apertè inficiatur, esse pro damnatis orandum. Et *l.* vii. *Epist.* xv. postquam docuit, neminem sine fide in Christum ab inferis liberatum fuisse, addit:

« Constat autem, quia post Incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, et vitam fidei non habent: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (ad Tit. I. 16.) » Quæ cum S. Gregorius recte docuerit, quis verisimile arbitrabitur, orare ipsum voluisse pro ethnico principe et Ecclesiæ persecutore, avaro præterea ac injusto, pluribusque vitiis coinquinato, ut ex Dione Cassio, Spartiano, Juliano Apostata, aliisque monumentis constat? Accedit, illius tam præclari facinoris cujus causa S. Gregorius orasse fertur, neque a Plinio *in Panegyrico*, nec ab aliis veteribus verbum ullum haberi.

CLII. Nullam ergo vim adversus allata argumenta habere queunt nonnullorum auctoritates, qui multo post tempore scripsere, ut Pauli Warnefridi, Diaconi dicti, qui obiit an. 784. aut Joannis Damasceni an. 787. vel Joannis Diaconi Ecclesiæ Romanæ, ut res credatur, quæ et incredibilis per se est, et ab Auctoribus majore fide dignis prætermittitur, et cum ipsa S. Gregorii doctrina aperte pugnat, et cujus nullum idoneum testem referunt; quin et ajunt, non esse eam rem curiosius investigandam, ut hinc a difficultatibus liberi evadant. Ad Damascenum vero quod attinet, illa Oratio *De iis qui in fide dormierunt*, a Criticis jure supposititia habetur, quæ absurda complectitur eidem prorsus indigna. Non Trajani tantum et Falconillæ, sed plurium quoque infidelium liberationem a Christo factam, cum ad inferos descendit, refert; quæ falsa opinio cum iis pugnat, quæ docet *L. II. de Fide Orthodoxa.* Quod si quis genuinam vellet Orationem illam, ejus tamen auctoritas ea de re rejicienda foret, cum ea narret quibus nemo pru-

dens fidem dabit, ut cum narrat ex Palladii *Historia Lausiaca*, S. Macarium a cranio cujusdam ethnici sacerdotis didicisse, ejus precibus tum se, tum damnatos alios solamen capere, quod in ea historia minimè legitur. Similem quoque de Falconilla fabellam confingit, toti antiquitati ignotam, quæ cum fabula Trajani explodenda est. An criticus aliquis tale fœtum Damasceno viro prudentissimo attribuet? Ex illa autem pseudo-Damasceni Oratione hæc fabula in Euchologium Græcorum irrepsit, ut propterea majore non gaudeat auctoritate: Afferuntur quidem in præsidium *Revelationes* S. Birgittæ et S. Methildis, quæ idem factum referunt. At Catholici norunt, hujusmodi Revelationibus fidem non esse adhibendam cum res narrant nulla auctoritate suffultas et ab Ecclesiæ doctrina alienas. Sed nec inter se cohærent Revelationes illæ; nam S. Birgitta Trajani animam fuisse ab inferis in sublimem gradum evectam dicit; ait vero S. Methildes, Deum velle, ut homines lateat, quid pro sua clementia de Trajani anima constituerit. Verum Benedictus XIV. *de Canoniz. Sanctor. l.* 2. *c.* 32. scribit, approbationem harum Revelationum nihil esse aliud, quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem atque utilitatem post maturum examen, « Licet enim non possit iis adhiberi assensus fidei Catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas ». Revera nihil de fide divina est eorum, quæ novimus ex factis revelationibus post tempora Apostolorum, quacumque approbatione gauderent; cum non sint nisi facta humana. Nullius quoque ponderis auctoritas habenda est Joannis Diaconi S. Gregorio annis tercentis posterior. Is hanc fabulam non ex actis Eccle-

siæ Romanæ haurire scribit, sed ex obscuris Anglo-Sassonum relationibus. Hinc et ipse fatetur, eam historiam suo tempore in dubium revocatam fuisse. Quod refertur de Dinocrate, qui in loco tenebricoso damnatus jacebat, et liberatus est precibus S. Perpetuæ, ut in ejus Actibus legitur a Cardinali Ursio contra Basnagium vindicatis; S. Augustinus l. 1. c. 10. et l. 3. c. 9. *De Origine animæ* ita explicat; quod nempe Dinocrates S. Perpetuæ frater non ex inferno, sed ex Purgatorio liberatus sit, ubi levium peccatorum pœnas luebat. Nam tota illa domus baptizata fuerat excepto patre, qui Dinocratem licet septennem in quasdam leves culpas inducere potuit. Denique etiamsi auctores plures hanc Trajani liberationem fide dignam censuerint, inter quos S. Thomas adnumeratur; alii tamen auctoritate præstantes viri severioris criticæ regulis adhibitis, illam uti commentitiam exploduut, inter quos Bellarminus *l.* 2. *de Purgatorio*, Baronius ad an. 604. Melch. Canus *l.* 2. *de Locis c.* 2. Nat. Alexander *Dissert.* 1. *in Sæc. II.* Card. Ursius *T.* xx. *Eccl. Hist.* Gazzaniga T. vii. Jo. Bapt. Gener. *Theologiæ* T. iv. p. 469. et alii passim. Quantum vero ad S. Thomam, is non absolutè, sed hypotheticè loquitur, supposita nempe historiæ veritate; quam expendere, cum instituti sui tunc non esset, eam cum fidei doctrina de pœnarum æternitate conciliare studet, docens, si qui ab inferno liberati fuerint, eos nondum finali sententia condemnatos fuisse.

ARTICULUS IX.

QUAESTIONES NONNULLAE CIRCA DAMNATORUM STATUM ENODANTUR.

CLIII. Plura inquiri solent de statu damnatorum tam hominum, quam dæmonum, ut apud S. Thomas aliosque videre licet. Ad nos quod attinet, præcipua tantum hîc postremo loco attingemus. Et 1. Quæritur, in quonam reponenda sit illorum infelicitas, quam veteres *formalem* dixere, seu quæ format et constituit miserum eorundem statum et conditionem? Et respondetur, *physice* consistere in cumulo seu aggregatione malorum animi et corporis, quæ una cum cognita privatione æterna Summi Boni hominem constituunt in gehenna inferorum infelicissimum: *metaphysicè* verò, in actu intellectus quo animus evidenter agnoscit æternam Dei privationem, et in actu voluntatis quo eam amarissimè sentit. Hæc privatio in se spectata dicitur *pœna damni:* molestia verò quæ ex ejus privatione oritur, et afficit animum, *pœna sensus* dicitur una cum cæteris doloribus qui spiritum et corpus affligunt. Utrâque pœna affici, qui propriæ voluntatis vitio damnationem incurrunt, ad fidem pertinet. Communis sententia est, actum voluntatis, quo divinæ justitiæ effectus aversantur, præcipue cônstituere infelicitatem eorundem. Has pœnas majores vel minores esse pro singulorum operum diversitate, est quoque fide certum; cum Deus sit unicuique redditurus secundum opera sua.

CLIV. Sed est 2.° Quæstio agitatissima, An tartareus ignis sit corporeus ac materialis, num verò metaphoricus tantum? Qua de re licet non adsit Ecclesiæ definitio, tamen probatum theorema est illud, quod ignem tartareum ponit materialem sive corporeum. Nam exceptis Cajetano et Catharino, Theologorum concors est et communis in Ecclesia sententia, quæ verum ignem ac sensibilem habet; a qua nec plures inter protestantes dissentiunt, ut Magdeburgenses, Buddeus, Stackousius aliique e schola lutheranorum. Nam huic sententiæ 1. mirificè adstipulantur Scripturæ multis in locis; ut Deuteron. c. XXXII. 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima:* Isaiæ XXXIII. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Ecclesiast. XXI. *Consummatio illorum flamma ignis*. Matth. III. *Paleas autem comburet igne inextinguibili*. Et c. XXIII. vocatur *Caminus ignis:* et c. XXV. *Discedite . . . in ignem æternum:* Cap. autem V. *Gehenna ignis* dicitur. Petri 2. c. 3. 7. habetur: *Igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum*. Apocal. XX. Infernus dicitur *stagnum ignis*, et Psal. XX. *Clibanus ignis . . . et devorabit eos ignis:* atque ita frequenter. Modo, ab omnibus recepta regula est, Scripturarum verba, quæque eadem phrasi tam in propheticis quam in historicis Libris efferuntur, nisi cum aliis pugnent, nec sit necesse ut aliter accipiantur, in sensu proprio ac literali esse intelligenda. Cum ergo divinæ Literæ ubique ignem in inferno ardere testentur, nec alicubi offendatur oppositum, nec alia ulla occurrat causa legitima ob quam tropicè seu figuratè hic ignis accipi debeat, quis non

verum ac propriè dictum ignem intelligat? Quis supremum Judicem postremam sententiam coram universo mundo promentem metaphoris uti crediderit? Præterea quid opus fuisset infernum comparare *gehennæ* id est *Valli Hinnon* et *Topheth*, ubi idolo *moloch* pueri incendebantur, ut habet Jeremias c. VII. 31. et insuper *gehennæ* addere vocem *ignis*, ut fieret phrasis significans *Gehennam ardentem*? Negari nequit igitur in inferis verum ac proprium ardere ignem, ut Patres uniuscujusque ætatis communi consensu docuere, Polycarpus, Justinus M. Irenæus, Tertullianus, et Hieronymus, qui *Epist. LIX.* Origenem arguit, quod ignem inferni metaphorica translatione explicaverit, Gregorius qui *l. IV. Moralium* c. 29 scribit « Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari » ac demum præ cæteris Augustinus *l. XXI. de Civ. Dei* c. 10. plura de hoc argumento disserens et concludens: « At verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis et sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, et cruciabit corpora damnatorum » Quibus auctoritatibus accedunt Acta Martyrum vetustissima, in quibus de materiali tartareo igne frequens mentio fit. Quid? Nonne ignis et corporeæ pœnæ in inferno a gentilibus etiam agnoscebantur? Ita in supra allato Virgilii textu l. VI. Æneid.

Ergo exercentur pœnis . . . . .
. . . . aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

CLV. Verum hæc omnia nondum tamen dogma catholicum constituisse, at sententiam dumtaxat omni probabilitate suffultam et ad rem certam accedentem,

nobilissimi Theologi, ut Vasquez Petavius, Silvius, l' Herminier, Berti, contra Cardinalis Gotti opinionem docuerunt. Et quidem catholicam veritatem non constituunt privati auctores, nec ea de re ulla extat Ecclesiæ definitio: imo in Florentino Concilio græci, qui asserebant materialem non esse Purgatorii ignem, in Ecclesiæ communionem recepti sunt. Denique Catharinus sententiam secutus est, quam præter Origenem alii tenuere Patres, inter quos Ambrosius *Lib. VII. in Luc. c.* 14. ubi ait: « Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis; sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes, ita si quis non decoquat peccata sua... igne aduretur proprio, et suis vermibus consumetur » Itaque temerarium quidem esset, verum inficiari et corporeum ignem, non tamen erroris nota incusandum.

CLVI. Contra communem sententiam opponitur illud Isaiæ c. LXVI. ubi de reprobis dicitur: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur:* At vermis metaphoricè pro synderesi et angore conscientiæ accipitur; ergò tropicè quoque et figuratè erit ignis accipiendus et ardor. Hic tamen minor propositio minimè certa est, cum vermis literaliter etiam et propriè accipi possit, licet figuratè aculeum etiam significet et vexationem conscientiæ; nam Ecclesiastici VII. 19. habetur: *Vindicta carnis impii ignis et vermis:* et Judith. XVI. 21. *In die Judicii visitabit illos; dabit enim ignem et vermes in carnes eorum ut urantur et sentiant usque in sempiternum*. Quare Basilius in Psal. XXXIII. scribit « In inferno vermium innumera-

bilium genus venenosum et carnivorum erit » Quod et alii passim affirmant. Verum non eadem est ratio de verme ac de igne: De hoc enim adeo crebra et constans fit in Scripturis mentio, ac potissimum in sententia supremi Judicis in qua nullus est metaphoris locus, et ubi hic ignis dicitur diabolo præparatus; ut non nisi de vero creato igne accipi possit. S. autem Thomas in *Suppl. q.* 97. *a.* 2. Vermem figurate vult esse accipiendum, quod post Judicii diem in mundo renovato non remanebit aliquod animal, nisi corpus hominis; quia nulla amplius erit generatio, sed omnia incorrupta. Quod ajunt, Patres in hac re dissentire; nam Damascenus docet, æternum ignem non materialem esse qualis est apud nos, sed qualem novit Deus » Gregorius vero *l. XV. Moral.* c. 17. incorporeum eum ignem vocat: et Augustinus *l. XXI. de Civ. Dei.* c 10. scribit, talem fuisse illam flammam in qua apud inferos dives ardebat, quales oculi quos levavit et Lazarum vidit, qualis digitus Lazari etc. id est tropicè omnia dicta; Hæc, inquam, facile dissolvuntur. Nam Damascenus ait dumtaxat, ignem non esse materialem qualis est noster, qui indiget pabulo, et aliis secernitur proprietatibus; Nam cujus indolis sit ignis ille mirabilis qui spiritus exurit, et de quo epulo ajebat, *crucior in hac flamma*, quis hucusque noverit et clarè exposuerit? Gregorii verò sententia manifesta fit ex allatis, qui incorporeum ignem dicit quatenus fomentis non eget: hinc ait « nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis ». At plures censent, ibi legendum, *cum sit corporeus*, uti legerunt S. Thomas et alii. S. Augustinus autem ita ibi respondet, quia

controversiam tunc dirimere noluit de divitis narratione, an historia sit vel parabola, etsi apertè alibi asseruerit corporeum esse ignem illum. Denique quod ajunt, ad hunc ignem multis opus esse miraculis, nullius est roboris; nam miracula non dicuntur leges physicæ singulis impositæ creaturis: alioquin et attractionis et motus leges, et leges commercii animæ cum corpore, et vires spirituum corpora movendi, miracula appellanda essent, quod non fit.

CLVII. Quæstio tertia agitari solet, quanam ratione corporeus ignis spiritus torqueat immateriales, et quomodo post universale judicium sit corpora cruciaturus absque eorundem corporum resolutione. Qua de re Petavius scribit, multum in hoc Theologos laborare, dum quod investigari non potest, inexhausta curiositate perquirunt. Bellarminus *l.* 2. *de Purg.* ait, quomodo id fiat neque Revelatione innotescere, nec ratione sciri posse. Respondet itaque Augustinus *l.* xx. *de Civ. D.* c. 16. « Qui ignis cujusmodi futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit » Et l. xxi. c. 10. « Adhærebunt spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi . . . ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam ». Nullus ergo modus statui posset, qui mortalium conjecturis satisfacere aptus sit. Danda hominibus dumtaxat est opera, ne unquam in se experiantur, quænam sint eæ pœnæ. Cæterum verisimilius videtur, hos spiritus corporeo igne cruciari per alligationem, quam patiuntur inviti, et a qua digredi spontè non valent, ut innuit Augustinus, eaque est S. Thomæ sententia *l.* iv.

contra Gen. c. 92. ubi monet 1. non esse putandum, incorporeas substantias ita posse ab igne pati, ut earum natura corrumpatur, alteretur, aut alio modo immutetur. 2. Nec pati afflictionem ratione alicujus contrarietatis, sicuti corpora humana licet incorruptibilia post resurrectionem patientur; cum sensus non habeant, nec potentiis sensitivis utantur: patiuntur igitur, inquit, substantiæ incorporeæ a corporeo igne per modum alligationis cujusdam... et hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt, se rebus infimis alligatas in pœnam ». Nam ita detinentur et retardantur ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possint operari ubi volunt, et modo quo volunt. Putarunt alii, ut S. Bonaventura et Albertus Magnus, spiritus ad ignis præsentiam sola apprehensione torqueri. At hoc posito spiritus verè ab igne non cruciarentur, sed imaginaria tantum tormenta essent; quamvis reales pœnæ queunt sentiri etiam ab imaginariis malis per species in mente impressas. Verum inferni ignem imaginarium non esse jam vidimus, idque Ecclesiæ consensus satis ostendit, demonstratque invictis argumentis Vinc. Patuzzius *De impiorum statu*. Cum vero Ægidius et Okamus ajunt, id confici per speciem ex igne mentibus impressam, hæc eorum opinio ad allatam revocatur. Sentiunt alii, elevari flammam ad physicam efficientiam in spiritus: alii contendunt, produci ab igne qualitatem spiritualem quæ dæmones etiam affligat; quæ opiniones inextricabilibus laborant difficultatibus; nam, ut advertit S. Thomas, spiritus qualitates ignis corporaliter nequeunt suscipere; suscipiendo autem intelligibiliter, non cruciarentur ab igne, sed a propria

apprehensione. Alii demum intelligere non valentes, quomodo corporeus ignis in spiritus agat, in sensu minus proprio ignem esse intelligendum voluere; quod tamen est Scripturis adversum. Qua tandem ratione ignis iste corporeus post universale Judicium sit corpora cruciaturus absque eorundem resolutione, inde fiet, quod corpora damnatorum erunt quidem incorruptibilia, ut nec amplius dissolvi queant, aut ab eorum anima separari, sicut de iis dicitur in Evangelio: *Quærent mortem et non invenient*; at non propterea ea corpora impassibilia evadent, cum de illis dictum sit Judith c. XVI. *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum*.

CLVIII. Quæritur quarto loco: Num præter ignis tormentum aliis pœnarum generibus damnati excrucientur? Et quidem plura suppliciorum genera reproborum corpora ac spiritus passura fore juxta uniuscujusque flagitia et Scripturæ et Patres generatim testantur. Legitur Psalmo X. *Ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum:* Jobi c. XXIV. *Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium*. De tenebris et vinculis fit mentio in Evangelio Matth. c. XXII. 13. *Ligatis manibus et pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium*. In Epist. S. Judæ v. 6. dicitur de dæmonibus: *Vinculis æternis sub caligine reservavit*, quod et Petri Ep. 2. c. 2. habetur. At illa cujus conditionis erunt, non facile definire est, cum documenta non suppetant, quibus queamus solidè inniti: Si corporeum igitur ignem exceperimus, cujus existentia validis ostenditur argumentis, de cæteris ægrè admodum definietur, an in sensu proprio,

et non potius in tropico et figurato sensu ea sint accipienda. Itaque S. Thomas *l. IV. cont. Gentes c. 90.* ait, « nihil prohibere, quædam etiam quæ de damnatorum pœnis in Scripturis dicta corporaliter leguntur, spiritualiter accipi, et veluti per similitudinem dicta, sicuti dicitur: *Vermis eorum non morietur:* potest enim per vermem intelligi conscientiæ remorsus, quo etiam impii torquebuntur; non enim est possibile, quod corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt. Fletus etiam et stridor dentium in spiritualibus substantiis non nisi metaphoricè intelligi possunt. Quamvis in corporibus damnatorum post resurrectionem nihil prohibeat, corporaliter ea intelligi; ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solùm dolor cordis, conturbatio oculorum et capitis, prout in fletibus esse solet « Hæc S. Doctor. Idem dicendum de fumo, tenebris, fame, siti, et plagis, quæ pœnæ in Scripturis occurrunt, etiamsi non semper constet, an de malis reproborum sermo sit, et de quibus veluti de corporeis rebus pauca aut nulla apud antiquos Patres reperire est. Quare Theologus cautus incedat ad illa omnia in sensu proprio accipienda. Frequenter a fervidis concionatoribus audimus, cum ad populum has pœnas describunt, afferri in medium sartagines ignitas, catenas ferreas, tremendos leones, rabidas tigres, insuaves epulas, potus amarissimos et alia id genus. At hæc oratorio potius more et ad captum populi, ut salutari metu a criminibus retrahantur, dicta esse intelligamus; non verò quasi exacta ad criticæ regulas et ad

proprium sensum. Affirmare igitur satis erit, gravissimas esse illas pœnas, et infernum vere esse *locum tormentorum*, ut eum vocat ille dives epulo *Lucæ* xvi.

CLIX. Cum autem in inferno sit corporeus ignis, ut vidimus, inde sequitur materialem quoque esse locum; et quamvis Ecclesia, ubinam sit, non definiverit, omnia tamen suadent, in terræ visceribus esse ponendum, uti dictum est; nam locutionibus Scripturarum valde est id consentaneum, ut ex locis nonnullis N. xcvii. allatis patet. At in quanam Terræ parte existat, an circa centrum, vel Telluris superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, ajebat Augustinus *apud S. Thomam*. Videndus Patuzzius in Op. *De sede inferni*. Utrum vero damnatos pœniteat de male factis, et an sint obstinati in malo? Respondet S. Thomas *in Suppl. q.* 98. *a.* 2. Quod pœnitere de peccato dupliciter contingit: Uno modo per se: alio modo per accidens. Primum est, cum quis peccatum, ut peccatum est, abominatur: alterum, cum quis illud odit ratione alicujus adjuncti, ut pœnæ. Mali igitur non pœnitebunt per se loquendo de peccatis, cum in eis malitia peccati remaneat. Pœnitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de pœna, quam pro peccatis sustinent, et ideo dicitur de iis Sapientiæ c. iii. *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes etc.* Hinc erit eorum voluntas obstinata in malo; quod de voluntate deliberativa intelligendum est: Duplex est enim in damnatis voluntas, *deliberativa*, et *naturalis*. Naturalis autem non est ex ipsis, sed ab Auctore naturæ; unde cum natura in eis remaneat, secundum hoc poterit in eis bona esse

voluntas naturalis. At deliberativa est ex ipsis qui cum sint perfectè aversi a fine ultimo, nec aliqua voluntas possit esse bona nisi per ordinem ad ultimum finem; hinc etiamsi aliquando bonum velint, non tamen benè volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit ». Obstinatio autem hæc oritur ex misera status eorundem conditione conjuncta cum naturali fragilitate creaturæ suis tantum viribus relictæ, nulloque supernaturali Dei auxilio suffultæ, sine quo nequit se ad ultimum finem convertere: nec ordinaria Dei providentią sinit, ut auxilium illud ei tribuatur, uti sup. adnotatum est N. CXLIX. Quærit etiam S. Th. utrum damnati Deum odio habeant; et sapienter respondet, affectum moveri ex bono vel malo apprehenso: Deus autem apprehenditur dupliciter, *in se*, et *per effectus*. In se ipso, cum sit per essentiam Bonitas, non potest alicui voluntati displicere; sed effectuum ejus aliqui sunt voluntati repugnantes: et secundum hoc, aliquis non in se ipso, sed ratione effectuum Deum odio habere potest. Damnati ergo Deum percipientes in effectu Justitiæ, qui est pœna, eum odio habent sicut pœnas quas sustinent; licet nequeant amplius mereri vel demereri, quod et ipsis pœna est. Idem S. Th. *in Suppl. q.* 98. *a* 3. præter alia quærit, An damnati magis vellent non esse, quam esse? Ac respondet, quod non esse, possit dupliciter considerari, 1. *secundum se*, et sic nullo modo est appetibile, cum non habeat aliquam rationem boni, sed sit boni pura privatio, 2. *in quantum est ablativum pœnalis vitæ*; et sic *non esse* accipit rationem boni; carere enim malo est quoddam bonum; et secundum hunc modum melius est damnatis non esse,

quam miseros esse: Hinc Matth. XXVI. 24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Et Apoc. IX. *In diebus illis desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis.* Mors et annihilatio eligitur itaque non *per se sed per accidens*: Et secundum hoc damnati possunt præeligere *non esse* secundum deliberativam rationem.

CLX. Quæritur tandem, quinam æternis inferni pœnis plectendi sint? Et respondetur: Certò juxta Scripturarum oracula ita eos esse puniendos, qui ex hac vita cum actuali ac lethali peccato et in impœnitentia finali decedunt; eis enim dicitur Matth. XXV. *Ite in ignem æternum*. Et Apocal. XVIII. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Itaque Innocentius III. *l.* 3. *Decretalium tit.* 42. *c. Majores*, habet: « Pœna Originalis peccati est carentia Visionis Dei: Actualis verò peccati pœna est gehennæ perpetuæ cruciatus » Inde colligitur, decedentes cum solo Originali peccato solam exclusionem a Visione beatifica et a Regno cælorum passuros in loco a gehennali prorsus diverso, juxta Christi D. sententiam Joan. c. III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*. De Fide itaque est, hanc solam pœnam eos secuturam. Nam damnatio ad ignem æternum, ut quidam contendunt, adeo repugnans Dei clementiæ videtur, ipsique rationi, ut non sit asserenda, nisi evidenter habeatur ex divina Revelatione, de qua minimè constat; imo oppositum declarant Patres Nazianzenus, Nyssenus, Bernardus, Bonaventura, S. Thomas, et ipsemet Augustinus *in damnatione mitissima* eos futuros ait *l.* V. *contra Julian.*

atque addit *Serm.* XIV. *de Verbis Apost.* « Hæc illis sola pœna est, non esse in Patria ». Imo nec ipsa pœna damni gravem illis affert mœrorem, cum illam non ob actualem culpam patiantur, sed ex ordine divinæ Justitiæ. Videantur hac de re, quæ dicta sunt *De Rebus Divinis* Sect. III. n. CCCII. CCCIII. Censent autem Theologi plures, parvulos cæterosque, qui cum solo originali, et sine lethali culpa actuali, ex hac vita migrarunt, ex clementia Summi conditoris post universale Judicium Orbem Terrarum pulcherrimè renovatum perpetuò habitaturos, scientiam rerum naturalium fermè omnium possessuros, et corpora servaturos prorsus impassibilia, quin cibo et potu indigeant: dotibus quoque naturalibus fruituros ab omni sensibili pœna immunes, ut propterea Sedes illis conveniens destinanda sit.

CAPUT IV.

DE CÆLO EMPYREO, DEQUE BEATORUM SEDE, AC FELICITATE AGITUR.

CLXI. Jucundissimum tandem aggredimur argumentum de felici Beatorum sorte acturi, ac primò de illorum sede inquirendum venit, circa quam plurima a Criticis pertractari solent; et 1. quonam in loco hoc Dei Regnum futurum sit. In Scripturis sacris hoc Beatorum domicilium videtur in supremo Cælo statui, quod Apostolus appellat *Tertium Cælum*. Itaque hoc Domicilium *Regnum Cælorum* passim in Scripturis dicitur. Sed in quonam hujus immensi Universi loco Cælum hoc statuemus? Vulgaris est sententia, post Firmamentum

esse locum quendam prope immensum ingenti lumine illustrem, quem idcirco *Empyreum* vocant, quasi dicant *Igneum*, ubi Sedes Beatorum vulgo ponuntur. Hanc quoque fuisse Platonicorum sententiam elucet ex Tullio in *Somnio Scipionis*, cui, cum sibi videretur in cælis cum beatis adesse, Africanus ajebat N. XI. « Videsne illam urbem... Ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco ». Subinde verò Paullus pater ita filium Scipionem alloquitur N. XVI. « Ea vita via est in cælum, et in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides: (Erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens) quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis etc. » Sed etiamsi non valde repugnet, Domicilium beatorum immenso quodam lumine collustrari cum dicatur de Deo 1. ad Tim. VI. *Qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem*; vulgaris hæc tamen opinio de Empyreo supra Firmamentum posito probabilis non satis videtur. Nam cum nullum sit cælum solidum, æreumque illud aut crystallinum firmamentum fabella sit veterum astronomorum, si esset locus tam longe lateque diffusus et activissimo corporeo lumine radians, cerni utique ab hominibus deberet, cum ipsæ remotissimæ stellæ longe minores cernantur. Præterea cum Deus sit immensus, nec in uno magis quam in alio Universi loco existat, nulla ratio adest, cur non universum totum, sed una tantum ejus pars pro sede beatorum habenda sit; potissimum cum lux, de qua Apostolus loquitur, non materialis, sed metaphorica intelligatur oporteat. Itaque sci-

mus quidem Beatorum sedes splendidissimas esse et jucundissimas; at quò tandem in loco sitæ sint, nos latet.

CLXII. Hinc non mirum videri debet, si non una fuit etiam inter Catholicos ea de re sententia. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus dictus, qui obiit anno MDXXXIV. *in Expositione* 2. *ad Corinth. Epist.* c. 12 asseruit, Apost. Paulum *per Tertium Cœlum* intellexisse summum, in quo est beatorum sedes, et illud esse Cælum aqueum a philosophis Primum Mobile appellatum, ac subdit « Empyreum siquidem cælum a posterioribus traditum nullibi in Scripturis invenitur ». Plures in Cajetanum hinc quasi hæreticè locutum insurrexere, et Ambr. Catharinus ejus æmulus temerè saltem ea protulisse vult, quasi Empyreum evertat cælum, quod hoc nomen jam a Severini Boëtii tempore (*De Scholarium disciplina* c. 3.) consecratum fastidiat. Verum non opus erat, tanto impetu in Cajetanum invehere, cum ipse *summum Cœlum*, quacumque illud materia constet, Beatorum sedem esse posuerit. Quod vero dixerit, Empyrei nomen nullibi reperiri in Scripturis, ipsi commune est cum S. Thoma 1. P. q. 66. a. 3. dum ait « Quod Cælum Empyreum non invenitur positum nisi per auctoritatem Strabi, et Bedæ, et iterum, per auctoritatem Basilii ». Si ergo Cajetani adversarii intelligunt, ipsum de Beatorum sede locutum esse, quæ Cælum Empyreum vulgò appellatur, hoc nemini Catholicorum in dubium vertitur; si verò intendant, esse dogma fidei, quod illud Cælum hac vel illa materia constet, hoc aut illo loco situm sit, his vel illis corporeis dotibus ornetur; nulla plane est, nec forsan in terris unquam erit de his revelatio et Ecclesiastica definitio. Augustinus

Steuchus Eugubinus sedis Apostolicæ Bibliothecarius, Kisani Episcopus ac Trid. Synodi Pater, qui anno floruit 1545. in sua Cosmopœeja contendit, statuendum haud esse locum quendam corporeum, in quo Angeli et Beati inhabitent, sed loco vulgati Empyrei esse admittendam lucem illam increatam a divinitate emicantem, nostræque beatitatis et gloriæ fontem intra quam commorentur sancti supra mundum in seipsis; sicut mundus non in alio corpore sed in se ipso existit. Quocirca Empyreum non aliud esse arbitratur, quam æternam et increatam divinitatis lucem, quæ cælestes incolas beatos facit. Id Claud. Sanctesius Ebroicen. Episcopus an. 1576 et Conrad. Vorstius inter protestantes, aliique adoptarunt. At Bened. Pererius, aliique opinamentum hoc rejecerunt, quasi Eugubinus Empyreum in re aliqua increata et Deo coæterna, ab eoque distincta constituerit; quod ipse non posuit: ait enim: « Est enim Cælum Empyreum claritas divina, quam semper fuisse cum Deo necesse est, ad quam claritatem admisit Angelos incredibili humanitate sua, et homines pios ». Per ipsum ergo Cælum Empyreum non est aliquid Deo coæternum, quod ponere esset hæreticum; sed est ipsemet Deus illiusque Claritas. Subdit etiam Eugubinus: « Dico, ut mihi videtur: si fallor, errorem non defendo ». At hæc opinio, licet Fidei non sit adversa, cum tamen repugnet communi Doctorum consensui, et etiam ab illo opere expuncta sit, admitti non posse videtur. Modo quid sit de hac re sentiendum, et in quonam beatitudinis essentia consistat, inquirendum est.

ARTICULUS I.

DE BEATORUM SEDE, DEQUE BEATITUDINIS EORUNDEM ESSENTIA.

CLXIII. Enarratis Auctorum sententiis variis de Beatorum Domicilio, communior Patrum ac Theologorum doctrina modo stabilienda est. Adserendum est igitur, « Cælum sive Beatorum sedem, quam Empyreum vocamus, esse locum realem et corporeum, lucidum et egregia amplitudine præstantem, beatis illis incolis consentaneum ac Deo remuneratore dignum. Et 1. quidem id testantur sacræ Literæ. Nam Psal. CXLVIII. legitur: *Laudate eum Cæli cœlorum:* Marci XVI. 19. dicitur de Christo in Cælum ascendente: *Assumptus est in Cælum:* Lucæ XXIV. 51. *Et ferebatur in Cælum*. Et ad Ephes. IV. *Qui ascendit super omnes Cælos*. Ad Hebr. vero c. VII. 26. *Excelsior Cœlis factus:* Cum autem Christus in Cælum cum corpore ascenderit, necesse est corporeo loco receptum fuisse, qui et beatorum corpora aliquando est recepturus; ut propterea hic locus spiritualis dicendus non sit, nisi quatenus est quoque Angelorum regio. Itaque Christus discipulis ajebat Matth. V. 12. *Gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in Cælis:* et c. VI. 20. *Thesaurizate vobis thesauros in Cælo*. Hanc beatorum sedem lucidissimam affirmat Joannes in Apocalypsi, qui hanc cælestem civitatem vidit in quadro positam, cujus fundamenta ex jaspide et omni lapide pretioso, cum aliis decoramentis, quæ ibi describit c. XXI. et XXII. Hinc Baruch propheta

exclamabat c. III. *O Israël, quam magna est Domus Dei, et ingens locus possessionis ejus: magnus est et non habet finem, excelsus, et immensus.* Quare juxta plures ibi erit Paradisus rosarum, liliorum, gemmarumque et deliciarum omnium, non quidem terrestrium, sed cælestium, quæ mirè oculos sensusque felicium Civium oblectabunt. Alioquin corpora sensusque Beatorum, quæ dura adeo et atrocia passa sunt, suis carerent meritis oblectamentis, ac solæ animæ illorum mentesque beatæ essent, quod non videtur. Itaque Tobias, Isaias, Joannes horum plura enumerant. Tobiæ c. XIII. 21. *Beatus ero si fuerint reliquæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem: Portæ Jerusalem ex sapphiro, et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus etc.* Isaiæ c. LIV. 11. *Fundabo te in sapphiris ... et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Et Apoc. XXI. 18. *Ipsa vero Civitas aurum mundum;* et alia quæ ibi recensentur, quæque plerisque placet ad literam esse accipienda; quanquam plures alii contendant ea ad sensum mysticum et symbolicum revocanda esse; quod verius existimare decet. At ex tot oraculis ambigi non posse videtur, locum quendam amœnissimum Beatis excipiendis paratum esse; cum eis Christus dicturus sit Matth. XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi.*

CLXIV. Non itaque inficiari oportet, sensus ibi corporeos oblectamentis suæ conditioni congruentibus recreandos fore, quod S. Thomas adstruit *in Supplem. q.* 82. *a.* 2. inquiens: « Ergo omnes sensus præmia-

buntur in Beatis: Nam corpus præmiabitur; sensus itaque potiori jure, qui vicinius se habent ad Animam quam corpus, et potentiæ sensitivæ perfectiores sunt actui conjunctæ quam non conjunctæ: ac natura humana erit in Beatis in maxima perfectione ». Veruntamen determinari nequit quidnam erunt hæ delectabiles sensationes, quas et Isaias et Apostolus affirmant superiores esse præsentibus notionibus quas habemus: Hic 1. Cor. c. 2. 9. clamat: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Isaias vero c. LXIV. 4. *A sæculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te: occurristi lætanti et facienti justitiam*. Sed Beatorum corpora in aliquo delectabili et congruenti sensuum exercitio futura, inde evincitur, quod essent alioquin ibi quasi mortua et sine sensu, quod perfectissimum illum statum dedecet omnino. Imo nec mutos fore sanctos in Empyreo sæpius Scripturæ prædicant, ut Apocal. c. XIX. 1. Et Psalm. CXLIX. *Exultabunt Sancti in gloria .... exaltationes Dei in gutture eorum*. Sed gaudia Cælorum cogitationem omnem nostram supergressura, admonet et alibi Apostolus 2. Cor. IV. 17. inquiens: *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Drexellius itaque *l. 1. de Cælo c. 1.* hunc ponit canonem, « Ut de rebus Empyrei quisquis locuturus quantum potest tantum audeat, quia Paradisus major est excellentiorque omni laude nostra: Quinimo, cum de Cælo sermo est, vix ullæ, ut in rebus

aliis, exaggerationes metuendæ sunt: Quidquid hic dicitur, minus dicitur ». In hæc quippe concordant Patres mirificè, imo et ipsa ratio his suffragium affert. Quid? Non ne ipsi sapientes ethnici dogma de immortali quadam et eximia beatitudine piorum Animis donanda semper professi sunt? Id per veteres ac recentes singulas nationes discurrendo facile demonstrari posset. Itaque ex Veterum philosophorum et poëtarum schola hæc Virgilius canebat Æneidos l. VI. v. 640. et 660.

Devenére locos lætos et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas:
Largior hic campos æther, et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt...
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi:
Quique Sacerdotes casti, dum vita manebat:
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti:
Inventas aut qui vitam excoluere per artes:
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

Quærit S. Th. *in Supplem. q.* 69. *a.* 3. Utrum Animæ existentes in Paradiso egredi valeant? Et Affirmativè respondet, auctoritate suffultus S. Hieronymi *L. contra Vigilantium*, qui id inficiabatur, et quem ita alloquebatur: « Ais enim . . . subter Aram Dei Animas Apostolorum et Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, cum voluerint, adesse præsentes: Et ita tu Deo leges impones? Tu Apostolis vincula injicies? Ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo de quibus scriptum est: Sequuntur Agnum quocumque ierit. Et si Agnus ubique est, ergo et hi, qui cum eo sunt, ubique esse credendi sunt » Et rursus

ibidem « Cum diabolus et dæmones ubique vagentur orbe toto, et celeritate nimia ubique præsentes sint, quare Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, et inde exire non poterunt ? » Quod tamen ita est intelligendum, ut si a loco, nunquam tamen a statu suo exeant, et Beati semper et ubique beati sint, ac Divina visione fruantur.

CLXV. Hanc beatitudinem S Augustinus tribus exprimebat verbis « Videbimus, Amabimus, Laudabimus » At de ejus essentia inquirendo, Beatitudo formalis, seu quæ hominem beatum constituit, *physicè* seu realiter est complexus bonorum omnium Animæ et corporis, quæ cum Visione Dei ejusdemque Summi Boni possessione constituunt hominem in Patria perpetuò felicissimum: *Metaphysicè* autem, sive in suo primario ac principali conceptu, est ipsa Dei possessio et visio, qua posita homo absolutè beatus est. Itaque 1. Jo. c. III. habetur: *Scimus, quoniam cum apparuerit* (quod erimus), *similes Deo erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Hinc exurget perfecta, æquabilis et semper duratura Voluptas, de qua Psalmista (Psalm. xxxv.): *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : Quoniam apud te est fons vitæ, et in Lumine tuo videbimus Lumen*. In hac præterea Dei Visione infinitum illud Animi desiderium Veri et Boni plane explebitur ; unde iterum Psalmista: *Satiabor cum apparuerit Gloria tua*, Psalm. xvi. Sed perdifficilis illa quæstio est, quid sit illa Dei visio, ex qua in futuro sæculo Beatorum felicitas præcipuè, imo unicè manat ? Hanc ut aliquo modo solvamus, recolenda sunt, quæ de Invisibilitate et

incomprehensibilitate Dei dicuntur *De Rebus Divinis* N. LXXII. et deinceps: Nempe 1. Visionem hanc nihil habere commune cum ea quæ oculis corporeis fit. 2. Hanc visionem non esse tantum *abstractivam* contemplationem, quæ ratiocinio et ab effectibus eruitur, cum ea sit hominibus etiam viatoribus communis; at Beatis præstantius aliquid promissum est. 3. Visionem hanc non esse comprehensionem divinæ essentiæ, cujus nulla creatura capax esse posset, ut contra Anomæos ibid. ostensum est N. LXXV. Qua ergo ratione dicemus a Beatis Deum videri? An in idea Dei qualicumque ab ipso mentibus communicata? Negant id plures, qui Deum in specie impressa non videri docent: nam idea impressa requiritur ut suppleatur distantia vel improportio objecti; at Beatis Deus est per se præsens et intelligibile, unde requiritur tantum lumen seu auxilium ex parte potentiæ intellectivæ, non verò species ex parte objecti sive ipsius Dei. An ergo a Beatis videtur in idea, quam ipsa mens coram Deo posita sibi conficiet? Hoc etiam negant Theologi, quod hoc modo imperfectissima esset Dei visio. An per unionem immediatam mentis cum Deo, ut Malebranchiani tradunt? An per effusionem Majestatis et Gloriæ Dei, qua mentes voluti absorbeantur? Sed quid est hoc Lumen Gloriæ? Num intelligentia Dei? Num mentium intelligentia, aut quidvis aliud? Nos scimus supernaturali virtute indigere, quæ definitur « Habitus supernaturalis et permanens intellectum elevans ad intuitivam Dei visionem » Quæ virtus *Lumen Gloriæ* appellari solet. Scimus hac via nos Deum visuros, et ea visione fore beatos: Qua vero id ratione fiat, nec naturæ luminis intelligimus, nec ex

Revelatione discimus. Si Apostoli scintillam quandam Divinæ Majestatis conspicati in monte Thabor, stupent et obmutescunt: Si Paulus *raptus ad Tertium cælum audivit, quæ non licet homini loqui*, atque ait, *in cor hominis non ascendere, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; profecto admonemur, quantum in his arcanis pervestigandis sit cautè incedendum (Videatur infra N. CLXXIII.).

ARTICULUS II.

DE CONSECUTIONE ULTIMI FINIS, IN QUA ESSENTIALIS HOMINIS BEATITUDO CONSISTIT.

CLXVI. Beatorum Gloriam et felicitatem positam esse in consecutione Ultimi Finis, jam ex dictis aperte constat. Hæc felicitas seu Beatitudo definitur a Boetio *l. de Consol. Philosophiæ* « Status omnium bonorum aggregatione perfectus » Ab Augustino autem « Rerum optandarum cumulata plenitudo » Et a Tullio « Bonorum omnium, secretis omnibus malis, cumulata complexio » Ad hanc beatitudinem et ad hujus supremi finis adeptionem cum omnes a natura inclinemur, præstat igitur de hoc fine potiora expendere, ne eo minus cognito, aut neglecto ab æterna excidamus felicitate. Finis itaque generatim dicitur « id cujus gratia aliquid fit », sive est bonum illud, quod propter suam bonitatem desiderium movendo causa est, ut media adhibeantur ad sui acquisitionem: Finis vero ultimus ille dicitur, in quem cæteri omnes tandem resolvuntur. Agunt autem homines propter finem, quia finem cognoscunt,

et media ad ejus acquisitionem proportionata, et quia appetunt finem. Dari vero finem hominis ultimum, appetitus ostendit ei innatus, quo in summum bonum fertur, ut ultimò in eo conquiescat, qui frustraneus in homine certè esse non potest ut proinde posse expleri, sit concedendum. Sed cum Ens summè bonum unum tantum sit, hinc finis ultimus multiplex esse non potest, Quare non potest homo eodem tempore simul efficaciter duos ultimos fines appetere, ut contingit in peccatore exercente pietatis opus, qui Deum inefficaciter pro fine sibi constituit, et efficaciter creaturam. Homo etiam omnes suas actiones refert ad ultimum finem saltem interpretativè, licet ad verum ultimum finem non semper referat; ut patet in viro justo venialiter peccante. Notandum itaque, omnia quæ ad verum ultimum finem conducunt, bona esse: At esse mala, quæcumque ab eodem fine avertunt, vel obstant ejus acquisitioni, vel illum quoquomodo impediunt, vel retardant.

CLXVII. Quinam erit itaque verus ultimus hominis finis? Constat, solum Deum esse absolute hunc ultimum finem. Id 1. Sacræ Literæ apertè testantur. Nam Apocalypsis c. 1. habetur, quod Deus est *omnium rerum principium et finis, Alpha et Omega*, ac ut ait Apostolus: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*. Ecclesiastis c. ult. legitur: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*: sive « Ad hoc creatus est omnis homo » Vel ut habet Versio Arabica « Quoniam cuilibet homini prodest hoc » 2. Id confirmatur manifesta ratione: Nam finis ultimus talis sit oportet ut ultra illum alius appeti finis non possit, ac pro-

pterea bonorum omnium cumulum in se debet continere; sed hic est solus Deus, Ens perfectissimum quo melius nec esse, neque excogitari potest. Solus ergo Deus est finis hominis ultimus, qui et est prima omnium causa: Alioquin si alius finis ultimus extra Deum possibilis foret, non esset Deus perfectissimus, atque ita neque Deus esset. Epicurei ergo qui providentiam sustulerunt et omnia temere ac inconsultò fieri confingunt, nullum finem ultimum agnovere. In consecutione igitur ultimi finis Beatitudo posita est, quæ, ut dictum est, definitur ab Augustino « Rerum optandarum cumulata plenitudo ».

CLXVIII. Beatitudo tamen multiplex distingui solet 1. Alia est *naturalis*, quæ naturæ rationali secundum se consideratæ convenit, et quam solis naturæ viribus assequi potest, et est « Status bonorum naturalium aggregatione perfectus » Alia est *supernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, et solis gratiæ auxiliis comparari potest. 2. Hæc supernaturalis beatitudo alia est *Viæ*, per quam homo summo Bono conjugitur eo modo quo in hac vita conjungi potest: Alia est *Patriæ*, qua summo Bono post hanc vitam modo perfectissimo et creaturæ competente fruitur. 3. Hæc ipsa alia est *essentialis*, quæ circa primarium objectum beatificans versatur: alia *accidentalis*, quæ versatur circa secundaria objecta. 4. Alia est *essentialiter tantum perfecta*, quam Animæ possident a corpore sejunctæ: *Alia est numeris omnibus completa*, quam habebunt resumptis post resurrectionem corporibus. 5. Alia est *formalis*, et est operatio qua cum summo gaudio apprehenditur summum Bonum ac possidetur: alia est *Objectiva*, et est res

sive objectum, cujus possessione plenè expletur hominis desiderium. Ad hoc autem requiritur, ut Objectum in se omne genus boni contineat: ut sit quid ultimum ad quod omnia referantur: ut sit sufficiens, omnem tollens miseriam, et nihil desiderandum relinquens: ut sit obtentu possibile: Denique ut stabile sit, omnemque timorem excludat. (Vid. Domin. Schram *Institutiones Theol. T.* 1. c. VII.)

CLXIX. His expeditis sequentia statuenda sunt. Et I. Quod Beatitudo hominis objectiva pro nullo ejus statu esse potest bonum creatum, sed Deus solus. Nam id 1. ex Scripturis constat ut Psalmo LXXII. *Quid enim mihi est in Cœlo et a te quid volui super terram? ... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Et Psal. XV. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei.* Et Deus ipse ad Abraham Gen. XV. 1. *Ego ero merces tua magna nimis.* 2. Ut dictum est, Deus solus omne bonum complectitur, estque ultimus finis noster, ac ad omnem miseriam tollendam sufficientissimus: cognosci præterea et amari potest, unde et obtineri, et possideri perpetuo cum sit æternus; solus ergo hominis beatitudinem in quolibet statu constituere potest. 3. Nullo in statu hæc beatitudo stare potest vel in bonis fortunæ, vel in honoribus et potestate, ut ea quæ possessa onerent, amata inquinent, excrucient amissa. et hominem potius possideant, quam possideantur ab ipso. 4. Hinc minus quoque consistit in corporis voluptatibus, quæ animum non perficiunt sed potius deprimunt, cito transeunt, magnas secum afferunt infirmitates, calamitates, ærumnas, ac mortis metu perturbant. 5. Nec in bonis animi consistere potest, velut in scientiis aut in virtute, ut ea quæ

dolores miseriasque non tollunt, amissionis metum non auferunt; quæque non propter se, at propter Deum appeti debent. 6. Denique non consistit in omnium horum bonorum cumulo, quæ neque conjuncta a miseriis singulis liberare, nec desideria perfecte explere possunt. In solo igitur Deo consistit. Nec opponatur, Voluntatem esse facultatem finitam, ut hinc bonis finitis satiari possit. Nam voluntas est quidem finita in suo esse, non vero in appetendo, ut quantum ad hoc et indeterminate infinita haberi possit. Quod si juxta nos expletur per visionem et amorem Dei finitum, id non fit quia sit animæ actus finitus, sed quia bonum infinitum attingit, et in adeptione summi boni quiescit. Nec dicatur, non satiari hoc modo appetitum humanum quia vult semper Deum cognoscere, eoque frui; Nam hic appetitus cum sit rectus, ferri nequit ad aliquod impossibile, adeoque expleri debet, Deum attingendo eo modo quo ei possibile fit. Hinc infertur, quod Deus fuisset beatitudo hominis naturalis etiam *in statu Naturæ puræ*, in quo Visio Dei abstractiva et amor naturalis fuisset summum illius bonum; nam in eo statu non fuisset homini possibilis visio et amor Dei supernaturalis, ut est in præsenti statu *Naturæ elevatæ* ad supernaturalem amorem ac intuitivam Dei visionem.

CLXX. Statuitur II.° Quod perfecta et completa beatitudo in hac vita haberi non possit. Nam, ut Jobi c. VII. habetur: *Militia est vita hominis super terram*. Et quidem hic nobis pax non est a tentationibus dæmonum, a concupiscentiis, a conscientiæ angoribus a timore peccandi, a morbis, ab afflictionibus, persecutionibus, et calumniis cum quibus stare nequit comple-

ta beatitudo; ut propterea Apostolus ipse ad Rom. vii. exclamare cogeretur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Deinde hæc qualiscumque felicitas incerta semper est et vicissitudinibus obnoxia, nec perfecta Dei cognitio, perfectusque ejus amor hîc possideri potest. Imperfecta tamen aliqua et inchoata beatitudo hîc quoque acquiri potest, ut Scripturæ prædicant, Psal. cxviii. *Beati immaculati in via*. Psal. cxi. *Beatus vir qui timet Dominum*. Et Matth. v. *Beati pauperes spiritu... Beati mites etc.* Cum enim beatitudo in possessione summi Boni consistat, seu Dei ipsius; homo in hac vita licet imperfectè eum modo aliquo possidere potest, docente Joanne Epist. 1. c. iv. *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*. Hinc Apostolus jubet ut semper gaudeamus ad Philipp. iv. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete:* Revera juxta Augustinum « Caritas sine gaudio esse non potest ».

CLXXI. Statuitur III. Quod perfecta beatitudo cum in hac vita haberi non possit, hinc in vita futura alia beatitudo eaque æterna atque perfecta credenda et speranda est. Id utriusque Testamenti Paginæ abunde ostendunt: Et quidem juxta Apostolum ad Hebr. xi. Patriarchæ veteres meliorem Patriam et cælestem appetivere; ac Deus Abrahamo pollicitus fuerat: *Ego ero merces tua magna nimis*. Danielis verò c. xii. 2. dicitur: *Alii evigilabunt in vitam æternam*. Et Isaiæ c. lxv. 14. ait Deus: *Ecce servi mei lætabuntur; et vos confundemini* etc. ita salutem æternam misero damnatorum statui opponens: Et Matth. xxv. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum...*

Et ibunt hi in vitam æternam. Sed et ratio his suffragatur: Homo enim in hoc elevationis statu perfectam appetit beatitudinem, cujus desiderium frustra ei inditum esse nequit; at eam, uti ostensum est, in hac vita nancisci non potest; poterit ergo illam consequi in altera vita.

CLXXII. Statuitur IV. Quod Deus solus, cum sit objectum beatitudinis hominis in quocumque statu, post præsentem vitam constituet quoque hominis beatitudinem cujus adeptio erit ejus beatitudo formalis. Deum autem summum bonum nostrum consequimur et possidemus per ejus congnitionem atque amorem. Gaudent itaque Beati cognitione seu visione Dei intuitiva, per quam immediatè in seipso Deum cognoscunt; Nam Matth. XVIII. habetur, quod *Angeli in cœlis semper vident faciem Patris*: Et ibid. c. v. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. 1. Cor. XIII. *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*. Nempe sicut intuitivè a Deo cognoscimur, ita et intuitivè Deus se nobis cognoscendum præbebit. Itaque Joan. Ep. 1. c. 3. ait: *videbimus eum sicuti est*. 2. Hoc ita definitum est ab Eugenio IV. *in Decreto Unionis*, in quo habetur, « Purgatas Animas in Cælum mox recipi, ac intueri clarè ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est». 3. Perfecta beatitudo est status perennis et securæ felicitatis; at hæc nisi in visione ac possessione summi boni haberi non posset. Quare intuitiva hæc Dei cognitio vocatur *Visio beatifica*, ac dicitur *cognitio comprehensorum*, quia ad eam tendimus, ut eam apprehendamus,

et acquiramus, ut hortatur Apostolus ad Philipp. c. III. 12. Ea itaque differt *in specie* a cognitione symbolica seu abstractiva, per quam Deum non immediatè in se, sed in alio et per aliud, per creatos nempe effectus cognoscimus; Verum intellectus beatorum Deum videt immediatè in se ipso, absque medio ullo vel idea impressa; nam Deus est intellectui præsens, ac nobis intimior intimo nostro, ut S. Augustinus advertit: Est etiam intellectui contemperatus beneficio Luminis Gloriæ, ut cognoscatur immediatè in se ipso. Notant verò Theologi, ratione naturali demonstrari positivè non posse, possibilem esse intuitivam hanc Dei visionem, cum non omnes possibiles terminos omnipotentiæ Dei noscamus; nec ullus naturalis effectus necessariam cum ea habeat connexionem, ut nec a posteriori id ostendi queat: ostendi tamen potest negativè, cum demonstratur, eam non esse impossibilem intellectui creato lumine gloriæ adjuto, uti probatum est *de Rebus Divinis* N. LXXIV. Ibi refutantur quoque Anomœi, qui non tantum intueri sed et comprehendi Deum posse volebant, N. LXXV. Demum intuitivam Dei visionem nulli homini viatori, præter Christum Dominum, concessam fuisse ibi etiam ostenditur N. LXXVI. ut neque ante Christi resurrectionem Animabus justorum factam fuisse ib. N. LXXXIII. adnotatur.

CLXXIII. Statuitur V. Quod Lumen Gloriæ, quo intellectus hominis elevatus Deum videt, non est lumen increatum a Deo diffusum et realiter ab eo distinctum, ut volebant Armeni et Palamitæ; de quibus ibid. N. LXXIV. Nam quidquid est, aut Deus est, aut creatura est; sed Lumen istud non est Deus, ergo creatura est: Deinde si hæc Lux esset increata et a Deo distincta, darentur

duo entia a se, et æterna, quod est impossibile. Verum Beatos Dei auxilio seu Lumine Gloriæ suffultos Deum ipsum contemplari eodem N. LXXIV. demonstratum est. Diximus autem sup. N. CLXV. quid sit per *Lumen Gloriæ* intelligendum, de quo plus æquo a scholasticis disputatum est. Animadvertimus itaque, Concilium Viennense non definivisse, quod Lumen Gloriæ sit ab Anima distinctum; quare Theologi plures sentiunt, Lumen Gloriæ esse quandam dispositionem, affectionem ac habitudinem animæ a Deo factam qua ad videndum intuitivè Deum apta redditur. Vult. cl. P. Berti, Lumen Gloriæ esse ipsum Deum, sive increatum lumen mentibus Beatorum intimè affulgens, suoque fulgore ac motione qualitatem imprimens illi realiter ab anima distinctam. Alii cum Tournelyo censent, Lumen Gloriæ per uberiorem Dei concursum suppleri posse. Sed omnes in eo concordant, illud nulli creaturæ naturale ac debitum esse posse; ex eo enim necessariò beata et impeccabilis fieret, quod non competit creaturæ. Consentiunt 2. Intellectum active concurrere ad beatificam visionem eliciendam: nam visio actus vitalis sit oportet. Ita ad actum fidei supernaturalem activè concurrit. Concurrit itaque intellectus ut causa principalis, Lumen verò Gloriæ veluti instrumentum quoddam.

CLXXIV. Statuitur VI. Quod Beati, cum ope Luminis Gloriæ Deum vident, omnia vident etiam quæ divinam essentiam constituunt; atque hoc est primarium hujus Visionis objectum; nam ut Joannes ait: *Videbimus eum sicuti est* (Epist. 1. c. 3.). Omnia ergo vident quæ essentialiter sunt in Deo: Hinc vident Mysterium SS. Trinitatis, omnesque divinas perfectiones,

Scientiam, Omnipotentiam, Immensitatem etc. Vident voluntatem Dei ejusque decreta quantum *ad entitatem* seu prout sunt ipsa Dei essentia : At ea non vident prout sunt libera in se, vel saltem non vident ea necessariò, licet nonnulla ad statum, conditionem et beatitudinem eorum spectantia videant. Vident etiam divina attributa in se ipsis, at non omnes respectus vident, quos habent ad creaturas; quare visa Omnipotentia, generatim quidem ejus objectum vident, nempe ad omnia possibilia extendi; at non vident entia singula ad quæ extendi potest. 2. Beati vident etiam aliquas creaturas; et hoc constituit objectum visionis beatificæ secundarium. Nam Beatitudo, quæ status est omnium bonorum aggregatione perfectus, sine creaturarum cognitione stare nequit. Itaque Beati omnes creaturas existentes agnoscunt, ac naturalium rerum causas, proprietates, vires: Clarè vident omnia Fidei Mysteria: vident summam erga se Dei misericordiam, nec sine perenni gratiarum actione suos vident Patriæ beatæ Concives. Vident quæ ad proprium suum statum pertinent: Pontifices ea quæ ad suæ Ecclesiæ regimen, Reges quæ pertinent ad regnum suum, ut habet Ambrosius *Oratione in obitu Theodosii*. Præterea preces vident, quas viventes ad eos dirigunt. Non tamen omnes vident possibiles creaturas, aut aliquando futuras, nec ultimum agnoscunt Judicii diem; nec secreta cordium, nec futura contingentia, nisi illis manifestentur. Ajunt verò Theologi, quod etiamsi omnes creaturas futuras et possibiles viderent, non tamen divinam Omnipotentiam comprehenderent, cum non eam omni claritate et perfectione cognoscerent, qua videri potest et reipsa a Deo

videtur; præsertim cum nisi successivè eæ Beatis manifestari possent.

CLXXV. Statuitur VII. Quod ex intuitiva illa Dei visione amor Dei intensissimus oritur in Beatis. Quod affirmat Apostolus 1. Cor. XIII. 8. cum ait: *Caritas nunquam excidit.* Nam cum Deum agnoscant uti summum ipsorum bonum, fieri nequit, quin inde maximum percipiant gaudium, ejusdemque amore lætentur. Itaque Beati non modo ita necessariò Deum amant, ut nequeant odisse; sed ita etiam, ut ab ejus amore cessare non possint, quod adversus Scotistas est affirmandum. Revera hanc incessabilem Caritatem ibi notat Apostolus cum ait: *Caritas nunquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Et Joan. in Apocal. c. IV. hoc perenne Caritatis exercitium describit, inquiens: *Et requiem non habent nocte ac die dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* S. itaque Augustinus *L. XXII. de Civ. Dei c. ult.* habet: « Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur ». Et quidem indifferenti judicio nunc dirigimur, cum summum Bonum obscurè, non clarè, nec sine mixtura aliqua incommodi videatur; quod tunc non continget, nec in tanta Summæ veritatis cognitione suspensa mens stare poterit, aut hærere voluntas. Scotistæ ajebant, quod voluntas aut non est, aut libera est, ut habet August. *in Enchiridio* n. 105. Quare si in beatis est voluntas, poterunt ab actu amoris Dei interdum cessare. Sed voluntas dupliciter consideratur. 1. Ut est principium suarum operationum. 2. Ut actu operatur. Et primo modo considerata absolutè libera semper dicitur, cum

actus ab ipsa oriantur uti a principio intrinseco, non a causa extrinseca eam impellente. At cum actu operatur, cum illius objectum sit Bonum, si illud agnoscat perspicuè sine ulla ratione mali, licet absolutè sit libera, tamen hypotheticè in illo amplectendo et amando indifferens esse non potest; cum nequeat contra sui naturam operari quæ ad Bonum tendit. Hæc itaque indifferentia versatur tantum circa bonum non perfectè cognitum, ut in præsenti vita: *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem*, ut ait Apost. 2. Cor. v. 7. Voluntas ergo licet aliquo sensu semper libera dici possit, ut ea quæ se ipsam determinat; at circa Bonum ei perspectè cognitum indeterminata, indifferens aut perplexa stare nequit. Poterit tamen in pluribus etiam in Patria indifferenter se habere, ut in iis, quæ nec possessione eam privent summi Boni, neque ejus amorem aut fruitionem imminuant.

CLXXVI. Quare statuitur VIII. loco, quod Beati, qui intuitiva Dei visione fruuntur, peccare non possint; ut enim scribit S. Fulgentius *l. de Fide c.* XXIII. « Firmissime tene et nullatenus dubites... non jam posse quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint »: Impossibile quippe est, ut qui Deum vident, unquam ab eo avertantur, cum suam beatitudinem videant cum Dei amore necessariò connexam. Sed quæritur, An hæc non peccandi proprietas sit in Beatis ab intrinseco, sive ab eorum intellectu et voluntate, an verò ab extrinseco sive ex Dei auxilio eos præservante. Hoc posterius volunt Scotistæ, eo quod Beati sint Legis capaces et liberi,

adeoque transgressionis etiam capaces. At falluntur: sunt enim capaces legis, qua dirigantur, non quam transgredi valeant; nam plenè noverunt, suam felicitatem in eo sitam esse, ut ea, quæ Deo sunt placita, semper exequantur. Posse autem peccare et in agendo deficere, non est essentialis proprietas, sed defectus libertatis, quæ in præsenti vita non semper ab intellectu rectè dirigitur. At in Beatis clarè Deum intuentibus nec ignorantia, neque inconsideratio, neque perversitas inveniri posset, qui summæ Veritati, summoque Bono semper adhærent.

ARTICULUS III.

DE GLORIA BEATORUM ACCIDENTALI, AC DE FELICITATIS EORUNDEM PERENNITATE.

CLXXVII. Essentialem sanctorum Beatitudinem et Gloriam in consecutione sitam esse ultimi Finis ac in Visione Dei intuitiva satis demonstratum est in superiori Articulo. Cætera omnia quæ secundario Beatos ornant, ad Gloriam eorum accidentalem pertinent, ut est Visio creaturarum quæ successivè ipsis manifestantur, ac in seipsis vident: Honores, qui eis ab Ecclesia tribuuntur: Resurrectio, seu iterata conjunctio cum suis corporibus incorruptibilibus et glorificatis, et alia hujusmodi. At cum de Corporum resurrectione actum jam sit Cap. II. et de sanctorum cultu et invocatione in præcedenti Dissertatione disquisitionem habuerimus, superest, ut de prærogativis Corporum Beatorum potiora attingantur. Itaque præter tot Animi bona et exi-

miam illam Mentis felicitatem jam descriptam qua Beati perpetuò fruentur, etiam illorum Corpora suo tempore gloriosa erunt, et quatuor potissimum dotibus glorioso corpori convenientibus potientur, nempe *Impassibilitate*, *Subtilitate*, *Agilitate*, et *Claritate*, quæ hoc disticho comprehendi solent:

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

Et quantum ad *Impassibilitatem* attinet, hanc gloriosi Corporis dotem memorat Apostolus 1. Cor. xv. 42. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione:* ut hæc proprietas non excludat tantùm corruptionem propriè dictam, sed et quamcumque passionem excludat, quæ molestiam Beatis afferre queat; ut enim Joannes Apocal. xxi. 4. ait: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Nec obstat, quod in gloriosis corporibus sit sanguis et alii humores, ex quorum mixtione et pugna ægritudines in nostris corporibus oriuntur; nam ut Augustinus habet *Epist.* ccv. « Divina providentia valet de ista visibili atque tractabili natura, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates ». Ita ab igne fornacis Chaldæorum abstulit Deus virtutem comburendi corpora puerorum, non autem ligna comburendi. Hinc ista Impassibilitas non omnem sensationem excludit; alioquin corporalis Beatorum vita somno similis esset. Utentur ergo sensibus ut suscipiant impressiones, quæ statui incorruptionis non repugnent, et sensus in actione perficiant. Nec obstat, quod Christus post resurrectionem comederit (Lucæ xxiv.); nec enim ejus

impassibilitati id repugnabat, quasi cibo indiguisset; ut enim ait Augustinus *Serm.* CCXLII. *De Resurrec. Corp.* « Quod Christus manducaverit, fuit potestatis, non egestatis ».

CLXXVIII. Circa *Subtilitatem*, quidam ex verbis Apostoli 1. Cor. XV. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* inepte inferebant, Corpus Beatorum in spiritum esse convertendum, in quem errorem incidit Eutychius Patriarcha Cpolitanus, ut diximus. Itaque Augustinus *Lib. XIII. De Civ. Dei c.* 20. ita Apostoli sententiam pulchrè exponit, « Quod corpus spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta ». Nam, ut habet S. Thomas *l.* 4. *c. Gentes c.* 86. « Anima Deo fruens ejus bonitatem participabit in summo secundum modum suum: sic igitur et corpus perfectè subdetur animæ, et ejus proprietates participabit quantum possibile est, in perspicuitate sensuum, in ordinatione corporei appetitus, et in omnimoda perfectione naturæ .... Spirituale igitur corpus resurgentis erit, non quia sit spiritus ut quidam malè intellexere, sive per spiritum intelligatur substantia spiritualis, sive aër aut ventus; sed quia erit omnino subjectum spiritui; sicut nunc dicitur corpus animale, quod animalibus passionibus subjaceat, et indigeat alimonia ». Erit igitur subtile per effectum spiritalis potentiæ, inquit S. Gregorius *l.* XIV. *Moral. c.* 29. sed palpabile per veritatem naturæ. Hinc Redemptor noster Lucæ XXIV. ajebat: *Palpate et videte, quia Spiritus carnem et ossa non habet etc.* Advertit itaque S. Thomas *in Suppl. q.* 83. *a.* 2. Quod subtilitas a

corpore glorioso dimensionem non aufert, ut possit esse simul cum alio corpore; sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione divinæ virtutis, ut factum est, cum Jesu Corpus ingressum est in cœnaculum januis clausis; quod non per dotem subtilitatis, sed virtute divinitatis factum est.

CLXXIX. Tertia Dos Corporis gloriosi recensetur *Agilitas*, qua sit expeditum et habile ad obediendum Spiritui in omnibus motibus et actionibus Animæ. Ita S. Th. l. c. q. 84. a. 1. De hac agit S. Augustinus *l.* XIII. *de Civ. Dei* c. 18. ubi illam suadet contra philosophos tum ex divina omnipotentia, tum ex similitudine Animæ quæ membra corporis sustentat ac pro sua movet voluntate. Verum dos isthæc cui bono, ajunt, cum motus Beatis opus non sit, ut ea quæ optant consequantur: in Deo enim habent omnia. At respondet S. Thomas l. c. a. 2. exemplo Christi, cujus corpus ad multa loca pertransit ac tandem *ascendit super omnes Cœlos*. Ita Sanctorum corpora in Cælum ascendent propriæ agilitatis beneficio. Sed et postquam in cælis fuerint, verisimile est, eos aliquando moveri pro lubito, ut hac agilitate utentes divina commendent beneficia vel etiam ut eorum oculi delectentur pulchritudine et ordine creaturarum, in quibus Dei sapientia mirè splendebit, ubique tamen Dei visione fruentur. Cæterum ait Augustinus *l. XXII. de Civ. Dei c. ult.* « Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status, sicut ipsa species, decens erit, quicumque erit. Ubi quod non decebit, non erit. Certè ubi volet spiritus, ibi protinus erit et corpus: nec volet aliquid spiritus,

quod nec spiritum possit decere, nec corpus ». Per hanc ergo dotem corpus gloriosum erit celerrimè mobile, nec tamen in istanti de uno loco in alium movebitur, quod Isaias per aquilæ volatum exhibet c. xl. 31. *Assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient.*

CLXXX. Quarta dos erit *Claritas*, quæ Corpus gloriosum reddet lumine refulgens et diaphanum simile crystallo, ut oculis appareat etiam interior omnium partium structura mirabilis. De hac dote ajebat Christus Matth. xiii. 43. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum.* Quod et Sapien. iii. 7. habetur: *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Apostolus verò de his dotibus agens inquit 1. Cor. xv. 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum ... seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria:* sive in claritate, juxta græcam vocem. Et ad Philippen. iii. 21. addit, reformandum *corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ:* ubi ad Transfigurationem respicit Christi Domini in monte Thabor Matth. xvii. quando *resplenduit facies ejus sicut sol*. Quod attinet ad hujus claritatis causam, ait S. Th. *l.* iv. *cont. Gentes* c. 86. non alia erit quam gloria Animæ: « Sicut enim anima divina visione fruens quadam spiritali claritate replebitur, ita per quandam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur » Itaque quemadmodum visio Essentiæ Dei non in omnibus erit æqualis, ita inæqualis erit claritas corporum Beatorum: nam Apostolus 1. Cor. xv. *Stella autem differt a stella in claritate: sic*

et resurrectio mortuorum. Et Dominus Joan. xiv. ajebat: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Atque iterum Apost. ibid. c. iii. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Hinc *De Rebus Divinis* N. lxxxii. Jovinianum refutavimus æqualem omnibus gloriam tribuentem. Inæqualis ergo beatitudinis causa moralis est meritorum distinctio: causa verò physica est inæqualitas Luminis Gloriæ. (V. Gazzaniga T. vii.).

CLXXXI. Nec aliquis percontetur: Si tanta erit claritas, quomodo sustinere illam poterunt intuentium oculi? Nam facilis responsio est: In resurrectione enim oculorum acies perfectior erit, ac talis, ut splendorem sanctorum ac ipsius Christi, cujus corpus splendidius cunctis fulgebit, cum maxima jucunditate contemplari possint. Corpora verò beatorum, quia incorruptibilitate potientur, nullo amplius indigebunt alimento: quia subtilia, pro lubito se præbere poterunt conspicienda: quia agilia, quocumque poterunt se transferre: quia clara, omnes aspectu suo delectabunt. Erunt etiam omnis defectus naturalis expertia, veram tamen humani corporis substantiam, figuram, ac sexum gerent, ac locum certum occupabunt. Quæ omnia pro modulo nostro dicta sunt, ut enim animadvertit S. Augustinus l. c. P. xxii. c. 21. « Quæ sit et quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium sit omne, quod de illa profertur, eloquium ».

CLXXXII. Aliqua sunt modo de *Aureolis* notanda. Definitur Aureola a S. Thoma *in* iv. *Senten. dist.* 49.

q. v. « Gaudium Beatorum, seu præmium accidentale, præmio seu gaudio essentiali superadditum ob excellentem victoriam ». Quare iis solis Beatis convenit Aureola, qui propter aliquam excellentem virtutem sunt insignes et a reliquis veluti distincti : *Non enim* (ut Apost. habet 2. ad Tim. c. 2.) *coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*. Triplex autem aureola distinguitur, nempe Virginum, Martyrum, et Doctorum. Prima designatur Apocal. c. xiv. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : Virgines enim sunt : hi sequuntur Agnum quocumque ierit . . . et cantant quasi canticum novum*. Altera expressa habetur ibid. c. vii. 14. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in Sanguine Agni*. Tertia demum Doctorum Aureola expressa habetur Danielis c. xii. 5. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Hi omnes victores fuere. Nam virgines vicerunt carnis illecebras, unde et cantant in Cælo canticum novum : Martyres contemptu mortis mundum superarunt : Doctores diabolum vicerunt, e cordibus hominum illum expellendo, et ad justitiam erudiendo. Aureola hæc propriè est in anima, cum sit de relatis victoriis gaudium ; at ex hoc gaudio redundat etiam in corpus aliquis decor ; nam cum Aureola *auream Coronam* significet, probabile valde est, quod illa gloriæ claritas Coronulam albam efformet in capitibus Virginum : in Martyrum capitibus purpuream ; et in illis Doctorum subviridem ; dicitur enim Apoca-

lyps. IV. 4. *Et in capitibus eorum Coronæ aureæ:* Psalmo autem XX. *Posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.* Cum itaque dictum sit, ad beatitudinem concurrere visionem intuitivam, intensissimum Dei Amorem, et summum gaudium, Quæritur; in quonam essentialiter Beatitudo formalis consistat; id est quidnam sit, quod sanctorum beatitudinem efformet atque efficiat? Atque ex dictis jam constat juxta communem consensum hanc formalem beatitudinem in triplici actu Visionis, Amoris et gaudii consistere. Nam quantum ad visionem Matth. v. habetur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt?* Quantum ad amorem ait Apostolus: *Caritas nunquam excidit.* De gaudio vero inquiebat Dominus discipulis Joan. XVI. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Sed amorem et gaudium ex Dei Visione futurum indicat Propheta Regius Psal. XVI. cum exclamat; *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

CLXXXIII. Cum itaque affirmaverit Christus: *Et Gaudium vestrum nemo tollet a vobis,* firma fide tenendum quod hæc beata vita finem nunquam sit habitura. Quare turpiter erravit Origenes, cum voluit, tempus cælestis hujus beatitudinis certis terminis circumscribi, et Christi regnum finem esse aliquando habiturum. Ajebat enim, quod animæ etiam in cælis positæ adhuc delinquere possint, et statim ac in culpam deflexerint, in inferiora delabi, atque subinde in vincula crassioris corporis compingi, ut in *Lib. Peri archon* habet. At beatæ Mentes nec amplius peccare queunt, ut vidimus (Sup. N. CLXXVI.) nec ratio est ulla cur sua priventur beatitudine. Non enim esset ea perfecta, nisi omne desiderium

expleret, et excluderet omne mali genus: Non autem hoc præstaret, si posset aliquando omitti; nec enim cum timore amittendi felicitatem consistere beatitudo queat. Beatitudo itaque æterna in Scripturis promittitur, et nulli obnoxia vicissitudini. Ita *Sapien. V. Justi autem in perpetuum vivent*: Et Matth. xxv. *Ibunt justi in vitam æternam*: Et alia similia. Revera ut ait Augustinus *de Trinitate* l. xiii. 8. « Nullo modo esse poterit Vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna » Et *lib.* xi. *de Civ. Dei c.* xiii. « Sanctos in sublimibus cæli sedibus de sua sempiterna ac vera felicitate securos et certos esse, nemo ambigat ». S. Cyprianus autem *l. de Mortalitate*, ait, « Sanctos de sua immortalitate securos, adhuc esse de nostra mortalitate sollicitos ». Hoc itaque dogma Fide sancitum de vita et beatitudine æterna et sæpissimè in sacris Literis prædicatum Catholica Ecclesia apertè semper professa est in Symbolo, quo *Venturi Sœculi vitam æternam* confitemur. Hæc æternitas quæ est in Deo perfectissima, ut is qui principio et fine caret, nullique successioni subjectus est, ita ut plena æternitate *anteriore* et *posteriore* fruatur, (ut nos subtili consideratione per intellectum nostrum solemus distinguere); in sanctis cælitibus posterior tantùm erit, sicuti convenit creaturis, quas Deus condidit et conservare vult. Id enim et suæ altissimæ providentiæ conveniens est, idque pollicitus est sæpissime in Sacris literis, atque omnia argumenta id evincunt, quæ supra allata sunt c. 1. Art. iii. et iv. ubi Animorum immortalitatem a materialistarum insania vindicavimus. Hinc de hoc æterno Dei Regno habetur Psalm. cxliv. *Regnum tuum, Regnum om-*

nium sæculorum ... Custodit Dominus omnes diligentes se ... Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro Nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi. Faxit interim Deus Optimus Maximus, ut ad has æternas divini Agni nuptias aliquando nos omnes vocemur, ubi inebriemur ab ubertate domus Dei, ac torrente voluptatis illius potemur in perpetuas æternitates, ut justis pollicetur Deus ipse Psalmo xxxv. 9. ac tandem canere cum Psalmista possimus (Ps. xlvii.): *Sicut audivimus, ita et vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum*.

FINIS.

DISSERTATIONUM

ANACEPHALÆOSIS

DE NOVISSIMIS, DISSERTATIO ALTERA.

Pag.	Lin.	ERRATA	EMENDENTUR
28.	9.	nomina . . .	nomine
34.	4.	*ora*	*orat*
37.	14.	quam	quem
44.	15.	insussurare . .	insusurrare
92.	9.	Reliquiarium .	Reliquiarum
106.	2.	bonos . . .	honos
153.	19.	contingit . .	contigit
158.	25.	anima . . .	animam
206.	14.	*nubimus* . .	*nubibus*
231.	10.	delata . . .	deleta
277.	11.	comburebat .	comburebant
280.	14.	spondebat . .	spondebant
302.	18.	a catholicis . .	acatholicis

Si quæ alia occurrent Lector humanus dabit.